HANDBO
AT T

UNIVERSI
TORONTO

CODEX

DIPLOMATICUS ET EPISTOLARIS

MORAVIAE.

STUDIO ET OPERA

ANTONII BOCZEK,

SOCIETATIS SCIENTIARUM BOEMICAE ET ALIARUM MEMBRI
NEC NON PROFESSORIS PUBLICI.

E L
P. Mauritii Schrutka, Kanic.
Capucini

P. MAVRITIVS
KANICENSIS

TOMUS PRIMUS

AB ANNIS 396—1199.

OLOMUCII, 1836.
EX TYPOGRAPHIA ALOYSII SKARNITZL.

DB
[illegible]
c.1

LIBRARY
SEP 16 1966
UNIVERSITY OF [illegible]

1123972

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI

DOMINI, DOMINI

ANTONII FRIDERICI

E COMITIBUS

MITTROWSKY

DE MITTROWIC ET NEMYŠL,

DOMINI DYNASTIAE WIESENBERG IN MORAVIA; SUAE SACRAE CAESAREAE REGIAEQUE MAJESTATIS CONSILIARII INTIMI ATQUE CAMERARII ACTUALIS; ORDINIS CAESAREI AUSTRIACI LEOPOLDINI MAGNI EQUITIS ET CANCELLARII, ET MAGNI EQUITIS ORDINIS S. JOANNIS HIEROSOLYMITANI; SUPREMI REGNI CANCELLARII; PRAESIDIS C. R. AULICAE IN STUDIIS COMMISSIONIS; PLURIMARUM SOCIETATUM A SCIENTIIS MEMBRI MERITISSIMI ECT. ECT. ECT.

SUB AUSPICIIS NEC NON IMPENSIS.

Ankündigung des geschichtlichen Quellenwerkes:

CODEX
DIPLOMATICUS ET EPISTOLARIS
MORAVIAE.

SUB AUSPICIIS NEC NON IMPENSIS
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI, DOMINI
ANTONII FRIDERICI
E COMITIBUS
MITTROWSKY
DE MITTROWIC ET NEMYŠL,
C. R. SUPREMI REGNI CANCELLARII ET STUDIORUM COMMISSIONIS AULICAE PRAESIDIS ECT.

STUDIO ET OPERA
ANTONII BOCZEK,
PROFESSORIS PUBLICI.

OLOMUCII, 1836.
EX TYPOGRAPHIA ALOYSII SKARNITZL.

Ueber die vielseitige Wichtigkeit der Urkundenbücher, und namentlich ihre Unentbehrlichkeit zur kritischen Geschichtschreibung herrscht unter den Gelehrten aller Zeiten nur eine Stimme, welche mich auch einer Anempfehlung des vorliegenden Werkes überhebt.

Bei der nun fast in ganz Europa allgemein gewordenen glücklichen Tendenz, die Geschichten einzelner Völker und Länder zu sichten, und auf dem diplomatischen Prüfsteine zu erproben, ward auch in Böhmen und Mähren der sehnlichste Wunsch nach einem *„Codex diplomaticus”* immer allgemeiner, immer dringender; blieb aber lange nur ein frommer Wunsch, lange nur die Stimme eines Rufenden in der Wüste. —

Dass er nun in Mähren dennoch verwirklicht ist, verdanken wir nur allein der Hochherzigkeit und literarischen Vorliebe Seiner Excellenz des Herrn **Anton Friedrich Grafen Mittrowsky** von Mittrowitz und Nemyschl, Obersten Kanzlers der vereinigten Hofkanzlei und Präsidenten der Studienhofkommission.

Das dringende Bedürfniss dieses geschichtlichen Quellenwerkes tief fühlend, ertheilte dieser erhabene Mäcen im Jahre 1831 mir den Auftrag, dasselbe aus meinen Vorarbeiten zum Drucke vorzubereiten, erleichterte mir den Weg zur Benützung der Quellen, trägt jetzt selbst die Kosten der Auflage, und bringet so mit immer gleichinniger Vaterlandsliebe hiedurch abermal, neben so vielen andern, auch dieses schöne Opfer auf den Altar Seiner nicht vergessenen Moravia.

Dieses Diplomatar umfasst vorläufig in vier Quartbänden das dunkle Mittelalter von dem ersten Versuche der Christianisirung Mährens an bis zum Aussterben der Přemysle, d. i. von dem Jahre 396 bis 1306; — und liefert einen Geschichtsapparat von mehr als zwei Tausend zwei Hundert Urkunden. Wie viele davon bisher theils unbenützt, theils gänzlich unbekannt geblieben, kann man am besten daraus entnehmen, dass

Dobner, der Vater der kritischen Geschichte Böhmens und Mährens, in seinem *„Specimen codicis diplomatici Moraviæ"* noch im J. 1779 nur **Hundert** Urkunden aus **derselben Periode** (bis 1306) über **Mähren** gekannt hat.

Nach dieser Armuth der bisherigen Vorarbeiten einerseits, und nach der kaum geahnten Reichhaltigkeit des **vorliegenden Diplomatars** wird man sich überzeugen, dass ich nicht nur alle Landesarchive, sondern so viel als möglich, die meisten der nachbarlichen Länder benützt; dass ich meine bisherige Zeit gewissenhaft dazu verwendet, um an dem dereinstigen Gebäude einer kritischen Geschichte meines theuern **Vaterlandes** bauen zu helfen, und so mir im Herz und Gemüth meiner lieben Landsleute ein freundliches Andenken zu erringen. — Möge demnach diese meine mühsame Arbeit mit jener Liebe aufgenommen werden, mit welcher sie begonnen und vollendet wurde, und mit welcher sie unser erhabener **Mäcen** gepflegt, und jetzt durch mich dem theuern Vaterlande darbringet.

Was dieses Urkundenbuch für Mähren ist, dasselbe ist es auch für die **schlesischen Herzogthümer Troppau** und **Jägerndorf**, deren Geschichte bis zum Jahre 1279 keine andere, als die **mährische** ist, und selbst nach dieser Zeit von derselben nicht geschieden werden darf; demnach haben beide Herzogthümer, so wie der im Jahre 1742 an **Preussen** abgetretene Antheil **Schlesiens** ihr **Diplomatar** unter einem in meinem **Codex** abgedruckt. — Nicht weniger kann man — bei der innigsten, ja unzertrennlichen Verzweigung **der Nation** und **der Geschichte Böhmens und Mährens** — und bei dem Umstande, dass die mährischen Archive aus so vielen Kriegsstürmen glücklich gerettet wurden, und zur böhmischen Geschichte in der vorhussitischen Zeit wirklich aushelfen müssen — dieses **Diplomatar** im strengsten Sinne ein **mährisch-böhmisches** nennen. — Ueberhaupt finden darin alle nachbarlichen Länder nicht unwichtige Beiträge zu ihrer Geschichte; selbst das entferntere Norddeutschland trift in unzähligen Urkunden über Einführung **deutscher Kolonien, deutscher Stadtrechte und des deutschen Lehenwesens in Mähren** in diesem **Codex** bisher unbekannte Data an; so wie im Ganzen das gesammte Slaventhum äusserst interessante Notizen zu seiner Kultur- und Rechtsgeschichte.

Der erhabene Mäcen hat darauf einen Werth gelegt, dass ein *Diplomatarium Moravicum* auch in Mähren gedruckt und verlegt werde; demnach hat für die Ausstattung des Werkes Alois Skarnitzl, Buchdrucker in Olmütz, — voll patriotischen Eifers — das in seinen Kräften Möglichste gethan. — Diese Ankündigung gibt die Probe des Formats, des Papiers und der Lettern. — L. W. Seidel, Buchhändler in Brünn, hat das Werk im Verlage.

Der äusserst billige Ladenpreis eines Bandes von 48 — 55 Bogen auf schönem mährischen Langendorfer Schreib-Velinpapier ist 5 fl. 30 kr. Conv. Münze.

Der erste Band (vom Jahre 396 — 1199) hat bereits die Presse verlassen, und kann durch alle Buchhandlungen der österreichischen Monarchie bezogen werden.

Olmütz am 1. Oktober 1836.

Anton Boczek,
Professor.

Excellentissime ac Illustrissime Comes!

Domine et Patrone gratiosissime!

Praeclaros revera et magnanimos conatus, quibus Tu celeberrime in patriis Moraviae ditionibus scientiarum Patrone! rebus utut abditis, tamen alacri investigatione dignis, studium et vires consecrare, ac plenissimam lucem adfundere pro virili enitebaris, ita quidem, ut res literarum publica Te duce et auspice laetissima in dies caperet incrementa: omnis profecto Moravia non sine gratissimo animi sensu, quippe quod Te suum praedicat, insuper et pietatis officio Tibi tantopere devincta, suscipit ac veneratur. Namque ingenue profitetur, longe plurima, quae accessionis per tot jam abhinc annorum seriem in bonarum artium et scientiarum provincia ipsi obtigerint, tum piissimae memoriae patris Tui, tum impensissimis Tuae humanitatis meritis consiliisque deberi. Ast ne multus sim, vel potius ne tantae dignitati tenui mea vena derogare quidpiam videar: tenent et monstrant fasti patrii, quod unice in deliciis habent, eminens inter insignia nomen Tuum, ac sideris instar tuentur; imo, quoniam penes illos est, res praeclare gestas pandere et commemorare, tot ac tanta quidem beneficia Tua vel serae adhuc tradent posteritati.

Quamquam vero nullum fere censeri possit genus liberalium artium et scientiarum, quod Te non fautorem modo benignissimum, sed acerrimum quoque ducem et fervidissimum cultorem habeat: tamen in hisce praesertim patriae historiae, patriique juris cognitio Tui favoris primas sibi vindicavit, cui pro singulari Tua liberalitate opitulatus altioris intelligentiae facem praeferre non dubitasti. Tu enim, Praeses Illustrissime! ut alias insignes virtutes taceam, intimo patriae studio ductus vel primaevae etiam memoriae tabulas et monumenta, passim dispersa, diligenter undique colligere, veritatis adyta penetrare, atque sic firmissimum historiae fundamentum ponere invicto animo perseverasti, idque non rogatus a quoquam, sed sponte et alacriter, imitatus videlicet in hoc, sicut et in aliis Trajani, optimi illius imperatoris, morem, qui teste Plinii panegyrico erubescere solitus est, quoties beneficia cum utilitate reipublicae conjuncta ab eo peterentur; quod tacite illiberalitatem suam incusari suspicabatur, qui non sponte et ultro praevideret ac praeverteret, quae alioquin ad reipublicae commodum et salutem impendenda esse arbitraretur. Sic igitur Tu quoque, Maecenas Benignissime! vel ultro et integerrimo cum vigore procurasti, quae utramque paginam facerent, ad majorum gloriam et sapientiam cognoscendam, atque proinde ad aequales et posteros in fatis et actis patriae bene erudiendos. Tu, inquam, Domine Illustrissime! etiam hoc opus quum verbo humanissimo, tum re et opere liberalissime in lucem provocasti. Quamobrem trado Tibi illius auctori primo, imo reddo, quod Tuum est, atque in manus Tuas verecundus gratusque repono. Accipe, quaeso, et aequis oculis intuere hoc periculum, tamquam venerationis in Te meae publicum specimen atque pignus. Quod an ex voto cesserit, Tuum, spero, arbitrium dijudicabit. Sed qualecumque demum sit, ex Tuis certe manibus et subsidiis domesticarum rerum scriptores hoc donum avidissime exspectabunt. Adde et hoc, enixe rogo, beneficiorum Tuorum cumulo, si quidem adhuc augeri potest. His nixa fundamentis et vere locupletata si quando critica Moraviae historia illustrata in commune bonum accreverit, simul etiam in omnium animis exsurget pietatis monimentum Tibi dedicatum aere perennius.

Illustrissimae Excellentiae Tuae

cultorum devotissimus
Antonius Boczek.

PRAEFATIO.

„Codice diplomatico et epistolari nobis sane omnium maxime opus est. Quam diu tandem rerum Boemicarum scriptores ejus editionem desiderabunt? quam, licet sit aliquoties promissa, saepius expetita ac semper optata, tamen adaptare retardamus? Utinam demum desiderium hoc nostrum desinat nominari vox clamantis in deserto!" — Id ipsum Palacky in criterio veterum Boemiae scriptorum maxime luget, idque studiosissime exoptat. Praedicemus itaque Moravi nos feliciores, qui idem cupientes, studio et liberalitate Excellentissimi atque Illustrissimi Domini, Domini Antonii Friderici e Comitibus Mittrowsky de Mittrowic et Nemyšl, c. r. intimi Consiliarii, supremique regni Cancellarii, nec non Praesidis c. r. aulicae in studiis commissionis p. t. jam nunc voti compotes sumus facti. Hujus enim benignissimi Maecenatis sub auspiciis et impensis diplomatarium hoc, a primis historiae Moravicae monumentis ordiens, et ad a. **1306.**, quo stirps Přemyslea defecit, tempora complectens, quatuorque tomis contentum, prelo submittitur.

Supersedendum autem operae existimo, hic ea recolere, quae de summa diplomatariorum in concinnanda historia utilitate centies sunt repetita. Haeret sane in animo meo, quod clarissimi nominis, doctrinaeque haud vulgaris viri uno ore sunt professi: *„Sine* *diplomatum copia non conficitur historia.*" — Ad quod comprobandum non est necesse, aliunde testimonia et exempla contrahere, quum jam olim Gelasium Dobner, diligentissimum Boemicarum rerum scrutatorem, in maximum patriae historiae emolumentum huic sententiae innixum videam; nec non quum ego ipse fastis patriis, qui hactenus in lucem prodiere, ad amussim perlustratis, iisque absque diplomatum fide inventis, invitus dolensque cogar confiteri, ad hunc usque diem Moraviae historiam esse tenuem, eamque haudquaquam firmis, sed fluctuantibus fundamentis niti; sive, alia ut similitudine utar, tenebris esse obrutam, raroque solis radio collustrari. Quamvis vero et ipse ea, qua par est, modestia fatear, haud omnes, quibus historia nostra redundat, defectus mendaque meo posse opere compleri atque corrigi: hilari tamen animo, quae undique potui congerere, supplementa offero, plane persuasum habens, aliis me saltem praelaturum facem, viamque aperturum, qua iis levius gratiusve incedere, uberioremque, quam mihi, in tenebras lucem adferre licebit.

Quemcumque itaque, lector amice, in meo opere inveneris defectum, persuadeas tibi velim, neque negligentia mea, neque incuria esse ortum, mihique minime voluntatem, verum suppetias viresque defuisse. Omne enim initium fervet. Et sane initium hoc opus meum appellare ausim, quum nemo ante me diplomatario Moraviae concinnando operam adhibuerit; et quotquot hujus periodi diplomata Moravica in Dobneri aliorumque intexta sunt operibus, numerum centum quinquaginta haud excedant, quorum demtis inorrectis mendosisque vix quinquaginta historiae probaveris servitura. — Ast ecce! diplomatarium hoc meo studio collectum, licet opus nondum consummatum sit, jam nunc *bis mille et ducentos* numeros suppeditat.

Accrevisset forsan copia diplomatum, si collectio Cerroniana, Mss. patriis refertissima, quam ut amissam hodiedum Moravia dolet, patriae suae restituta, jurisque publici facta fuisset.

Quae autem jam nunc in meo diplomatario fastis patriis ignota proferantur, quotve errores eliminentur, enarrare velle tanti esset operis, ut vastus denique liber repleri possit. Parcius tamen usurus calamo, eaque tantum, quae rerum Moravicarum studiosos scire maximi est momenti, paucissimis et ipsarum chartarum verbis sum adumbraturus.

Sane quidem maximi momenti imprimis illas literas nomino, quae seculum IX., videlicet annos **863**. et **884**. attingunt, e quibus ecclesias s. Petri Olomucii et Brunae a ss. apostolis nostris, ***Cyrillo et Methodio*** consecratas, et a ducibus Magnae-Moraviae, ***Ratiš*** (a Teutonis ***Rastices*** dicto) et a ***Swatopluk*** dotatas esse edocemur. — His proxime accensenda charta Břetislai ducis circa a. **1030**., qua ecclesiae s. Petri et capellae s. Clementis Olomucii dotem, — *„ab antiquis hujus terrae principibus"* — collatam pulsis e Moravia Hungaris restituit. — Consecrationem vero ecclesiae s. Petri Olomucii (cujus notitiam, videlicet „cartulam vetustissimam," Severus, Pragensis episcopus, anno **1062**. „propria manu depinxit") per s. Cyrillum anno **863**. peractam esse, innuit ***Hildegardus Gradicensis***, antiquissimus Moraviae chronographus Ms., asserens: episcopatum Olomucensem ad ecclesiam s. Petri fundatum esse a. **1063**. i. e. *„anno bisseculari"* post consecrationem ecclesiae ejusdem.

His itaque tabulis tot tantaque Hungariae et Germaniae scriptorum dubia et hypotheses de antiquae sive Magnae-Moraviae situ ejusque limitibus, nec non de apostolis ejus haud secus ac tenebrae solis radiis dispelluntur, et tot ac tantae lites contentionesque literatorum uno nutu componuntur. Hoc saltem nunc fixum ratumque habebimus: *S. Cyrillum anno* **863.** *in Moraviam jam advenisse, atque fratrem ejus sanctum Methodium, Moravorum archiepiscopum, adhuc anno* **884.** *in patria nostra degisse; porro Olomucium et Brunam in ambitu illius nempe regni, in quo* ***Ratiš*** *(**Rastices**) et* ***Swatopluk*** *duces dominabantur, id est, intra fines Magnae-Moraviae sitas, atque civitates haud infimae notae fuisse.*

Seculo XI. ineunte circa a. **1025.** expulsis e Moravia Polonis *ducatus Moraviae denuo resuscitatur,* et ***Břetislaw,*** Udalrici, ducis Boemorum, filius, *primus stirpis* ***Přemysleae*** *Moraviensis dux constituitur,* qui cum conjuge sua Juditha (Jutta) in Olomucensi arce residet; Hungaros e Moravia meridionali ejicit, finesque ducatus sui dilatat; ecclesiae sancti Petri Olomucii possessiones antiquitus ipsi traditas, ab Hungaris vero detentas, restituit, novisque auget; pro fratribus s. Benedicti cellam s. Joannis (versimiliter Welehradi) et alteram in castello deserto Rayhrad fundat; ad fluvios Odram et Opam primos Teutonos locat; munitionem Gradec (Grätz ad Opaviam) adversus Polonos construit; custodes finium Hungariae et Poloniae instituit ect. (Haec tantum ex tabulis, de reliquis consule scriptores.)

Alter totius Moraviae dux, cunctis scriptoribus hactenus ignotus, fuit *Spitihněw*, filius Břetislai natu maximus. Nascitur in ducis arce ad Olomucium pro cujus incolumitate Břetislaw pater anno **1031.** ecclesiae sancti Petri Olomucii, in qua filiolus baptizatus erat, in grati animi significationem villam Dub cum aliis redditibus largitur. Designatur dux Moraviae Spitihněw a. **1048**, regitque eam ad a. **1054.** usque, ad quod contestandum aliquot diplomata exstant.

Anno **1054.** Břetislaw, dux Boemiae, Moraviam inter filios dispertiens *Wratislao Olomucensem, Brunensem Ottoni, Conrado Znoymensem* provinciam attribuit; quorum primus anno **1055.** antiquissimum, cujus hactenus in Boemia et Moravia memoria exstat, hospitium pauperum et infirmorum Olomucii, eleemosyna larga decano Olomucensi oblata, fieri statuit.

Anno **1061.** Otto dux provinciam Olomucensem, Conradus vero duas reliquas a fratre Wratislao, duce Boemorum, obtinent, qui una cum eodem et de Severi, Pragensis episcopi, consensu *anno* **1063.** *episcopatum Olomucii ad ecclesiam s. Petri fundant,* cujus quidem fundationis diploma injuria temporum deletum, tabulis tamen annorum **1062 — 1065.** a me editis ex aliqua parte redintegratur. Electus episcopus Joannes in literis anni **1065.** primus Olomucensis legitur, a quo itaque episcoporum Olomucensium seriem inchoandam existimem, eamque e diversis manuscriptis ecclesiae Olomucensis et monasterii Gradicensis aliisque diplomatibus mirum in modum compleri, sicque posse restitui nullus dubito; nempe ut

Joannes .	**1063 — 1086.**	primus,
Wecel . .	**1086 — 1091.**	secundus,
Andreas .	**1091 — 1096.**	tertius,
Heinricus	**1096 — 1099.**	quartus,
Petrus . .	**1099 — 1104.**	quintus,
Joannes .	**1104 — 1126.**	sextus,
Heinricus	**1126 — 1151.**	septimus ect.

in episcoporum Olomucensium serie sistatur.

Causa belli inter fratres Wratislaum, regem Boemiae, et Conradum, ducem Brunensem, anno **1091.** gesti e diplomate anni **1087.** colligitur, in quibus Conradum a fratre suo Ottone, Olomucensi duce, uxori ipsius Euphemiae liberisque tutorem scriptum certe voluntati Wratislai regis minime obsecundasse cognoscimus.

Seculo XII. — Fundator ecclesiae s. Wenceslai Olomucii, quae nunc est metropolitana, fuit dux Swatopluk, filius Ottonis Pulchri, et pater Waceslai, ducis Olomucensis, uti compluribus diplomatarii hujus tabulis luculentissime probatur. Perperam itaque auctor novissimus in „Serie episcoporum Olomucensium” ejus fundatorem Ottonem Nigrum, fratrem ducis Swatopluk asserit, quem equidem patruum Waceslai ejusdem, nequaquam vero patrem lego.

Ad eandem ecclesiam anno **1131**. episcopatum a s. Petro transtulit Olomucensis episcopus VII. nomine Heinricus Zdik, vir maximae aevo suo famae, quem multi scriptores principem e stirpe Přemyslea prognatum falso tradunt; qui tamen (mirum auditu!) Cosmae, decani Pragensis, patrisque historiae Boemicae, filium e Božitěcha uxore fuisse, in literis anni **1152**. reperiatur. Quantopere praeter patriam et historiam expeditionum sacrarum in Prussiam, Palaestinam et adversus Slavos septemtrionales illustraturae, quantum ad historiam Germaniae et Poloniae sint collaturae plurimae summorum pontificum epistolae intra annos **1141 — 1150**. ad Heinricum, Olomucensem episcopum, necnon ad duces Boemiae et Moraviae scriptae, et e pluribus codicibus manuscriptis in diplomatario meo propositae, defaecatiori judicio historici sententiam ferant. Nos Moravi sane iisdem edocemur, nostrum episcopum Henricum maximi aetate sua nominis virum fuisse, Eugeniique pontificis, Conradique imperatoris, uti domini sui Wladislai, Boemiae ducis, familiarissimum, cujus sapientia ipsi rebus in maximis non absque commodo suo usi sint.

In conjuratorum numero contra eundem episcopum, praeter Wratislaum Brunensem et Conradum Znoymensem principes, etiam Theobaldum, Wladislai, Boemiae ducis, fratrem legimus, quem postremum Vincentius, scriptor coaevus, utpote virum sibi faventem silentio praeterit, omnemque culpam dat Moravis crimini. Quid mirum? Fuit sane scriptorum Boemiae fere omnium, Moravos pro privignis habere, et nescio, quam averso ab iis esse animo; ut itaque Moraviae historiam maxima parte ex ipsorum calamo promanantem, utpote scaturientem e fonte haud limpido, quodam partium studio turbulentam non possim non appellare.

Reliqua seculi XII. ad stabiliendam succedentium Moraviae principum seriem plurimum conducunt, quin imo non rarum stirpis Přemysleae surculum, in umbra hucusque latentem, in lucem protrahunt. Sic anno **1146**. tres Moraviae principes: Otto Olomucensis, Wratislaus Brunensis, Conradus Znoymensis; sic a. **1169**. Fridericus, Henricus et Conradus (Otto); sic anno **1174**. Oldricus (Udalricus), Waceslaus et Conradus (Otto); anno **1190**. Wladimjr, Spitihněw et Conradus; anno **1195**. Wladimjr, Spitihněw et Henricus; et **1199**. Wladimjr, Spitihněw et Wladislaus terni provinciarum prememoratarum in sex diplomatibus duces scribuntur; ne praeteream, Břetislaw, fratrem Wladimjri, exeunte seculo XII. ducem Břeclawensem (Lundenburg) fuisse, et Swatopluk, ducis Spitihněw fratrem, provinciae Jamnicensi dominatum esse. Memoratu etiam dignum, Detleb et Kain episcopos et Siffridum, canonicum Olomucensem, de stirpe Přemyslea ortos principes fuisse.

Seculo XIII. prae ceteris series succedentium marchionum Moraviae, in qua collocanda omnes ad unum patrii scriptores sunt allucinati, jam e cumulatiori diplomatum apparatu facillime statuitur in hunc modum:

Wladislaus I. qui et **Heinricus**, filius **Wladislai**, **Boemiae** regis, marchio Moraviae **1197—1222.**

Přemysl Otakarus, Boemiae rex et **Moravorum** dux, frater praecedentis marchionis, **1222—1224.**

Wladislaus II. qui et **Heinricus**, filius **Přemysl Otakari**, marchio Moraviae, **1224—1226.**

Přemysl Otakarus, Boemiae rex et marchio **Moraviae**, (qui supra) **1226—1228.**

Přemysl, filius **Přemysl Otakari I.** regis natu minimus, marchio Moraviae **1228—1239.**

Wenceslaus, filius **Přemysl Otakari** regis, rex **Boemiae** et marchio Moraviae **1239—1246.**

Wladislaus III. filius **Wenceslai** regis, marchio **Moraviae** et dux Austriae **1246—1247.**

Přemysl Otakarus, filius **Wenceslai** regis, marchio **Moraviae** **1247—1253.** rex **Boemiae** et marchio **Moraviae** **1253—1278.**

Interregnum 1278—1283., quo tempore **Bruno**, **Olomucensis** et **Henricus**, **Basiliensis** episcopi **1278—1281.** atque **Albertus**, **Saxoniae** dux, **1281—1283.** **Moraviam** nomine **Rudolfi**, **Romanorum** regis, gubernabant.

Wenceslaus, **Přemysl Otakari II.** filius, **Boemiae** rex et marchio **Moraviae** **1283—1305.**

Wenceslaus, **Wenceslai** filius, **Boemiae** rex et marchio **Moraviae** **1305—1306.**

Quae de *promarchionibus* sive sic dictis *capitaneis* **Moraviae** seculo **XIII.** scripta reperiuntur, in fabulas releganda puto, quum neque scriptores coaevi, neque innumerae literae publicae unius alteriusve terrae capitanei mentionem faciant. Primus omnium, quem documenta producunt, a. 1298. Remundus de Lichtenburg fuit, qui vero in ficta capitaneorum serie plane desideratur.

Res gestas in bellis inter fratres Wenceslaum, regem Boemiae, et Přemysl, marchionem Moraviae, (1235—1237) plures literae sub obtutum sistunt. Quorum si causam quaeris, en in promtu est. Přemysl noster Friderici Bellicosi, Austriae ducis, affinis erat, quorum uterque filias Ottonis, Meraniae ducis, uxores duxerunt; quam propter affinitatem Přemysl fratri suo Wenceslao in bello adversus eundem Fridericum suppetias ferre recusavit.

Quantam accessionem ad historiam anni 1241., quo *Tartari* Moraviam miserandum in modum depopulati sunt, donec forti Jaroslai de Sternberg facinore fusi ac profligati fuerunt, tabulae diplomaticae allaturae sint, quisque sibi persuadebit legens: a Tartaris monasteria Gradicense, Zabrdowicense, Rayhradense, Tišnowicense et Daubrawnicense; necnon civitates Opaviam, Freudenthal, Benešovium, Přeroviam, Litoviam et Gewičko combustas devastatasque; civitates vero Olomucium, Vnčovium (Neustadt) et Brunam inani eorum obsidione graviter pressas laesasque fuisse. Ipse dies irruptionis a Tartaris in Moraviam factae scriptores patrios hactenus latebat!

Anno 1278. post obitum Otakari Rudolfum, Romanorum regem, Moraviam cum exercitu intrasse, castra apud Dyax (Tajax), apud Rosic, Eywančic et apud Iglaviam metatum esse, atque fide Moravorum jurejurando sibi obstricta, Brunonem, episcopum Olomucensem, et Henricum Basiliensem Moraviae gubernatores disignasse, civitatesque plurimas immunitatibus et privilegiis ornasse; Kunegundi, Boemiae reginae, proventus provinciae Opaviensis assignasse, postea vero Brunone intercedente, Nicolao, Otakari filio notho, paterni delicti gratiam fecisse, eique ducatum Opaviae restituisse; denique Brunone episcopo mortuo (1281.) Albertum, Saxoniae ducem, „tutorem" Moraviae nominasse, scriptores nostros maxima ex parte non minus latebat, quam Wenceslaum, Boemiae regem, jam anno 1283. moderamen Moraviae auspicatum provinciam ipsam eodem anno accessisse, Brunaeque judicio generali praesedisse.

Fabulae itaque de Milota de Dědic vulgatae, eum nimirum stirpis Rosenbergicae, nec non Otakari in proelio proditorem fuisse, a Rudolfo vero capitaneum Moraviae institutum terram dirissimis exactionibus pressisse, sub Wenceslai vero adventum in Stiriam aufugisse, evanescunt plane inspectis diplomatarii mei tabulis, in quibus ipsum stirpis Krawařeae, Otakaroque defuncto viris ei amicissimis et postea ejus filio Wenceslao ipsi familiarissimum, capitaneum autem Moraviae fuisse, nusquam legimus.

Fabulae quoque de *Opaviensi* provincia, quam quondam Polonicum ducatum fuisse, fere omnes historici tradunt, meo diplomatario refelluntur, in quo ab anno 1031—1261 fere centenae literae luculentissime probant, Opaviense territorium Moraviae provinciam fuisse, donec a. 1261. ab Otakaro ab hac separatum et filio notho Nicolao patrimonium designatum fuit.

Simili modo, quae de *Quadorum* in ducatu Opaviensi reliquiis in historiis legimus, somnia sunt habenda. Teutonorum fere omnes coloniae et locationes, quo tempore initium ceperint, diplomatice demonstrari possunt. Primas quidem Břetislaus, Moraviensis dux, ante annum 1030. ad fluvios *Odram* et *Opam* locavit; multo plures ineunte sec. XIII. fratres domus Teutonicae, tum monachi Welehradenses et Wladislaus, marchio Moraviae; longe plurimas vero Bruno, episcopus Olomucensis, comes de Schaumburg, e provinciis episcopatus Mindensis, ex Oldenburg et Schaumburg accivit, in provinciaque Opaviensi et Preroviensi considere fecit terrisque infeudavit.

Reperiuntur inter Teutonos, quibus Bruno feuda contulit, nobiles *de Emse, de Dasle, de Ginst, de Ronberg, Spenchowe, Stange, Schowenburg, de Turri (Helembertus, camerarius prius episcopatus Mindensis), de Vulmen (Vulmenstein, Füllstein — e quibus Herbordus prius Mindensis, postea Olomucensis episcopi dapifer erat) de Vrolenwezen, de Wertingehusen, de Hemenhusen* et alii, — quorum nomina facile cuncta in chartis episcopatus Mindensis et Hamburgensis invenies.

Miranda sane praestantissimi praesulis Brunonis de patria nostra merita certe maxima, cujus cura Moraviae haud exigua pars densis adhuc silvis horrida culta, agricultura fertilior reddita, sedulisque colonis est frequentata; mirandum sane, unius hominis opera et exemplo factum, ut, si vel de novo condita vel moenibus circumdata oppida, sive arces aedificatas, sive pagos in fundo exstirpatarum silvarum locatos numeres, Moraviam intra quadraginta annos sane ducentis habitabilibus locis auctam reperias.

Errant porro, qui usum juris *Magdeburgici* in Moravia exeunte seculo XIII. concessum affirmant, quum civitatem Freudenthal jam anno 1213. eodem jure usam legamus, quod Unčow (Neustadt) anno 1223. ab ipsa recepit.

Quae vero civitates regnante et favente stirpe Přemyslea effloruerint in Moravia, quibus praerogativis, immunitatibus, privilegiis dotatae et ornatae fuerint, longum foret enumerare; eas solummodo nominatim consigno, quarum fundationes sive primordia hic chartarum documentis comprobantur. Sunt vero hae: ***Bsenec***, ***Braunsberg***, ***Eywančic***, ***Frankstadt***, ***Freudenthal***, ***Freywalde***, ***Fulnek***, ***Hodonjn*** (***Göding***), ***Hradec*** (***Grätz ad Opaviam***), ***Hradišt***, ***Hranice***, ***Jamnice***, ***Jaroměřice***, ***Nova-Iglavia***, ***Kremsirium***, ***Litovia***, ***Mohelnice*** (***Müglitz***), ***Opavia***, ***Přjborium*** (***Freiberg***), ***Střelna***, ***Switavia***, ***Switawka***, ***Unčovium*** (***Neustadt***), ***Weidenau***, ***Znoyma*** et aliae.

Quod vero ad sacram Moraviae historiam attinet, sufficiet innuisse, uberrimos mihi fontes *quinquaginta novem* abolitorum per Moraviam monasteriorum in tabulariis, quum eadem per plures annos in ordinem redigerem, ad imum exhaurire benignissime fuisse concessum; sufficietque innuisse, mihi ad tria archiepiscopatus Olomucensis archiva diplomatibus refertissima, videlicet ad archiepiscopale et capitulare Olomucii, nec non ad feudale Kremsirii clementissima indulgentia patuisse aditum. Quanta diplomatum congeries! Quanta manuscriptorum moles! Quanti thesauri hactenus absconditi! Gratuleris tibi perchara Moravia de apertis, quas non opinabare, aurifodinis, e quibus auri grana purissimi eruere, iisque libros fastorum pretiosissime poteris exornare! Quis mecum non miretur videns, ex tabulariis Olomucensibus intra annos **1026 — 1306.** amplius *trecentas* chartas, quarum vix decem hactenus juris publici factae, ad diplomatarium Moravicum accessisse.

Nullum fere est antiquorum Moraviae monasteriorum, cujus diplomata vel omnia, vel saltem quaedam non proferantur. ***Gradicensis***, ***Lucensis***, ***Zabrdowicensis***, ord. Praemonstratensis; ***Welehradensis***, ***Zarensis et Tišnowicensis***, ordinis Cisterciensis, monasteriorum tabularia chartis refertissima supersunt integra in registratura c. r. Gubernii Moravici. ***Oslowanensis*** quoque parthenonis, ordinis Cisterciensis, diplomatum, quae scriptores patrii tumultibus Husiticis deperdita putabant et lugebant amplius octoginta e seculo XIII. produco. Archivum enim monasterii ejusdem numerosissimum atque integerrimum hodiedum exstat partim in eadem registratura, partim in curia civitatis Brunae, in qua posteriori etiam maxima pars tabularii ***Daubrawnicensium*** canonicarum, ordinis s. Augustini, asservatur. Ejusdem ordinis ad *s.* ***Petrum,*** postea ad *s.* ***Jacobum*** Olomucii monialium literae omnes in archivo capituli Olomucensis delitescunt. Ejusdem quoque ordinis parthenonis, ***Cellae castitatis s. Mariae Brunae,*** diplomata licet dispersa, tamen omnia adsunt in archivo aulico Vindobonae et in registratura Gubernii Moravici. Praepositura *s.* ***Hyppoliti ad Znoymam,*** hospitalis crucigerorum cum rubea stella, archivum servat illaesum. Plures quoque literas coenobii ***Smilheim Wizowicii,*** ordinis Cisterciensis, ex archivis monasterii Welehradensis, cujus filia fuit, atque archiepiscopali Kremsirii proferre licuit; item aliquot parthenonum in ***Kaunic (Kanitz),*** *in* ***Kyritein*** *et* ***Neo-Reusch,*** ordinis Praemonstratensis, et claustri *s.* ***Coronae ad Krasikow (Budigsdorf),*** eremitarum s. Augustini, nec non praepositurae, ordinis s. Benedicti, *in* ***Luh (Kumrowitz)*** ad Brunam, — quorum diplomatum unum alterumve frustra quaeritur typis excusum.

In Moravia quoque detexi archivum coenobii antiquissimi ***Litomyšlensis,*** ordinis primitus sancti Benedicti, postea vero Praemonstratensis, cujus tabulae jam a. 1108. attingentes simul plurimae Moravicis adnumerandae sunt. In Moravia detexi quoque magnam partem tabularii abbatiae primae omnium

Břewnoviensis et ejus filiarum praepositurarum in *Rayhrad, Brunow* et *Polic,* in quo tabulae plurimae jam ab anno **1045.** inchoantes delitescebant, quarum monasteria ipsa hucusque neque notitiam, neque memoriam ullam habent.

Nolo quoque silentio praeterire, alia etiam Boemicorum coenobiorum archiva, videlicet canonicorum sancti Augustini *Landskronensium,* eremitarum sancti Augustini *Litomyšlensium,* et carthusiae *Tržecensis ad Litomyšlium* sitae, integra in Moravia servari, e quibus nonnullas seculi **XIII.** literas diplomatario meo inserere non praetermisi.

Chartas templariorum, sive fratrum militiae templi, licet sint rarae, tamen aliquot adfero, quae in Pelzelii tractatu de eodem ordine desiderantur.

Quae de ordine fratrum hospitalis s. Joannis Hierosolymitani colligere potui, concernunt commendas Moravicas *Eywanowicii sive Orloviensem, Gröbnicensem, postea Hlubčicii (Leobschitz), Tišnovicensem, Kaunicensem et Antiquo-Brunensem,* earumque dotes *Znoymae, Iglaviae, Křižanovii, et in Erdberg* et aliorum complurium locorum.

Fratrum sanctae Mariae Teutonicae domus per Boemiam et Moraviam plurima documenta Millauer in historia ejusdem ordinis typis edidit. Tanto igitur gratiora mea haud pauca additamenta erunt, quanto accuratius iisdem tempus primitiarum ejusdem ordinis in regno Boemiae definitur. Legimus enim eosdem jam (**1191—1192**) a Conrado, duce Boemiae, accitos, possessionibusque et immunitatibus ditatos esse. Commendas quoque sec. **XIII.** habuerunt praeter *Iglaviensem et Opaviensem Hostěradicii (Hosterlitz), Nausedlicii (Austerlitz), et Krumlovii in Moravia, et Karnoviae (Jägerndorf) in ducatu Opaviensi.*

Memoratu quoque dignum, etiam cruciferos s. Spiritus, dictos de Sassia, hospitium *Litoviae* in Moravia incoluisse. Adducti sunt ab Otakaro II. Vindobona, dum civitatem post vastationem Tartarorum de novo aedificavit, et resederunt ibidem ultra annos trecentos. Chartae eorum, hactenus plane incognitae, delitescebant absconditae in tabulario ejusdem civitatis.

Quod autem omnium maxime doleo, est, quod tabularium antiquissimae abbatiae *Třebičensis,* ordinis s. Benedicti, ejusque filiarum, videlicet praepositurarum in *Luh (Kumrowitz)* et *Měřjn (Wolein),* licet summa cum diligentia rimatus sim, me plane fugerit, mihique ne indicium quidem, neque divinatio, ubi delitescat, obtigerit. Si quis itaque certi aliquid de archivo hoc habeat, precibus eum quam ferventissimis non possum non exorare, ut notitiam suam notam publice facere non moretur, sibique persuadeat, non modicum grati populi amorem hac ratione esse consecuturum.

Jam de diplomatario ipso perpauca liceat scribere. Seculo IX. et XI. e scriptoribus coaevis ea notanda in diplomatario censui, quae aut modum actionis diplomaticae, quae tabulis publicis firmari solet, prae se ferunt, aut quae ad epistolas et literas publicas referuntur; forsitan tabulae ipsae aliquando ex obscuro producentur.

Fontes ipsos, e quibus depromere licebat, omnes ingenue nomino, consummatoque opere planius uberiusque explicabo, atque recensum diplomatarii adaptare nequaquam praetermittam. Quae autem mecum a viris patriae amantissimis humane sint communicata, suis locis nomine indicantur, pro quibus a re ipsa gratias persolvo maximas, a persona mea officiosissima obsequia spondeo ac polliceor.

Ceterum nunc clementissimos mihi, generosissimique animi Maecenates, quibus faventibus et protegentibus, humanissimosque viros, quibus adjuvantibus tantam literarum publicarum molem congerere fas erat, cum gratissimi animi significatione publice nominare audeo, ut sciat ipsa Moravia, quibus viris quid debeat, eorumque memoriam gratae servet posteritati. Sunt enim iidem: **Excellentissimus ac Illustrissimus Dominus, Dominus Carolus Comes de Inzaghi**, sacrae c. r. Majestatis intimus Consiliarius, et c. r. Aulicus Cancellarius, pro tunc Moraviae Gubernator; **Reverendissimus ac Celsissimus Princeps et Dux, Dominus Dominus Ferdinandus Maria e Comitibus Chotek, Archiepiscopus Olomucensis; Reverendus ac Illustris Dominus, D. Antonius L. B. de Rolsberg, Rector** perpetuus infulatus ad sanctam Annam, Capituli Olomucensis Canonicus, Archivarius atque Bibliothecarius, necnon **Dominus Antonius Möller**, archivi monasteriorum Moraviae abolitorum custos registraturaeque c. r. Gubernii Moravici Director.

Denique ad cunctos viros literatos historiaeque studiosos confugio, precibusque ferventissimis exoro, ut, si qua in hoc diplomatario omissa invenerint, ea aut publici juris facere, aut mecum benignissime communicare, minime retardent, arbitrati, rem bonam bonos cunctis ac junctis viribus adjuvare debere.

Scripta **Olomucii** mense Januario, **1836**.

I.

Primum vestigium christianitatis in terris cis Danubium, conversa nimirum Fritigil, Marcomannorum regina. 396.

Per idem tempus *Frigitil* (sic-alias *Fritigil*) quaedam regina *Marcomannorum*, cum a quodam christiano viro, qui ad illam forte de Italiae partibus advenerat, referente sibi audiret famam viri, Christo credidit, cujus illum servulum recognoverat, missisque Mediolanum muneribus ad ecclesiam per legatos postulavit, ut scriptis ipsius, qualiter credere deberet, informaretur. Ad quam ille epistolam fecit praeclaram in modum catechismi, in qua etiam admonuit, ut suaderet viro, Romanis pacem servare: qua accepta epistola, mulier suasit viro, ut cum populo suo se Romanis traderet. Quae cum venisset Mediolanum, plurimum doluit, quod sanctum sacerdotem, ad quem festinarat, minime reperisset; jam enim de hac luce migraverat.

E vita s. Ambrosii a Paulino ejusdem sancti notario ad b. Augustinum conscripta. Vid. appendix ad opera s. Ambrosii editione Bened. s. Mauri Parisiis p. X. n. 36.

II.

Symachus papa confert Theodoro, Laureacensi archiepiscopo, Pannoniae superioris usum pallii, metropolitanae dignitatis insigne cc. 504.

Symachus, sanctae apostolicae sedis gratia Dei episcopus, reverendissimo et sanctissimo fratri *Theodoro s. Laureacensis* ecclesiae archiepiscopo. Diebus vitae tuae pallii vsum, quem ad sacerdotalis officii decorem, et ad ostendendam vnanimitatem, quam beato Petro apostolo vniversus grex dominicarum ouium, quae ei commissae sunt, habere dubium non est, ab apostolica sede, sicut decuit, poposcisti; quod, vtpote ab eisdem apostolis fundatae ecclesiae, maiorum more libenter indulsimus, ad ostendendum te magistrum et archiepiscopum, tuamque sanctam Laureacensem ecclesiam prouinciae Pannoniorum sedem fore *metropolitanam.* Idcirco pallio, quod ex apostolica charitate tibi destinauimus, quo vti debeas secundum morem ecclesiae tuae, sollerter admonemus, pariterque volumus, vt intelligas, quia ipse vestitus, quo ad missarum solennia ornaris, signum praetendit crucis, per quod scito te cum fratribus debere compati, ac mundialibus illecebris in affectu crucifigi. Vnde ergo cum de foris huiusmodi insignio indueris, intus in animo considera, quod hoc sit magis oneris, quam honoris; atque cor tuum, Deo regente, ab appetitu istius saeculi sic tempera, vt et commissam exequi gubernationem studeas, et adeptae dignitati, cuius sublimaris officio, et probitate morum, et viuacitate sollicitudinis, ac custodia integerrimae fidei congruas, quatenus tu ipse a remuneratore omnium bonorum Deo et benedictionis gratiam, et vitam aeternam consequi merearis. Amen.

Ludewig Scriptor. Fol. II. Goldast in appendice Commentarii rer. Bohem. — Lambecius Comment. bibl. Vindob. II. Fejér cod. dipl. Hungariae T. I. p. 123.

III.

Zacharias papa — Bonifacio archiepiscopo auctor est, ut census a Slavis christianorum terram inhabitantibus exigatur. 4. Nov. 751.

Ex epistolis s. Bonifacii apud Serarium n. 142. apud Würdtwein 87.

IV.

Karolus Magnus Fastradae conjugi suae victoriam, quam de Avaris adeptus est, literis nuntiat. cc. 791.

Baluz Capit. reg. Francor. I. ad ann.

V.

Leo papa III. Arnonem, Salisburgensem archiepiscopum constituit, eique Pannoniam, sede Laureacensi per Araros eversa, ac Patavium translata, subjicit. 798.

Dilectissimis nobis Alim, ecclesiae Saboniensis, seu Attoni, ecclesiae Frisingiae, Adlwino, ecclesiae Reginensis, nec non Waltrico, ecclesiae Patauiensis, et Simberto ecclesiae Niwenburgensis, prouinciae Boioariorum, episcopis Leo, seruus seruorum Dei. Dilectionis vestrae, quas nobis petitorias emisisti syllabas, libenti suscepimus animo; in quibus ferebatur, vt in prouincia vestra Boioariorum archiepiscopum ordinaremus, quo prouincia ipsa mirifice a filio nostro Carolo, excellentissimo rege Francorum et Longobardorum, patricio Romanorum, penitus ex omni parte, sicut decuit, ordinata est. Idcirco conuenit, nos ipsos, nempe ecclesiastico moderamine in sacro ordine fideliter atque spiritualiter secundum censuram canonicam ipsam ordinare Boioariorum prouinciam. Et quia Deo auspice reperientes virum almificum, et in scripturis diuinis peritissimum, et in omnibus misericordissimum, spiritualibus moribus comprobatum, vna cum consensu, et voluntate praedicti filii nostri, domini Caroli, praecellentissimi regis, vobis ordinauimus, secundum sanctiones patrum archiepiscopum, videlicet *Arnomen,* ecclesiae *Juuauensis,* quae et Petrina nuncupatur, quae in honore b. Petri, principis apostolorum, venerabiliter est consecrata; ibique requiescit corpus sacri pontificis Rudberti, vna cum venerabilibus suis sodalibus, scilicet Chunaldo et Gisilario, quorum corpora ibidem a fidelibus honorantur. Qui dudum vester fuit coepiscopus, nunc autem frater et coepiscopus noster, vester autem archiepiscopus; et venerabilem sedem eius metropolitanam habentes, ad quam sancto Arnoni, archiepiscopo vestro, vsum pallii tribuentes, dedimus in mandatis, vt secundum canonicas institutiones omnibus ecclesiis superius nominatis in diœcesibus illi subiectis, canonice valeat adminiculum impartiri, vt in futuro examine ante tribunal Christi liberaliter valeat audire: **Euge serue bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.** Bene valete. Anno tertio, atque domini Caroli, excellentissimi domini regis Francorum et Longobardorum, et patricii Romanorum, a quo cepit Italiam, anno XXV; indictione sexta.

Hansiz Germ. sacra II. p. 106. — Fejér Cod. dipl. Hung. I. 147.

VI.

Alcuinus scribit ad Arnonem, archiepiscopum Salisburgensem, ad convertendos Avaros et Slavos in Pannonia profecturum. 798.

Charissimo vnanimique amico, Aquilae superspeculatori, in Christi charitate salutem. Quarta feria post sanctam Pentecosten literas tuae beatitudinis accepi, charitate conscriptas, fide sigillatas; in quibus, sicut optaui, audiui, sicut speraui, agnoui; nec spes fefellit consilii, nec societatis cooperatio retardauit. Vestrum vero iter ad probandam rei veritatem modo in praesentia dispositum est; fortitudo vero exercitus, qui tecum vadit, ad cautelam et defensionem vestri directa est. Et hoc consilium quodammodo ab ipsis processit Hunnis; et ideo in spe voluntatis Dei laetus hoc iter perage. Nos vero te, donante Deo, in pace cum certo consilio reuertentem spectemus, in his, ita vt aestimo, regionibus. Obsecro, ut mox te redeunte dilectionis tuae literas dirigas nobis, vt curiositas nostra certitudinem rerum per tuum intelligat consilium. Regnum itaque illud diu stabile fuit et forte; sed fortior eis, qui vicit illud, in cuius manu sunt omnes regum et regnorum potestates; et quaecunque voluerit, exaltat, et cuiuscunque cor voluerit visitat, illuminat, et ad suum conuertit seruitium; et si illius gratia respicit super regnum Hunnorum, quis est, qui se subtrahere audeat ministerio salutis eorum? Pauci nobis restant dies huius vitae, et valde desiderandum est, Deique misericordia deprecanda toto corde, vt illi in opere Dei firmentur, quia plus vnius cuiusque nostrum de fine iudicatur, quam initio. In peccatis nascimur, sed gratia renascimur; quae nos in bono opere currentes comitetur, et vsque ad finem firmum perseuerare faciat. Tu vero, pater sancte, amice fidelis, frater dilecte, fili charissime, cum prosperitate bona, diuina tecum comitante gratia, perge in opus Dei, et cum gaudio reuertere ad nos; esto praedicator pietatis, non decimarum exactor; quia nouella apostolicae pietatis lacte nutrienda est, donec crescat, conualescat, et roboretur ad acceptionem solidi cibi. Decimae, vt dicitur, Saxonum subuerterunt fidem. Quid imponendum est iugum ceruicibus idiotarum? quod neque nos, neque fratres nostri sufferre potuerunt. Igitur in fide Christi salvari animas credentium confidimus. Vade modo, dilectissime frater, in benedictione Dei, et consolatione Spiritus. Sancti. Albinus tuus est tecum in corde, quem vtinam habeas cito socium in opere Dei! Nos matriculares pro te orare non cessamus, quatenus diuina te vbique praeueniat et subsequatur gratia, et cum multiplici pii operis fructu reuertaris ad nos. Bonos et religiosos tecum habes socios, in quorum ore et conuersatione nomen Domini Jesu glorificetur. Nos semper suspensi erimus de reditu tuo, donec videamus, quem amamus, amplectamur manibus, quem corde desideramus. Tertiam vero partem de laboribus tuis per singula loca seu episcopatus, seu monasterii, concessit tibi rex in eleemosynam tuam tradere, si dies tuus tecum prosequetur in via, et hoc indiculis confirmari praecepit. Ecce deficiente chartula, non charitate, pennam deponimus, haec salutationis verba tantummodo subnectentes: Viuas Deo feliciter, vadas, et proficiscens floreas in opere Dei, et tecum vbique euntem, et redeuntem summi regis dextera protegat et defendat, venerande, dilectissime et dulcissime.

Alcuini Epistolae CIV. — Fejér I. 149.

VII.

Karolus Magnus Capcano principi Hunorum propter infestationes Slavorum novas sedes concedit. 805.

Non multo post *Capcanus* (Caganus), princeps Hunorum, propter necessitatem populi sui imperatorem adiit, postulans sibi locum dari ad habitandum inter Sabariam et Carnuntum, quia propter infestationem *Sclavorum* in pristinis sedibus esse non poterat. Quem imperator benigne suscepit — erat enim Capcanus christianus, nomine *Theodorus* — et precibus eius annuens muneribus donatum redire permisit.

Pertz Monumenta Germaniae T. I. in annal. Eginhardi ad ann.

VIII.

Capitulare Karoli Magni de negotiatoribus ad partes Slavorum et Avarorum proficiscentibus. m. Dec. 805.

Capitulare Karoli Magni. II. De negotiatoribus, quousque procedant. De negotiatoribus, qui partibus *Sclauorum* et *Ararorum* pergunt, quousque procedere cum suis negotiis debeant, id est partibus Saxoniae vsque ad Bardaenowic, ubi praevideat Hredi; et ad Schezla, ubi Madalgaudus praevideat; et ad Magadoburg praevideat Aito. Et ad Erpesfurt praevideat Madalgaudus et ad Halazstat praevideat item Madalgaudus. Ad Forcheim, et ad Breemberga, et ad Regenisburg praevideat Audulfus, et ad Lauriacum Warnarius. Et ut arma et brunias non ducant ad venundandum. Quod si inuenti fuerint portantes, omnis substantia eorum auferatur ab eis, dimidia quidem pars partibus palatii, alia vero medietas inter missum et inventorem dividatur.

Pertz Monum. Germ. Tom. III. p. 133.

IX.

Karoli Magni capitulare de patria contra Avaros, Bohemos et Sorabos defendenda. Aquisgrani. cc. Mart. 807.

Si partibus Hispaniae, sive *Avariliae* (Avariae) solatium ferre fuerit necesse praebendi, tunc de Saxonibus quinque sextum praeparare faciant. Et si partibus *Beheim* fuerit necesse solatium ferre, duo tertium praeparent. Si vero circa Surabis patria defendenda necessitas fuerit; tunc omnes generaliter veniant.

Pertz Monum. Germ. III. p. 149.

X.

Karolus Magnus exercitum adversus Moravos mittendum decernit. Aquisgrani. 811.

Imperator Karolus placito generali secundum consuetudinem Aquis habito in tres partes regni sui totidem exercitus misit, unum trans Albiam in Linones . . . , alterum in Pannonias ad controversias Hunorum et *Sclavorum* finiendas; tertium in Britones . . .

Pertz Monum. Germ. I. in annal. Eginhardi ad ann.

XI.

Karolus Magnus controversiam inter Hunnos et Moravos decidit. Aquisgrani Novembri 811.

Karolus imperator circa medium Novembrium Aquas venit. Fuerunt Aquis adventum eius expectantes, qui de Pannonia venerunt, Canizauci, princeps Avarum, et Tudun et alii primores ac duces *Sclavorum* circa Danubium habitantium, qui a ducibus copiarum, quae in Pannoniam missae fuerunt, ad praesentiam principis iussi venerunt.

Pertz Monum. Germ. I. in annal. Eginhardl ad ann.

XII.

Karolus Magnus confert ad petitionem Geroldi comitis monasterio de Altaha quadraginta mansos in Avaria. Actum Aquisgrani. dt. VI. Kal. Decembr 811.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Karolus, serenissimus augustus, a Deo coronatus, Magnus, pacificus imperator, Romanorum gubernans imperium, qui et per misericordiam Dei rex Francorum et Longobardorum. Quicquid enim amorem omnipotentis Dei ad loca sanctorum venerabilium pro mercedis animae nostrae augmento concedimus, vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad aeternam beatitudinem pertinere confidimus. Igitur notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, praesentium scilicet et futurorum; quoniam nos de eleemosyna nostra ad deprecationem *Geroldi* comitis, fidelis nostri, cedimus, atque confirmamus ad Monasterium s. Mauritii, quod est situm in ducatu Boioariorum in loco nuncupante Altaha, vbi *Orulphus* rector praeesse videtur, locum quemdam in *Auaria,* ubi Bielaha fluuius Danubium ingreditur. Est autem aestimatio istius loci quasi XL mansorum; qui locus sub omni integritate partibus memorati monasterii per hanc nostrae auctoritatis largitionem et confirmationem perpetuis temporibus proficiat in augmentis. Praecipientes ergo iubemus, vt nullus quilibet fidelium nostrorum memorato *Orulpho* abbati vel successoribus eius, aut monachis in memorato monasterio vitam degentibus vllam inquietudinem, aut calumniam, aut deminorationem de praedicto loco vllo vnquam tempore facere praesumat; sed perpetuis temporibus per hoc nostrae auctoritatis praeceptum vel largitatis donum robustissimo iure pars ipsius monasterii teneat atque possideat. Et vt haec praeceptio nostra et confirmatio nostris, vel futuris temporibus melius conseruetur, de annulo nostro subter sigillare iussimus. Data VI. Kal. Decembris, anno XI. propitio imperii nostri XII. regni vero in Francia XLVIII. atque XXXVII. in Italia; indictione quinta. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Monum. Boica XI. 101. Fejér I. 151.

XIII.

Karolus Magnus controversiam de limitibus inter archiepiscopos Aquilejensem et Salisburgensem ita decidit: ut Salisburgensis teneat Karinthiam et Pannoniam. Actum Aquisgrani dt. XVIII. Kal. Junii 812.

In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Carolus, serenissimus augustus a Deo coronatus, Magnus, pacificus imperator, Romanorum gubernans imperium, qui et per misericordiam Dei rex Francorum et Longobardorum. Notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini praesentium et futurorum, qualiter viri venerabiles, Vrsus, sanctae Aquilegiensis patriarcha, et *Arno, Juuauiensis* ecclesiae archiepiscopus, ad nostram venientes praesentiam non minimam inter se habuerunt contentionem de Carantana prouincia, quod ad vtriusque illorum diœcesim pertinere deberet. Nam Vrsus patriarcha antiquam se auctoritatem habere asserebat, et quod tempore, antequam Italis a Longobardis fuisset inuasa, per synodalia gesta, quae tunc temporis ab antecessoribus suis Aquilegiensis ecclesiae rectoribus agebantur, ostendi posse praedictae Carentanae prouinciae ciuitates ad Aquilegiam esse subiectas. Arno vero episcopus asserebat, se habere auctoritatem pontificum sanctae Romanae ecclesiae, Zachariae, Stephani et Pauli, quorum praeceptis et confirmationibus praedicta prouincia tempore antecessorum suorum ad *Juuauiensis* ecclesiae diœcesim fuisset adiuncta. Nos autem audita, atque discussa eorum contentione, vt in vnam eos charitatem et concordiam reuocaremus, et vt in futurum tam inter ipsos, quam et successores eorum omnis controuersia atque disceptatio fuisset penitus ablata, praedictam prouinciam Carantanam ita inter eos diuidere iussimus, vt Drauus fluuius, qui per mediam illam prouinciam currit, terminus ambarum diœcesium esset, et a ripa australi ad Aquilegiensis ecclesiae rectorem, ab aquilonari vero ripa ad *Juuauiensis* praesulem ipsius prouinciae pertineret. Ecclesiae vero, quae in vtraque ripa fuissent constructae, ubicunque possessiones suas iuste sibi collatas habere noscerentur, absque contradictione et contentione ambarum partium haberent; quia compertum habemus, quod quaedam ecclesiae in vna ripa fluminis praedicti sunt constructae. Hac igitur definitione promulgata a nobis praecipimus atque iubemus, ut inter praesentem virum venerabilem, Maxentium videlicet, qui in locum nuper viri venerabilis Vrsi patriarchae surrogatus est, et Arnonem virum venerabilem *Juuauiensis* ecclesiae archiepiscopum decernere in futurum nulla controuersia, aut quaestio moveatur; sed contenti sint et ex utraque parte nostro iudicio, quod inter eos secundum rectitudinis normam propter charitatem et pacem, quae inter tales viros decet, conseruandam iudicauimus. Neque enim iustior nobis super huiusmodi disceptatione sententia proferenda videbatur, quam vt diuisio inter eos illius prouinciae fieret, cuius ambo se auctoritatem habere asserebant: quia nos eorumdem auctoritatem nequaquam falsam, neutiquam infirmam facere volumus; quia vna antiquitate, altera sanctae Romanae ecclesiae sublimitate praecellebat. Hanc nostrae auctoritatis iussionem, vt maiorem per tempora vigorem sortiretur, firmiorque ab iis, qui post nos futuri sunt, hominibus haberetur, more nostro eam subscribere, et de bulla nostra iussimus sigillare. Datum XVIII. Kal. Junii, anno XI. Christo propitio imperii nostri, XLII. regni nostri in Francia, atque XXXVII. in Italia; indictione quarta. Actum Aquisgrani palatii, in Dei nomine feliciter. Amen.

Hansiz. Germ. sac. II. 120. Fejér I. 153.

XIV.

Bohemi et Slavi, qui ab orientali parte Boioariae sunt (Moravi) in divisione imperii Ludovico, Ludovici imperatoris filio, attribuuntur. 817.

In nomine domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi. Hludowicus, diuina ordinante providentia imperator augustus. Cum nos in Dei nomine anno incarnationis Domini octingentesimo, septimo decimo, indictione decima, annoque imperii nostri quarto, mense Julio, Aquisgrani palatio nostro more solito sacrum conuentum et generalitatem populi nostri propter ecclesiasticas vel totius imperii nostri utilitates pertractandas congregassemus ... Caput II. Item: Hludowicus volumus ut habeat Boioariam et Carentanos, et *Beheimos, Avaros* atque *Sclavos,* qui ab orientali parte Boioariae sunt, et insuper duas villas dominicales ad suum servitium in pago Nortgaoe Luttraof et Ingoldesstat.

Pertz Germ. Mon. III. p. 198.

XV.

Rinharius *(Reginarius, episcopus Patariensis, apostolus Moravorum dictus) baptizat omnes Moravos.* 818.

Bernardi Norici Chron. Laureac. in Pez Script. rer. Austr. I. 1304. — cfr. 818. Illo etiam tempore rex Sclavorum cum tota familia sua baptizatus est in Moguntia. — Pez Script. rer. Austr. I. col. 211.

XVI.

Ludovicus imperator legationes Slavorum, inter quos et Moravorum, audit. Franconofurd. 822.

Ludowicus imperator peracta autumali venatione trans Rhenum ad hiemandum in loco, qui Franconofurd appellatur, profectus est, ibique generali conventu congregato necessaria quaeque, ad utilitatem orientalium partium regni sui pertinentia, more solemni cum optimatibus, quos ad hoc evocare iusserat, tractare curavit. In quo conventu omnium orientalium Slavorum, id est Abodritorum, Soraborum, Wiltzorum, *Beheimorum, Marvanorum,* Praedenecentorum, et in Pannonio residentium Avarum legationes cum muneribus ad se directas audivit.

Pertz Germ. Mon. I. in annal. Eginhardi ad ann.

XVII.

Theodoricus, comes terminalis, adjudicat monasterio Monsee silvam quandam in pago Atargauue et in loco, qui dicitur Pirchinwanc. 823.

Hormayrs Taschenbuch 1813 p. 39. e chron. Lunaelac. p. 57. —

XVIII.

Ludovicus imperator bona in Avaria et Hunnia, a Karolo Magno ecclesiae Patavinae, olim Laureacensi, donata, ad eandem revocat confirmatque. Act. Franconofurti dt. III. Kal. Julii 823.

In nomine domini Dei, et salvatoris nostri Jesu Christi. Hluduuuicus, diuina ordinante prouidentia imperator augustus. Nullum fidelium nostrorum ambigere credimus, qualiter domnus et genitor noster beatae memorisae piissimus imperator Karolus regnum *Hunorum* suae ditioni non sine magno procliorum labore subiugauerit, et homines terrae illius cultui christianae religionis mancipauerit, in tantum, vt etiam in eadem prouincia multas ecclesias ob dei reuerentiam et renouari, et a fundamentis construi faceret. Tum Dei iussu super devastatione et inopia Patauiensis episcopatus misericordia motus, plus coeleste, quam terrestre lucrum desiderans, quaedam loca ad eandem ecclesiam sancti Stephani protomartiris Christi, in qua sanctus Valentinus corporaliter requiescit, ubi tunc Vualdricus venerabilis episcopus praeerat, tradidit, hoc est in prouincia *Auarorum* quendam locum, qui vocatur *Litaha, et in terra Hunorum Zeizzinmurum, Tresmam, Vuachouuam, Pelagum, Nardinum, Reode, Asbahe, Vuoluesvuanch, Erlafam,* et *in Artagrum basilicas duas* et in *Saxina* basilicas duas. Sed postquam domnus et genitor noster piae memoriae Karolus imperator defunctus est, marchiones eius prouinciae de episcopatu eadem loca alienare, et eorum potestati subdere conati sunt. Cum autem Reginharius episcopus efectus est, deuitans discordiam et litem Gotafredum marchionem et iudices illius prouinciae in praesentiam nostram fecit venire; nos vero iusta lege, et iudicio totius populi, iuxta traditionem praedicti imperatoris loca superius nominata ad praedictam sedem pertinere debere decreuimus. Tunc memoratus episcopus nostram imploravit clementiam, vt aliquam futurae securitatis a nobis acciperet firmitatem, quo iam dicta loca liberius firmiusque pontifices eiusdem sedis tenerent; quod ita et nos fecisse omnium fidelium nostrorum cognoscat industria. Proinde nostra imperiali auctoritate iubemus, vt praedicta loca, idest: Litaha iuxta fontem, qui vocatur Sconibruno, cum omni integritate, sicut Theodoricus habuit in sua potestate, et Zeizzimurus cum tali marcha, ut genitor noster Karolus decreuit, hoc est ab illo castello in orientali plaga adusque pendentem lapidem in ora montis Comageni, et in australi vsque ad Chunihohesstetin. In occidentali autem vsque ad aceruos sitos inter Tullanam et ipsum castellum et ultra Danubium ad Trobinse, et exinde ad Mochinleo et usque ad Zinbure et Treisma cum omni integritate. Similiter Vuachouua et cetera omnia loca, quae praescripta sunt, rectores eiusdem ecclesiae cum omnibus ad eam pertinentibus cultis et incultis agris, pratis, pascuis, siluis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, venationibus, molendinis, exitibus et reditibus quaesitis et inquirendis, totum et integrum absque ulla contradictione teneant atque possideant; et quidquid illis exinde facere libuerit iure ecclesiastico libero perpetualiter in omnibus potiantur arbitrio; et si quis haec infringere temptauerit, exinde reddet rationem in die iudicii. Et ut haec auctoritas pristinae traditionis, et nostrae confirmationis inconuulsa et inuiolabilis permaneat manu propria subter firmauimus, et annuli nostri impressione sigillari iussimus.

Signum Hludouuici piissimi imperatoris. Simeon diaconus et cancellarius ad vicem Fridegisi archicapellani recognoui et subscripsi. Data anno dominicae incarnationis DCCCXXIII; indictione I. IIII. Kalend. Julii. Regnante domino Hludouuico anno X. feliciter. Actum Franconofurt in palatio. In Dei nomine. Amen.

Hormayr Geschichte Wien's II. Jahrgang III. B. Urk. p. CLXXXIII. IV. — Fejér T. I. 155.

XIX.

Eugenius II. papa Vrolfum, Laureacensem praesulem, qui Avaris in Pannonia et Slavis in Moravia evangelium magno cum fructu praedicavit, in jura ac dignitatem archiepiscopalem restituit, suoque ornat vicariatu.

824 — 826.

Eugenius episcopus, seruus seruorum Dei, Rathfredo, sanctae Fauianensis ecclesiae, et Methodio, Speculi Juliensis, quae Soriguturensis nuncupatur, atque Alewino, sanctae Nitrauiensis ecclesiae, parique modo Annoni, sanctae Vetuarensis ecclesiae episcopis, simul etiam Tuttundo, nec non *Moymaro,* ducibus et optimatibus exercitibusque plebis Hunniae, quae et Auaria dicitur, et *Morauiae.* Cum audiuimus christianissimam conuersationem vestram, et sanctae fidei bonorumque operum vestrorum processum, summo gaudio atque laetitia sumus exhilarati; quia diuina in vobis operante clementia, vt ait apostolus, vbi habundauit delictum, ibi superabundat gratia, utque quod s. Dei ecclesia nostris temporibus quotidianum in electione vestra suscipit incrementum. Cuius optabilis rumoris index fuit reuerendissimus *Vrolfus,* sanctae Laureacensis ecclesiae archiepiscopus, et sanctissimus frater noster, vester autem spiritualis pater, qui per suam sanctam praedicationem adoptiuos Deo vos genuit filios. Itaque ad apostolorum limina orationis causa veniens nouam ecclesiam nostris benedictionibus informandam subnixe commendauit, quia Domino auxiliante catholice gubernandam in vestris partibus suscepit. In quibus etiam quondam Romanorum quoque, Gepidarumque aetate, vt lectione certum est, in septem ecclesiarum parochias antecessores sui iure metropolitano obtinuerunt diœcesim. Qua ex iustitia et lege praefatus Deo dignissimus archiepiscopus debito obligatur, vt illi terrae prius christicolae, atque suorum antiquitus antecessorum creditae prouidentiae, quam nunc vos Dei omnipotentis occulto mediante iudicio, velut hereditariam possidetis, ipse euangelicus agricola, diu negata coelestis spargat vitae semina, atque in lucrandis Christo animabus rediuiuam de vobis nutriat segetem. Quem nos doctissimum diuini oraculi ministrum saluti vestrae cognoscentes per omnia necessarium fide ac exemplo probatum, merito erga illum apostolicam seruantes sententiam, qua dicitur: Quomodo credent sine praedicante? aut quomodo praedicabunt, nisi mittantur? ab hac sancta Romana matre ecclesia vobis eum rectorem transmisimus, atque in praefatis regionibus Hunniae, quae et Auaria appellatur, sed et Moraviae, prouinciarum quoque Pannoniae, siue Mesiae apostolicam vicem nostram et dioecesim, atque ius ecclesiasticum exercendi, et vsum ac potestatem antecessorum suorum, videlicet sanctae Laureacensis ecclesiae archiepiscoporum, sibi successoribusque suis canonica auctoritate committimus, atque huius constitutionis nostrae decretum subscriptionis priuilegio roboramus. Pallium praeterea iuxta consuetudinem antiquam sanctitati suae dedimus, quod ita sibi concessimus, sicut praedecessores nostri suis praedecessoribus concessere, priuilegiorum suorum scilicet integritate seruata. Cuius dilectioni quamuis hoc debito permitteremus, propter vestras autem petitiones super hac re flagitantibus, ad honorem suum nostram apostolicam vicem et auctoritatem insuper accumulauimus, quod nunquam suis permissum est prioribus. Quatenus et vos confratres et coepiscopi deinceps ei reuerentiam ampliorem exhibere sciatis, et in sana doctrina coelestis eruditionis ad aedificationem vestram vt filii sapientes obediatis; atque vos laici primates, et vulgus saluberrimis praeceptis suis, non velut homini, sed tamquam Deo humiliter obtemperetis, et fide catholica, quam per dominum Jesum consecuti estis, fortes permaneatis. Nam totius doli artifex diabolus, cuius dominio et populis in baptismate abrenuntiatis, iacturam et damnum vestrae salutaris surreptionis moleste patitur, ac per varias occassiones zizania insidiae seminando, velut multa inuidia bacchatur, et vt vestrum aliquis terga vertat sanctae professioni. Quapropter saepe dicti archiepiscopi, videlicet pastoris vestri a Deo destinati, institutionibus benignas aures praebete, qui vos et versutiam Sattanae cauere, atque eius externos cruciatus euadere instruit, ac ipse in dei iudicii de bonis operibus vestris seculorum Domino perpetua remunerandos gloria praesentabit. Ad perfectam autem et necessariam eruditionis vestrae salutem, vt comperimus, non sufficiunt pauci, qui modo constituti sunt vobis, episcopi: quia plures sunt adhuc gentilitatis errore ibidem detenti, ad quos propter inopiam praeconum diuini verbi necdum pervenit notitia Christi. Idcirco enim, vt accrescat turba fidelium, studeat solertia vestra pro mercede et remissione peccatorum vestrorum adminiculum et iuuamen praebere reuerendissimo Yrolpho archiepiscopo, quatenus dudum illic constitutorum episcoporum numerus impleatur, qui congrue constituti et vobis posterisque vestris poterunt esse proficui. Si ad restaurationem ecclesiarum propter nomen Domini de possessionibus vestris quos redditus dotesque earum fama diuulgante quondam fuisse noueritis, externam sufficientiam vobis comparantes, eisdem ecclesiis ipsi conferatis, idoneis viris ad hoc ministerium electis; maxime illis locis, si opportunitas et vtilitas commendauerit, ordinentur antistites, vbi indicia ecclesiarum et aedificiorum sedes pontificales olim fuisse demonstrant; sin autem illius arbitrio et deliberatione qui, vel vbi disponantur episcopi, concedimus, cui vicem nostram apud vos ecclesiastici regiminis per omnia commisimus.

E cod. Ms. monasterii Reichersberg. primus integram bullam vulgavit Christ. Gewold 1611 in append. diplom. ad chronicon Reichersperg. unde ceteri plerique (Labbe concil. T. VII. Goldast, Schönsleber, Pessina, Stredowsky, Calles, Hansiz, Pray, Dobner, Fejér) sua hauserunt.

XX.

Ludovicus . . vasallo suo fideli et familiari Oatagero villam Granesdorf prope fluvium Enisa in comitatu *Geroldi* comitis confert. Act. Aquisgrani, dt. mense Decembri, 825.

Hormayrs Taschenbuch 1813. 40. — e Monum. boicis XI. 106.

XXI.

Ludovicus et Lotharius imperatores ad preces Geroldi comitis conferunt monasterio Chremisa possessiones in pago Grunzwili. Act. Aquisgrani; dt. XI. Kal. April. 827.

Ludwicus et Lotharius . . imperatores . . . ad deprecationem filii nostri Ludwici regis Woioariorum et *Geroldi* comitis concessimus . . monasterio . . Chremisa . . quoddam territorium, quod est im pago Grunzwiti iuxta montem Sumerberch, quod usque modo serui vel sclavi eiusdem monasterii ad censum tenuerunt, qui ad partem comitis solvebatur; ubi etiam monachi de prefato monasterio ecclesiam et domos et cetera edificia construxerunt. Quod territorium ita terminatur: Incipit enim ex plaga orientali a Sumerperch, sicut missi Geroldi comitis designaverunt, usque in Draeisma ad locum, qui vocatur Hohoga Plettchin, et inde sursum usque ad territorium episcopatus Patauiensis ecclesie, et exinde ad plagam australem usque in Herribrunnen. Deinde ex parte occidentali usque ad eum locum, ubi Flinsbach exit de silua a parte aquilonis, sicut ipsa silua pergit usque ad iam dictum montem, qui vocatur Sumerperch. Memoratum vero territorium, quantumcunque infra suprascriptam terminationem consistit, salvis tamen proprietatibus liberorum Sclavorum . . monasterio Chremise . . tradimus . . . . Datum XI. Kal. Aprilis, XV. imperii domini Ludowici, et Lotharii VI. indictione VI. actum Aquisgrani. . .

Rettenpacher Annal. Cremifan. p. 31.

XXII.

Ludovicus, Boioariorum rex, limites Salisburgensis archiepiscopatus et Pataviensis dioeceseos definit, decernitque de iure metropolitano in Moraviam et Pannoniam. Act. Reganespurch XIV. Kal. Decembr. **829.**

Ludouicus Germanicus, Ludouici Pii augusti filius, Boiorum rex anno 829. accersiuit Reginoburgam pontificem Salisburgensem Adelramum, et Pataniensem Reginarium: hic exemplo praedecessoris sui Vrolphi volebat esse metropolita Laureacensis (qualis Vrolphus fuerat decreto Eugenii papae); sed Adalramus Leonis III. et Caroli M. definitioni innixus, ius metropolitanum *Juuauiensis* ecclesiae in *Morauiam* et Pannoniam sibi vindicabat. Ludouicus Germanicus, vtroque audito, sententiam hunc in modum tulit: Vt regio, quae ultra Commagenos montes est, inter utrumque antistitem diuidatur; vt aquilonarem occidentalemque oram, qua Spiraza amnis exoritur, et cum altero Spiraza et Arabone confluit, Pataniensis antistes haberet; reliqua orientem et austrum spectantia, procurarentur a Salisburgensi. Actum Reganespurch anno Christo propitio DCCCXXIX. anno XVII. Hludouico imperatore, filio eius Hludouico regnante in Boiaria anno V. XIV. Kal. Decembris, Lun. XVI. indictione VIII. Angelramnus ad vicem Gozbaldi scripsi et subscripsi.

Concil. Germ. T. II. p. 696. — Hansiz Germ. s. T. I. p. 155. — Fejér I. p. 162. — Confer Oefelii Scriptor. in Aventini excerptis dipl. Patav. 704.

XXIII.

Ludovicus, rex Boioariorum, confirmat episcopo Ratisponensi possessiones in provincia Avarorum. Act. Reganesburch. dt. Nonis Octobr. **830.**

In nomine domini Jesu Christi omnipotentis. Hludouicus, diuina fauente gratia rex Boioariorum. Si liberalitatis nostre munere de beneficiis a Deo nobis collatis locis Sanctorum quiddam conferimus, id nobis procul dubio ad eterne remunerationis premia capessenda profuturum liquido credimus. Proinde comperiat omnium sancte Dei ecclesie nostrorumque presentium scilicet et futurorum industria; quia nos pro mercedis nostre augmento sancte Reginisburch ciuitatis ecclesie, que est constructa in honore s. Petri, principis apostolorum, et s. Emmerammi, vbi etiam idem beatissimus martyr Christi corpore quiescit humatus, cui presenti tempore venerabilis Baturicus episcopus auctore Deo preesse videtur, quasdam res proprietatis nostre, que sunt in prouincia Auarorum, vbi locum, vbi antiquitus castrum fuit, qui dicitur Harlungeburch, cum reliquis adiacentiis in circuitu, quarum terminia sunt ab eo loco, vbi Erlaffa in Danubium cadit, sursum per ripam eius fluminis vsque ad locum, qui dicitur Erdgastegi, et ab eodem flumine in orientali parte vsque ad medium montem, qui apud Vuinades Colomezza vocatur, vbi in duabus arboribus euidentia signa monstrantur, et ab eo loco a parte aquilonis vsque in Danubium, et ad meridiem et occidentem per verticem montis, sicut euidentia arborum signa demonstrant, usque ad supradictum locum Erdgastegi. Has itaque res cum Sclauis ibidem commanentibus, cum domibus, edificiis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, siluis, aquis aquarumue decursibus, adiacentiis, peruiis exitibus et regressibus, quantumcumque infra predicta terminia continentur, totum et integrum predicte ecclesie perpetuo ad habendum concessimus et de nostro iure in ius et dominationem eius liberalitatis nostre munere contulimus; ita videlicet, ut ab hodierno die et tempore, quicquid de predictis rebus et mancipiis rectores et ministri memorate sedis ob vtilitatem et commoditatem eiusdem ecclesie facere, vel iudicare voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi, quicquid elegerint. Et vt hec largitionis nostre auctoritas per curricula annorum inuiolabilem atque inconuulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmauimus, et annuli nostri impressione signari iussimus. Data non. Octob. anno XVIIII. imperii domini Hludouici, serenissimi augusti, et anno regni eius VII. indictione XI. actum Reginesburch ciuitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

Pez Cod. Ratisb. p. 16. — Ried Cod. Ratisb. I. p. 26.

XXIV.

Wilhelmus comes confert monasterio s. Emmerami quaedam bona sub testimonio comitis Ratpot. Act. ad Reganesburch, **833.**

Comes *Vuillihelmus*, ut refrigerium anime sue ac perpetue beatitudinis gloriam adquireret, ad s. Emmerammum Dei martyrem omnia, que in Sconheringa, Cheminatum et Purcheim habuit, ea ratione tradidit, ut post obitum suum firmiter ad ipsum sanctum Dei ipsa traditionis causa constaret, si heredem non haberet, et coniux ipsius easdem res in ditione sua teneret, quam diu lectum suum conseruaret. . . Testes eiusdem traditionis isti extiterunt: *Ratpot* comes. Gundpald, Cunipreht, Orendil comites. Heriperht. Crimuni. Madalhelm. ect. . . Baturicus episcopus ipsam traditionem accepit. Factum est hoc ad Reganesburg anno Dominice incarnationis *DCCCXXXIII.*

Pez Thesaur. Anecdot. I. 3. p. 245.

XXV.

Wilhelmus comes confert monasterio s. Emmerami hereditaten suam in Bersnicha. Actum ad Sconinouam monasterium, **834.**

Pez Thesaur. Anecdot. I. 3. p. 241.

XXVI.

Ludovicus rex confert *Reginario,* episcopo Pataviensi, possessionem Kirchbach in provincia Avarorum. Actum in Ostrenhoua; dt. XIV. Kalend. Maji, **836.**

Hansiz Germ. I. 156. — Fejér I. p. 165.

XXVII.

Ralpol comes bona sua ad Tullinam confert monasterio s. Emmerami. Facta Reganesburch, **837.**

Ratpodus comes . . . in presentiam Ludovici regis Reganesbürc venit, et omnia, que ad Tullinam visus est possidere, ad s. Emmerammum nihil extra dimittens tradidit, ita scilicet, ut si heres sibi non nasceretur, post obitum suum statim ista traditionis causa firmiter ad locum sancti Dei constaret. . . In presentia regis et optimatum eius hec traditio facta est, quorum nomina innotescimus. . . *Ernost* comes, Vuerinheri. Timo. Ermfrid. Ratperht. Vto. Vuaning. *Vuillihelm.* Rihheri. ect. Facta est hec traditio in loco supradicto anno Domini *DCCCXXXVII.*

Pez Thesaur. Anecdot. I. 3. p. 245.

XXVIII.

Ludovicus rex confert Privinae, duci Moravorum exuli, possessiones ad Sala flavium in beneficium. cc. **838.**

Lutwicus, rex Baioariorum, *Priwinae (exulato a Moymaro duce Moravorum principi)* rogantibus suis fidelibus Salachone comite et Ratbodo praestitit aliquam inferioris Pannoniae partem in beneficium circa fluvium, quod dicitur Sala.

Anonym. de convers. Boioar.

XXIX.

Ludovicus, Germanorum rex, ecclesiae Wirceburgensi *XIV* ecclesias in terra Sclavorum, Moinwinidorum et Radanzwinidorum, olim jussu Caroli Magni imperatoris constructas, cum dote earum confirmat. Franconofurt **5. Julii 846.**

Orig. in arch. reg. Monachi. Excus. in Monum. Boic. XXVIII. p. 40.

XXX.

Ludovicus rex constituit Rastizen ducem Moravorum. 846.

Hludowicus rex.. circa medium Augustum cum exercitu ad *Sclavos Marahenses* defectionem molientes profectus est, ubi ordinatis et iuxta libitum suum compositis rebus, ducem eis constituit *Rastizen, nepotem Moimari;* inde per Boemanos cum magna difficultate et grandi damno exercitus sui reversus est.

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fuld. ad ann.

XXXI.

Ludovicus rex — collatum beneficium Privinae duci in hereditatem concedit. Actum in Reganespurc IIII. Idus Octobr. 848.

Peruenit ergo ad notitiam Hludwici piissimi regis, quod *Priwina* benivolus fuit erga Dei servitium et suum, quibusdam suis fidelibus saepius ammonentibus concessit illi in proprium totum, quod prius habuit, in beneficium, exceptis illis rebus, quae ad episcopatum Juvavensis ecclesiae pertinere videntur, scilicet ad s. Petrum principem apostolorum, et beatissimum Hrodbertum, ubi ipse corpore requiescit, ubi tunc ad praesens rector venerabilis Luiphrammus archiepiscopus praeesse dinoscitur. Ea ratione definivit domnus senior noster easdem res, quae tunc ad ipsum episcopum in ipsis locis conquestae sunt, et quae in antea Domino propitio augeri possunt, sine ullius hominis contradictione, et iudiciaria consignatione inlibatae ad ipsa loca supradictorum sanctorum perpetualiter perseuerare valeant. Isti fiebant praesentes, nomine Luiphrammo archiepiscopus, Erchenbertus episcopus, Erchenfridus episcopus, Hartungus episcopus, Karalomanus, Hludowicus, Ernust, Ratpot, Werinheri, Pabo, Fritilo, Tacholf, Deotrich, Waninc, Gerold, Liutold, Deocheri, Wolfregi, Jezo, Egilolf, Puopo, Adalperht, Megingoz, item Adalperht, Odalirih, Pernger, Managolt. Actum loco publico in Reganesburc, anno DCCCXLVIII. indictione XI. sub die IV. Idus Octobris.

Anonym. de convers. Boioar.

XXXII.

Privina dux fundat et dotat ecclesiam in castro suo in palude Salae. (Moosburg) VIIII. Kal. Februarii, 850.

Priwina, postquam munimen in quodam nemore et palude *Salae* fluminis *(Moosburg)* aedificavit, construxit infra primitus ecclesiam, quam Luiprammus, archiepiscopus Juvavensis, cum in illa regione ministerium sacerdotale potestative exercuit, in illuc veniens in honore s. Dei genitricis consecravit anno DCCCL. IX. Kal. Februarii. Ibi autem praesentes fuere Witemir, Trebih, Bismil, Zwemir, Teska, Crimisir, Geymar, Zisilo, Almerich, Altwart, Welehelm, Frideperht, Gerot, Gunderi, item Gunther, Arfrid, Nidrit, Isampero, Rato, Deotrich, item Deotrich, Madalhperht, Engilhart, Waltkeer, Diotpalt, Chezil, Unhat, Chotemir, Liwtemir, Zcurben, Sileh, Wulkina; ipsi viderunt et audierunt complantationem illo die inter Luiprammum et *Pruwinonem,* quo illa dedicata est ecclesia, id est IX. Kalend. Februarias. — . . . . . . *(In Salagii editione testes incorrectius scribuntur hi:)* „Chezil, Vnzat, Chotemir, Liwtemir, Zeurben, Siliz, Wulkma, Witemir, Trebiz, Brisnul, Zvemin, Zeska, Crimisir, Goimer, Zistilo, Amelrih, Altwart, Welehelm, Frideperht, Scrot, Gunther, Arfrid, Hidrit, Isanpero, Rato, Deotrih, alter Deotrih, Madalperht, Engelhast, Waltker, Deotpald.“

Anonym. de convers. Boioar.

XXXIII.

Chocil, filius Privinae, dotat ecclesiam Sandrati presbyteri. 850.

Luiprammus, archiepiscopus Juvavensis, consecravit ecclesiam Sandrati presbyteri, ad quam *Chezil (filius Privinae)* territorium et silvam et prata in praesentia praedictorum (vide *praecedentes literas n. XXXII.)* tradidit et circumduxit hunc ipsum terminum.

Anonym. de convers. Boioar.

XXXIV.

Chocil, filius Privinae, dotat ecclesiam Erenprehti. 850.

Tunc quoque ad ecclesiam Erenprehti (quam memoratus praesul dedicavit) tradidit *Chezil,* sicut Engildiecho et filii ejus duo, et Erenbertus presbiter ibi habitaverunt, et circumduxit praedictum virum in ipsum terminum.

Anonym. de convers. Boioar.

XXXV.

Ludovicus rex confirmat monasterio s. Emmerami possessionem collatorum a comite Wilhelmo bonorum. Act. in Reginisburch; dt. XV. Kalend. Februar. 852.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Hludovvicus, diuina fauente gratia rex. Si petitiones seruorum Dei iustas et rationabiles ad effectum usque perducimus, non solum regium morem decenter implemus, verum etiam hoc nobis procul dubio ad eterne remunerationis premia capessenda profuturum liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium sancte Dei ecclesie nostrorumque, presentium scilicet et futurorum, industria: qualiter vir venerabilis Erchanfridus, Reginesburgensis ecclesie episcopus, obtulit obtutibus nostris quandam traditionem, quod *Willehelmus* comes ob Dei amorem et anime sue remedium ad monasterium s. Emmerammi tradiderat omnem proprietatem suam, quam ille habere videbatur infra duo flumina, inter Agastam et Nardinam, a locis videlicet, ubi ipsa in Danubium fluit usque ad loca, ubi de venis in amnes deriuantur, et ita usque in Nortvvalt in hanc partem silue sine termini conclusione, cum domibus et edificiis reliquis et mancipiis atque manentibus, pratis, pascuis, siluis, aquis aquarumve decursibus mobilibus et inmobilibus, cultis vel incultis, quicquid habuit. Etiam et res illas, quas Engilrade, coniugi sue, ad dies vite sue habere concesserat, et post obitum illius ad eandem traditionem s. Emmerammi pertinere constaret. Insuper et quicquid ad Rosdorf habere videbatur, omnia, et ex omnibus rebus ex illa parte Danubii, quicquid sibi pertinebat in mancipiis et edificiis ac vineis cultis vel incultis, totum et integrum ad iam dictum sanctum locum tradidit, atque pleniter delegauit. Sed pro integra firmitate ac securitatis studio memoratus Erchanfridus atque familiaris noster petiit celsitudinem nostram, ut eandem traditionem per nostre mansuetudinis preceptum confirmare deberemus. Cuius petitioni denegare noluimus, sed sicut unicuique fidelium nostrorum iuste petentium, ita nos illi concessisse, atque in omnibus confirmasse, omnium fidelium nostrorum cognoscat magnitudo. Preterea hos apices serenitatis nostre circa ipsum monasterium fieri decreuimus, per quos precipimus atque iubemus, ut res omnes, quas predictus comes Willihelmus tradiderat atque consignauerat, per hanc nostram auctoritatem ad iam dictum sanctum locum in perpetuum consistant. Etiam statuentes firmiter iubemus, ut omnes homines, qui super easdem res commanere noscuntur, et ad prefatum monasterium pertinere videntur, tam Baioarii, *quam Sclaui,* liberi et serui, et in antea consistere domino donante potuerint. Nullus iudex publicus, neque ulla potestas eos in quoquam constringere audeat, sed neque causam illorum abstrahere presumat, nec in aliam partem ire compellat, sed liceat rectoribus et aduocatis et ministris eiusdem sedis res superius nominatas legaliter possidere ac regere, et omni tempore sub nostra defensione atque immunitatis tuitione pleniter consistere. Si vero aliquis fuerit, qui contra istos homines, superius conscriptos, aliquas iusticias requirere, aut exactare voluerit: tunc aduocati et ministri ipsius monasterii, prout iustum est, diligenter rei veritatem inquirere studeant, et emendent. Similiter quoque precipimus atque omnimodis iubemus, ut nullus iudex publicus neque ex iudiciaria potestate super rebus, que pertinent ad Erlaffa, et in Harlungeuelt, nec non et ad Scirnicha, et circa Agasta, seu Bersnicha, atque Rosdorf, vel infra predicta terminia et marckam, ubi res sancti Petri, et sancti Emmerammi pertinere noscuntur, neque super homines liberos vel sclauos ullam potestatem habeat in quoquam illos distringendi. Sed neque ad placitum ullum, vel in hostem ullo umquam tempore ire compellat, quamdiu aduocatus eiusdem sedis iustitiam facere voluerit; sed, sicut prediximus, cum omni integritate prenominatas res in futurum sub nostra defensione et immunitatis tuitione absque alicuius contrarietate aut impedimento consistant. Et ut hec auctoritas concessionis atque confirmationis nostre firmior habeatur, et per futura tempora a cunctis fidelibus sancte Dei ecclesie nostrisque, presentibus et futuris, verius credatur, atque diligentius conseruetur, manu propria nostra subter eam firmauimus, et annuli inpressione adsignari iussimus. Data XV. Kalendas Februarii, anno Christo propitio XX. regni Hludvvici serenissimi regis in orientali Francia, indictione I. Actum in ciuitate Reginisburch in Dei nomine feliciter. Amen.

Pez Cod. Ratispon. p. 20.

XXXVI.

Privina dux tradit ecclesiam s. Ruodperti ecclesiae Salisburgensi. **853.**

Luiprammus archiepiscopus Juvavensis consecravit ad Salapiugin ecclesiam in honore s. Ruodperti, quam *Priwina* tradidit Deo et sancto Petro atque Ruodperto, perpetuo usumfructuarium viris Dei Salisburgensium habendi.

Anonym. de conver. Boioar.

XXXVII.

Nicolaus I. papa Ludovico regi prosperam adversus Rasticem, Moravorum ducem, expeditionem exoptat. 858.

Capitola responsionum Nicolai papae ad legationem Salomonis episcopi missi a Rege Hludowico germanico . . . . XI. Quoniam nuntias, quod fidelis rex *(Ludovicus)* dispositum habeat venire Tullinam, et deinde pacem cum rege Vulgarorum confirmare, et *Rastitium (Moravorum ducem)* aut volendo, aut nolendo sibi obedientem facere, oramus omnipotentem Deum, ut angelus, qui fuit cum Jacob patriarcha, sit quoque cum ipso et cum omnibus suis, et bene disponat iter eius, et cum pace et gaudio reuertatur ad propria. —

Baluz Miscell. I. 401.

XXXVIII.

Ludovicus rex confert monasterio s. Emmerami bona ad Tullinam, comiti Ratpodo propter infidelitatem ablata. Act. Franchenfurth, dt. Kalend. Maji, 859.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Luduvvicus, diuina fauente gratia rex. Oportet igitur nos, qui diuina sumus gratia quodammodo ceteris mortalibus sublimati, eius in omnibus parere preceptis, cuius clementia existimus prelati, atque cuius precellimus munere, loca utique ipsius sibi dicata ante omnia nostris rebus sublimare atque dilatare; quoniam hoc procul dubio ad saluationem corporis et anime nostre fore creditur. Quapropter nouerit omnium fidelium nostrorum, presentium scilicet et futurorum, industria, qualiter nos cuidam ex primatibus nostris nomine *Radpotto* medietatem unius fisci, qui vocatur *Tullina,* situs in regione *Pannonia,* cum omnibus appendiciis eius, videlicet qui ad ipsum fiscum pertinent, tam mancipiis, quam vineis, terris, pascuis, et cetera, que dici, aut nominari possunt, in proprium contulimus, ea ratione, si fidem suam erga nos inuiolatam seruasset. Sed *quia ipse a nobis totis viribus se alienauit, et fidem atque iusiurandum omni infidelitate fraudauit,* placuit serenitati nostre eandem medietatem memorati fisci ad nostram dominationem recipere, atque pro absolutione diuine recordationis antecessorum nostrorum, augustissimorum scilicet imperatorum, et pro remedio anime nostre et corporis saluatione ad s. Emmerammum contradere atque confirmare; quod ita per hanc nostram auctoritatem nos fecisse omnium fidelium nostrorum magnitudo cognoscat, ea ratione: ut ipsa medietas ipsius fisci ad mensam monachorum, ibi domino famulantium, ibi iugiter deseruiat, et nullus episcopus aut quislibet prelatus easdem res in beneficium alicui dare, siue ad opus suum recipere presumat; sed solummodo ad opus ipsorum deseruiant, et tamdiu eandem medietatem prenominati fisci (Rabotonem) infertorem nostrum habere liceat, quousque nos in alterum locum ex aliis rebus illum adiuuare possimus. Atque tunc eodem momento temporis memorati monachi prefatam medietatem fisci cum omnibus suis consistentibus recipiant, teneant atque possideant, et quidquid exinde pro utilitate sua facere voluerint, liberam et firmissimam in omnibus habeant potestatem Christo propitio faciendi. Et ut hec auctoritas donationis atque largitionis nostre firmior habeatur, et a cunctis fidelibus sancte Dei ecclesie nostrisque verius credatur, et diligentius obseruetur, manu propria nostra subter eam firmauimus, et annuli nostri inpressione assignare iussimus. Data Kal. Maii, anno XXVII. regni Luduvvici serenissimi regis in orientali Francia regnantis; indictione VII. actum Franchenfurth, pallacio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Pez Cod. dipl. Ratisbon. p. 23.

XXXIX.

Ludovicus rex monasterio s. Mauritii de Altaha donationes a fideli suo duce Privina ad Salab .. factas ratas habet et confirmat. Act. Reganesburc, dt. Kalend. Martias, 860.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Hludouicus, diuina fauente gratia rex. Si enim ea, que fideles regni nostri pro eorum oportunitatibus nos deprecati fuerint, implere studuerimus, non solum regium morem decenter implemus, verum etiam eos procul dubio fideliores et deuotiores in nostro effecimus seruitio, et ad eternam vitam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum, presentium scilicet et futurorum solertia, qualiter *Briuuinus, fidelis dux noster,* veniens in procerum nostrorum presentiam postulauit serenitatem nostram, vt de rebus proprietatis sue, quas ei in proprietatem concessimus, liceret ei partem aliquam in memoriam eius dare ad *s. Mauricium, et ad monasterium nostrum Altaha,* cui tempore illo Otgarius abba preesse videbatur et rector; cuius petitioni libenti animo assensum prebentes decreuimus ita fieri. Dedit itaque *Briuuinus,* fidelis dux noster, cum consensu et licentia nostra ad prefatum monasterium s. Mauricii martyris Christi, de sua proprietate *in suo ducatu* quidquid habuit ad *Salab . . . . . (piugiti)* intra terminos istos: In orientem vltra *Salam* fluuiolum vsque in *Slougenzin, Marchan,* et *Stresmaren,* et sic sursum per *Salam* vsque *Vuualtungesbuh,* et sic inde vsque in *Hrabagiskeit* et ad *Chirihstelin.* Postea vero predictus fidelis abba noster Otgarius deprecatus est celsitudinem nostram, vt easdem res per nostre auctoritatis preceptum confirmassemus. Cuius petitioni ob honorem Dei et sancti Mauricii, militis Christi, et bonum illius seruitium, libenti animo assensum prebuimus. Et hoc ei nostre auctoritatis preceptum fieri iussimus, per quod decernimus et iubemus, vt sicut predicti termini in predictis locis diffiniti sunt, ita deinceps ad iam dictum monasterium per hoc nostre auctoritatis preceptum ipse res nullo inquietante, sed Deo auxiliante, perpetuis temporibus consistant in proprium. Et vt hec auctoritas largitionis nostre firmior habeatur, et per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur et diligentius obseruetur, manu propria nostra subter eam firmauimus, et annuli nostri impressione roborare iussimus. (Monogramma.) Signum Hludouici serenissimi regis. Hebarhardus notarius ad vicem Vuitgarii recognovi. Regnante indictione VIII. Data X. Kal. marcias. Anno Christo propitio XXVIII. regni domini Hludouici serenissimi regis in orientali Francia. Actum Reganesburc ciuitate regia, in Dei nomine feliciter. Amen.

Monum. Boica XI. 119. — Fejér I. 183.

XL.

Legatio Moravorum ad Michaelem imperatorem Graecorum, expetens, ut ss. Cyrillum et Methodium ad edocendos Moravos mitteret. 862.

Philosopho *(sc. Constantino, postea dicto Cyrillo)* reverso *(a Cazaris)* Constantinopolim, audiens ***Rastislaus**, princeps Moraviae,* quod factum fuerat a philosopho in prouincia Cazarorum, ipse quoque genti suae consulens ad praedictum imperatorem *(Michaelem)* nuncios misit, nuncians hoc, quod populus suus ab idolorum quidem cultura recesserat, et christianam legem observare desiderabat; verum doctorem talem non habent, qui ad legendum eos, et ad perfectam legem ipsos edoceat: rogare se, talem hominem ad partes illas dirigat, qui pleniter fidem et ordinem divinae legis, et viam veritatis populo illi ostendere valeat. Cujus precibus annuens imperator eundem supernominatum philosophum ad se venire rogavit, eumque illuc, id est, in terram *Sclavorum (Moravorum)* simul cum *Methodio germano suo* transmisit, copiosis valde illi de palatio suo datis expendiis.

Acta Sanctorum ad 9. Martii. Item edit. a Dobrowsky e codd. Ms. Olom. et Pragensi.

XLI.

Ludovicus rex bona, monasterio Altahensi concessa, denuo confirmat. Act. Hestermontinga, dt. XVI. Kalend. Julii, 863.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Hludouicus, diuina fauente gratia rex. Si liberalitatis nostre munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, et necessitates ecclesiasticas nostro releuamus iuuamine, atque regali tuemur munimine: id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad eternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum, presentium scilicet et futurorum sollertia, qualiter venerabilis abba noster Otgarius adiit celsitudinem nostram humiliter implorans, vt quasdam res proprietatis nostre ad monasterium, quod vocatur Altaha, constructum in honore s. Mauritii, in proprium concedi siemus. Nos itaque petitioni ipsius libenti animo assensum prebuimus, et concessimus quasdam res proprietatis nostre ad monasterium Altah, idest ad villam, que vocatur nabauuinida iuxta riuulum Trebinam. Ammonuit etiam celsitudinem nostram predictus abba, qualiter domnus auus noster Carolus licentiam tribuit suis fidelibus in augmentatione rerum ecclesiarum Dei in Pannonia carpere et possidere hereditatem, quod per licentiam ipsius in multis locis et ad istud etiam monasterium factum esse dinoscitur. Fuerunt namque in vestitura predicti monasterii quedam loca, nomine Scalcobak, sicut ipse riuulus fluit in occidentalem partem vsque in Dagodeos marcha, et inde in orientalem plagam vsque in Ruzara marcha, atque in locum, quem vocant Cidalaribah in saltu Enise fluuii, qui coniacet inter Danubium et Ibisam atque Hurulam in meridianam partem vsque in verticem montis; et ad Buigin mansos quinque, et quicquid ad predictas villas pertinet, hoc est in mancipiis, edificiis, terris cultis et incultis, vineis, pratis, siluis, venationibus, pascuis, aquis aquarumue decursibus. Licet itaque fuissent in vestitura predicte res ad prescriptum monasterium, tamen non ibi erant confirmate per vllius auctoritatis preceptum. Qua de re commoniti hos nostre auctoritatis apices fieri iussimus, per quos decernimus atque iubemus, vt predicte res cum omnibus prenominatis ad prescriptum monasterium Altaha in nostra eleemosyna, atque in remedio animarum antecessorum nostrorum inuiolabiliter perennis temporibus permaneat nullo contradicente. Et ut hec auctoritas largitionis nostre firmior habeatur, et per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur et diligentius obseruetur, manu propria nostra subter eam firmauimus et anuli nostri impressione assignari iussimus. — Signum domini Hludouici serenissimi regis. Hebarhardus notarius ad vicem Grimaldi archicapellani recognoui. Data XVI. Kalend. Julias, anno Christo propitio XXXI. regni domini Hludouici serenissimi regis in orientali Francia regnantis; indict. X. Actum Hestermontinga villa regia, in Dei nomine feliciter. Amen.

Monum. Boica. XI. 120. — Fejér 185.

XLII.

Ratis dux tradidit in die consecrationis ecclesie sancti Petri in Olomutici (Olomucii) per venerabilem fratrem Kyrillum omnes homines castelli et civitatis (Olomuc) ad ripam usque Maraue fluuii. 863.

E transumto Severi, episcopi Pragensis, de anno 1062. — (vide sub anno) — descripsit e fragmento codicis Ms. vetustissimi ecclesiae Olomucensis in tabulario curiae Olomucen. clariss. Prof. Monse. — In margine ejusdem chartulae Manu sec. XII. adnotatum est: „Consecrarunt hii sancti uiri (SS. Cyrillus et Methodius) etiam capellam b. Clementis in confiniis Morauie“ Hanc notitiam rite cum sequentibus literis cohaerere censeo: „Wir Burgermeister vnd geschworne Schopfen der Stadt Luthomischel bekennen . . daz wir mit Willen . . vnsers . . Hern Johannes, Bischoffs zu Luthomischel, vnd mit Willen . . der ganzen Gemeinde . . . den Zinnsze vier vnd zweinzig gr. der sant Clements Kirchen vnser Pfarre, die die erste ist in Böhmerlandt geweyhet von heiligen sant Cyrillo und Methudio, auf dem Haus, darinne da ist vnd wohnt Jan Schmidt auslöszen . . . Geben zu Luthomischel nach Christi Geburt vierzehen hundert Jahr vnd darnach in dem Sechszehenden Jahre, an sant Philippi vnd Jacobi abende der heiligen Zwölff-Pothen.“ — Ex analectis Ms. Thomae Pessinae in bibliot. Duchsoviensi mecum communicavit F. Gelinek, civis Litomysslensis.

XLIII.

Nicolaus I. papa ss. Cyrillum et Methodium per literas Romam evocat. 867.

Nicolaus I. papa laetus factus super his, quae sibi relata fuerunt, scilicet de conversione gentis Bulgarorum et *Moraviae*, et de reliquiis inventis s. Clementis; mirabatur tamen ex alia parte, quod ausi fuissent sacerdotes domini horas canonicas in *Sclavonico* decantare; quapropter mandavit per literas apostolicas illos *(Constantinum scilicet philosophum, postea Cyrillum nominatum, et fratrem ejus Methodium)* ad se venire Romam.

Acta Sanctorum ad 9. Martii.

XLIV.

Sanctus Cyrillus corpus s. Clementis suae sedi Romae restituit. 867.

Vir magnus et apostolicae vitae praeceptor *Constantinus philosophus (s. Cyrillus)* Romam sub venerabilis memoriae Hadriano juniore papa venit, et s. Clementis corpus sedi suae restituit.

Ex epistola Anastas. bibliothec. an. 875. ad Karolum regem. Dobner Ann. III. 79.

XLV.

Sanctus *Methodius* ab Hadriano II. papa archiepiscopus *Moraviensis,* sive Pannoniensis ordinatus, et *Moraviae* directus est. 868.

Ex epistola Joannis VIII. ad Swatopluk ducem. Vide n. LXVIII.

XLVI.

Chocil comes tradit monasterio s. Emmerami proprietatem in Raginauartesdorf et Rosdorf. 868.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Notum igitur fieri volumus cunctis christianis fidelibus et infidelibus, presentibus scilicet et absentibus, nec non et futuris, quod ego *Chozil,* humillimus comes, de hereditate mea tradidi ad s. Emmerammum in proprietatem et in beneficium in villa nuncupante Reginiuuartesdorf, et in Rosdorf cum terra, aratura, vineis, atque pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, et in omnibus marchis. In nomine Domini. Amen. Hi sunt testes; Ratpot comes. Gundram comes. Gundpold comes. Huogo. Huonolf. Engildeo. Gundpold. Puoso. Cotahelm.

Pez Anamodi lib. trad. cap. I. p. 233.

XLVII.

Carlmannus exercitibus *Rastizi* bis numero congressus, victor extitit, praedam inde capiens non modicam, sicut ipse *litteris* ad patrem destinatis retulit. **869.**

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fulden. ad ann.

XLVIII.

Ludovicus rex Rasticem (Moravorum ducem) capite damnatum oculis privari praecepit. Novembri, **870.**

Ludowicus . . rex . . circa Kalendas Novembris in Baioariam profectus est, ibique cum suis colloquium habens, *Rastizen (ducem Moravorum)* . . . Francorum iudicio et Baioariorum, necnon Sclavorum, qui de diversis provinciis regi munera deferentes aderant, morte dampnatum, luminibus tantum oculorum privari praecepit.

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fulden. ad ann.

XLIX.

Joannes VIII. papa Ludovico regi scribit, dioecesim Pannoniae sedi Romanae esse deputatam. **874.**

Joannes episcopus, seruus seruorum Dei. Dilecto filio Ludouico regi glorioso. Inter cetera multis ac variis manifestisque prudentia tua poterit indiciis deprehendere, *Pannoniam* dioecesim ab olim apostolicae sedis fuisse priuilegiis deputatam: si apud excellentiam tuam iusticia Dei locum, sicut decet, invenerit. Hoc enim synodalia gesta indicant, historiae conscriptae demonstrant. Verum quia quibusdam hostilium turbationum simultatibus impedientibus, illic ab apostolica sede non est diu directus antistes, hoc apud ignaros venit in dubium. Nemo autem de annorum numero resultandi sumat fomentum; quia sanctae Romanae, cui Deo auctore servimus, ecclesiae privilegia, quae in firmae petrae stabilitatis petra suscipit, nullis temporibus angustiantur, nullis regnorum partitionibus praeiudicantur. Sed et venerandae Romanae leges, diuinitus per ora piorum principum promulgatae, veram eius praescriptionem nonnisi post centum annos admittant.

Timon Imago antiquae Hung. L. II. p. 142. — E collect. decretal. L. VI. fol. 86. — Salagius L. IV. c. 7. nro. 19. — Fejér I. 186. —

L.

Joannis VIII. papae epistola ad Paulum, episcopum Anconitanum, legatum suum in Germaniam et Pannoniam destinatum, commonitoria. 874.

Johannes episcopus commonitorium Paulo episcopo fungenti legatione in Germaniam et *Pannoniam* inter cetera. Non solum intra Italiam, ac ceteras Hesperiae prouincias, verum etiam intra totius Illyrici fines consecrationes apostolica sedes patrare antiquitus consueuit, sicut nonnulla regesta et conscriptiones synodales, atque ipsarum quoque plurima ecclesiarum in his positarum demonstrant monumenta. Porro si de annorum numero quis forte causatur, sciat, quod inter christianos, et eos, qui vnius fidei sunt, numerus certus affixus est. Ceterum vbi paganorum et incredulorum furor in causa est, quantalibet praetereant tempora, iuri non praeiudicat ecclesiarum, quae corporalia nescientes arma, solum Dominum et propugnatorem suum, quando placuerit misereri, patienter exspectant. Verum, si annorum prolixitas in talibus impedit, ergo Deus ipse reprehendendus est, qui post CCCC et XXX annos filios Israel de durissima seruitute Pharaonis et fornace ferrea liberauit. Sed et ipse per se redemtor, qui hominum genus post tot annorum millia de inferi claustris eripuit . . .

Salagius L. VI. c. V. nro. IV. — Fejér I. 187.

LI.

Swatopluk dux a Ludovico rege pacem expetit. Forahheim, 874.

Rex Hludowicus . . cum Carlmanno et Hludowico filiis suis in villa Forahheim locutus est, ibique legatos *Zuentibaldi* pacem petentes suscepit. Cuius legationis princeps erat *Johannes presbyter de Venetiis,* qui etiam, ut ei rex omni ambiguitate remota crederet, quicquid verbis dicebat, sacramento firmabat, videlicet ut *Zuentibald* regi fidelis permaneret cunctis diebus vitae suae, et censum a rege constitutum per annos singulos solveret, si ei tantummodo quiete agere et pacifice vivere concederetur. *Bohemorum* quoque nuntios rex audivit et absolvit, et post haec in Baioariam se recepit.

Pertz Monum. Germ. I. in annal. Fulden. ad ann.

LII.

Joannes VIII. papa Karolomanno regi Methodium, ordinatum episcopum Pannoniensium, commendat. 875.

Joannes episcopus glorioso viro Carolomanno, dilecti filii nostri Ludovici regis filio. — Reddito, ac restituto nobis *Pannoniensium episcopatu,* liceat fratri nostro *Methodio,* qui illic a sede apostolica ordinatus est, secundum priscam consuetudinem libere, que sunt episcopi gerere.

Timon loco cit. e tabulario Vaticano. — Fejér I. 196.

LIII.

Joannes VIII. papa Chocili comiti de non dimittendis uxoribus scribit. E concilio III. apud Ravennam. 877.

Joannes VIII. papa *Cozili comiti* de his, qui uxores suas dimiserint, uel ad alias, illis uiuentibus, migrauerint. — — Porro eos, qui uxores suas dimiserint, vel illis ad alias uiuentibus migrauerint nupcias, tam diu cum consentaneis eorum excommunicamus, quousque posterioribus remotis priores penitendo receperint. Sicut enim nupcie a Deo, ita diuorcium a diabolo est, teste s. Augustino, repertum. Quod enim coniunxit Deus, homo non separet. Precipue cum hec pessima consuetudo ex paganorum more remanserit, quorum in talibus non alius, nisi ipse diabolus erat magister et auctor. — Ex concilio III. apud Rauennam. —

E. cod. Ms. membr. in fol. sec. XII. in arch. Olom. capituli, intitulato: Constitutiones papales. p. 67. — Sign. antiqua cod. CCCVIII.

LIV.

Joannes VIII. *Methodio, archiepiscopo Moraviensi,* literis per Paulum, episcopum Anconitanum, ipsi directis, perhibet, ne in Slavica lingua sacra missarum solemnia celebret.

Vide literas anni 879. sub n. LVII.

LV.

Joannes VIII. papa Theotmaro, Salisburgensi archiepiscopo, pallium confert. Dt. mense Novembri, 878.

Teotmaro, archiepiscopo *Juuauensi.* Idcirco tuam fraternitatem tanto pallii decore studuimus et decorare, vt Christo opitulante, et ante Dei oculos, bonis et sanctis actibus polleas, et sanctae Romanae ecclesiae, a qua potus praeclari poculi sumis, deuotus semper fidelis existas, eius in futurum effectus particeps, cuius locata perpetualiter fundamentis consistit; et apud Carolomannum regem, dilectum nostrum, quotidianus interuentor pro Romana ecclesia hortamur existas. Inter haec ea, quae beatus Petrus apostolus apud Boioariorum terram iure proprietatis possidet, tuae industriae sagacitatique committimus: quatenus amodo et deinceps annuos eorum reditus Romma sine mora transmittas. Data mense Nouembri, indictione XI.

Labbe Concil. XI. col. 49. — Fejér I. 197.

LVI.

Recognitio donationis bonorum ad Rabam a Chocil duce ad s. Emmeramum quondam factae. 879.

Comperiat, immo etiam liquido plurimum industria fidelium, quorumcunque auribus per presentem cartulam subsequens traditio et complacitatio manifestetur, qualiter diaconus quidam nomine Gundbato pro remedio anime sue cogitauit. Sperauit namque, quod et omnino credendum est, si de rebus terrenis sanctas Dei ecclesias ditaret, vt inde sibi corporalis cura ac anime salus eterna amplificaretur. Quapropter ergo diuino cogitatu instinctus tradidit proprietatem suam, quam habuit ad Quartinaha iuxta Bilisasco ad sanctum Dei martyrem Emmerammum, domino suo Arnolfo filio regali permittente, a quo eam in possessionem accepit. Tradita est autem predicta proprietas ab eodem venerabili Gundbatone pro domino suo Arnolfo et pro se in ipsam aram Emmerammi, in manum videlicet Ambrichonis reuerentissimi presulis, et aduocati eius Gundberti; id est ecclesiam s. Johannis euangeliste cum omnibus pertinentiis et adiacentiis suis, cum curte et parochia et cum omnibus illuc concessis mancipiis, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, siluis, decimis, aquis aquarumque decursibus, locis illis traditis, id est ad fluuium Salam, quod Froperth iam olim in beneficium habuit, et ad Velih, ceterisque omnibus mobilibus et immobilibus. E contra vero prefatus Gundpertus aduocatus, consentiente domino suo episcopo, tradidit de rebus s. Emmerammi ante nominato Gundbatoni venerabili diacono, quod *Chezil dux* iam quondam pro remedio anime sue ad predictum sanctum condonauit iuxta amnem, qui dicitur Raba; ea scilicet ratione, quatinus idem Gundbato ambas res illas firmiter atque vtiliter possideat vsque ad obitum suum. Post vero integriter cuncta ad sepe dictum Dei Sanctum redigantur et restituantur. Et vt hec auctoritas traditionis firmior habeatur, subnotati testes per aures trahuntur: Polo, Jacob, Reginhoh, Solomon, Eckirih, Hadamar, Avo, Fastmot, Gotaperht, Irmperht, Heripold, Uulaz, Pernhart, Herrant, Engilscalh, Erchanperht, Reginhart, Strupo, Hungis, Ambricho, Liutperht, Sigihart, Vuicker, Patto. Item Auo, Suuitker, Gammo, Adalrich, Salacho. Insuper etiam iuxta ipsam aram predicti sancti ille episcopus eidem Gundbatoni licentiam concessit, vt mancipia s. Emmerammi, que vltra Rabam fuga lapsa sunt, inquirat, et capiat et in easdem res ecclesie constituat, vt post obitum suum, sicut super diximus, cuncta emeliorata ad sanctum Dei martyrem Emmerammum reuertantur.

Pez Anamodi lib. tradit. I. 217.

LVII.

Joannes VIII. papa Methodium, archiepiscopum Pannoniensem, (Moraviensem) ad reddendam doctrinae suae rationem et ritus Slavici in Morariam inducti Romam evocat. XVIII. Kalend. Julii, 879.

Joannes episcopus, servus servorum Dei, [a] reverentissimo *Methodio* archiepiscopo Pannoniensis ecclesie. — Predicationis tue doctrinis populum domini tibi quasi spiritali [b] pastori commissum, salvare instruereque cum debeas, audivimus, quod non ea, que sancta Romana ecclesia ab ipso apostolorum principe didicit, et cottidie predicat, tu [c] docendo doceas, et ipsum populum in errore [d] mittas. Unde his apostolatus nostri litteris tibi iubemus, ut, omni occasione postposita, ad nos de presenti venire procures, ut ex ore tuo audiamus, et cognoscamus, vtrum sic teneas, et sic [e] predices, sicut verbis, ac litteris te sancte Romane ecclesie credere promisisti, aut non, veraciter cognoscamus doctrinam tuam. Audimus et iam, [f] quod missas [g] cantes in barbara, hoc est in sclavina [h] lingua. Unde iam litteris nostris, per

---

In editionibus: a) in ommissum, b) spirituali c) in d) errorem e) ac f) etiam g) missam h) sclavonica —

Paulum episcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua sacra missarum solempnia celebrares, sed vel in latina, vel greca lingua, sicut ecclesia Dei[i] toto terrarum orbe diffusa, et in omnibus gentibus dilatata cantat; Predicare vero, aut sermonem in populo facere tibi licet, quum[k] psalmista omnes commonet[l] Deum[m] gentes laudare, et apostolus omnis inquit lingua confiteatur quia[n] Jhesus in gloria est Dei Patris. — Data XVIII. Kalendas Julii, Indictione XII.

---

i) „Dei" ommissum k) quoniam l) admonet m) Dominum n) quod —

Descriptum et recognitum ex autographo Regesto literarum apostolicarum felicis recordationis Joannis papae VIII. (epistola 202. pag. 77.), quod adservatur in Tabulariis Sanctae Romanae Ecclesiae. In quorum fidem hic me subscripsi, et solito signo signavi. Dabam e Tabulariis praefatis Idibus Aprilis, MDCCCXXXI, indictione quarta; Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Gregorii divina providentia Papae XVI. anno I.

M. Marini, Tabulariorum S. R. E. Praefectus.

(Sub sigillis, archivi secreti apostolici Vaticani, nec non D. M. Marini, Tabul. Praefecti.) — Quarum authenticum exemplar, sicuti et literarum sequentium sub n. LVIII. et LXI. — (e Cod. Ms. sec. XI. minusculis Longobardicis in Monte Cassino pro Tabulariis S. R. E. descripto) Clar. D. Professor. Gregorius Wolny, c. r. legato Romae intercedente, patriae nostrae procuravit. — Quum authentia literarum juxta editiones hactenus emanatas saepius in dubium vocaretur, ipsas forma genuina obtutibus sisto. — Excusae alias sunt apud Harduin. Goldast. Dobner et alios.

LVIII.

Joannes VIII. papa Swatopluk, ducem Moraviae, ad fidem hortatur, miraturque, Methodium archiepiscopum aliter, quam sit professus, docere, ac ideo illum Romam esse vocatum insinuat. XVIII. Kal. Julii, 879.

Joannes episcopus, servus servorum Dei, *Zuventapu de Mararna*[a] Scire vos[b] volumus, quia nos, qui per Dei gratiam beati Petri Aposto-

---

a) Lege: Zvventaplc (Swatopluk) de Maravva — In edit. false hactenus: „Twentaro de Moranua" — b) „vos" ommissum.

lorum principis vicem tenemus, pio amore vos quasi karissimos filios amplectamur,[c] et paterna dilectione amamus, nostrisque assidius precibus vos omnes Jhesu Christo Domino commendamus orantes semper pro vobis, ut Deus omnipotens, qui corda vestra inluminavit, et ad viam veritatis perduxit, in bonis operibus confirmet, et usque ad finem in recta fide, bonaque actione decoratos vos atque incolumes dignetur perducere. Quod autem, sicut Johanne presbitero vestro, quem nobis misistis, referente didicimus, in recta fide dubitetis. Monemus dilectionem vestram, ut sic teneatis, sic credatis, sicut Sancta Romana Ecclesia ab ipso Apostolorum principe didicit, tenuit, et usque ad finem seculi[d] tenebit. Atque per totum mundum cottidie sancte fidei verba, recteque predicationis semina mittit. Et sicut antecessores nostros, sanctos videlicet Sedis Apostolice Presules parentes vestros ab initio docuisse cognoscitis. Si autem aliquis vobis, vel Episcopus vester, vel quilibet sacerdos aliter adnunctiare,[e] aut predicare presumpserit, zelo Dei accensi uno animo, unaque voluntate doctrinam falsam abiicite, stantes, et tenentes traditionem Sedis Apostolice. Quia vero audivimus, quia *Methodius vester archiepiscopus* ab antecessore nostro Adriano[f] scilicet Papa ordinatus, vobisque directus, aliter doceat, quam coram Sede Apostolica se credere et verbis et litteris professus est,[g] valde miramur. Tamen propter hoc direximus illi, ut absque omni occasione ad nos venire procuret, quatenus ex ore eius audiamus, vtrum sic teneat et[h] credat, sicut promisit, aut non. Data XVIII. Kalendas Julii, Indictione XII.

In editionibus: c) amplectimur d) seculorum e) annunceciare f) Hadriano g) est professus h) ac —

Descriptum et recognitum ex autographo Regesto literarum apostol. f. r. Joannis VIII. papae, (epistola 201. pag. 77) quod adservatur in Tabulariis Secretioribus S. R. E. In quorum fidem hic me subscripsi, et solito signo signavi. Dabam ex Tabulariis praefatis Idibus Aprilis, MDCCCXXXI, indictione quarta: pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Gregorii divina providentia Papae XVI. an. I.

M. Marini, Tabulariorum S. R. E. Praefectus.

(Sub sigillis, archivi secreti apostolici Vaticani, nec non D. M. Marini Tabul. Praefecti.) — Vide et confer notam literarum praecedentium n. LVII.

LIX.

Joannes VIII. papa Swatopluk, duci Moraviae, Methodium, a doctrina probatum, confirmatumque archiepiscopum Moraviensem, ordinato quoque ejusdem suffraganeo Wichino, episcopo Nitriensi, indultoque simul usu linguae Slavicae in sacris, remittit commendatque. Mense Junio, 880.

Joannes episcopus, servus servorum Dei. Dilecto filio *Sphentopulcho* glorioso comiti. Industriae tuae notum esse volumus, quoniam confratre nostro *Methodio,* reuerendissimo *archiepiscopo sanctae ecclesiae Morauensis,* vna cum *Semisisno,* fideli tuo, ad limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli, nostramque pontificalem praesentiam veniente, atque sermone lucifluo referente, didicimus tuae deuotionis sinceritatem, et totius populi tui desiderium, quod circa sedem apostolicam et nostram paternitatem habetis. Nam diuina gratia inspirante, contemtis aliis seculi principibus, beatum Petrum, apostolici ordinis principem, vicariumque illius habere patronum, et in omnibus adiutorem, ac defensorem pariter cum nobilibus viris fidelibus tuis, et cum omni populo terrae tuae amore fidelissimo elegisti, et usque ad finem sub ipsius, ac vicarii eius defensione colla submittens, pio affectu cupis, auxiliante Domino, vtpote filius deuotissimus permanere. Pro qua scilicet tanta fide ac deuocione tua, et populi tui apostolatus nostri vlnis extensis te quasi vnicum filium amore ingenti amplectimur; et cum omnibus fidelibus tuis paternitatis nostrae gremio, veluti oues Domini nobis commissas, recipimus; vitaeque pabulo clementer nutrire optamus, atque nostris assiduis precibus omnipotenti te Domino commendare studemus: quatenus sanctorum apostolorum suffragantibus meritis, et in hoc seculo aduersa omnia superare, et in coelesti postmodum regione cum Christo, nostro Deo, valeas triumphare. Igitur hunc Methodium venerabilem archiepiscopum vestrum interrogauimus, coram positis fratribus nostris episcopis, si orthodoxae fidei symbolum ita crederet, et inter sacra missarum solennia caneret, sicuti sanctam Romanam ecclesiam tenere, et in sanctis vniuersalibus synodis a sanctis patribus secundum euangelicam Christi Dei nostri auctoritatem promulgatum atque traditum constat. Ille autem professus est, se iuxta euangelicam et apostolicam doctrinam, sicuti sancta Romana ecclesia docet, et a patribus traditum est, tenere et psallere. Nos autem illum in omnibus ecclesiasticis doctrinis, et vtilitatibus orthodoxum, et proficuum esse reperientes, vobis iterum ad regendam commissam sibi Dei ecclesiam remisimus; quem veluti pastorem proprium vt digno honore, ac reuerentia, laetaque mente recipiatis, iubemus: quia nostrae apostolicae auctoritatis praecepto archiepiscopatus ei priuilegium confirmauimus, et in perpetuum, Deo iuuante, firmum manere statuimus; sicut antecessorum nostrorum auctoritate, omnia ecclesiarum Dei iura, et priuilegia statuta, et firmata consistunt, ita sane, ut iuxta canonicam traditionem omnium negotiorum ecclesiasticorum curam habeat ipse, et ea, velut Deo contemplante, dispenset. Nam populus Dei illi commissus est, et pro animabus eorum hic redditurus erit rationem. Ipsum quoque presbiterum, nomine *Vichinum,* quem nobis direxisti, *electum episcopum consecrauimus sanctae ecclesiae Nitriensis;* quem suo archiepiscopo in omnibus obedientem, sicuti sancti canones docent, esse iubemus; et volumus, ut pariter cum ipsius archiepiscopi consensu et prouidentia alterum nobis apto tempore utilem presbiterum, aut diaconum dirigas; quem similiter in alia ecclesia, in qua episcopalem cathedram noueris esse necessariam, ordinemus episcopum: ut cum his duobus a nobis ordinatis episcopis praefatus archiepiscopus vester iuxta decretum apostolicum per alia loca, in quibus episcopi honorifice debent, et possunt existere, postmodum valeat ordinare. Presbiteros vero et diaconos, seu cuiuscunque ordinis clericos, siue Sclauos, siue cuiuslibet gentis, qui intra prouinciae tuae fines consistunt, praecipimus esse subiectos et obedientes, in omnibus iam dicto confratri nostro archiepiscopo vestro, ut nichil omnino praeter ipsius conscientiam agant. Quodsi contumaces et inobedientes existentes, scandalum aliquod, vel schisma facere praesumpserint, et post primam et secundam admonitionem se minime correxerint, quasi zizaniorum seminatores ab ecclesiis et finibus vestris auctoritate nostra praecipimus procul esse abiiciendos, secundum auctoritatem capitulorum, quae illi dedimus, et vobis direximus. *Litteras* denique *sclauonicas, a Constantino quondam philosopho (s. Cyrillo)* repertas, quibus Deo laudes debite resonent, iure laudamus, et in eadem lingua Christi Domini nostri preconia et opera ut enarrentur, iubemus: neque enim tribus tantum, sed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate sacra monemur, quae praecipit dicens: Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Et apostoli repleti Spiritu sancto locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc et Paulus, coelestis quoque tuba insonat monens: Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris. De quibus etiam in prima ad Corinthios epistola satis et manifeste nos admonet, quatenus linguis loquentes ecclesiam Dei aedificemus. Nec sanae fidei, vel doctrinae aliquid obstat, siue missas in eadem *sclauonica* lingua canere, siue sanctum euangelium vel lectiones diuinas noui et veteris testamenti bene translatas, et interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia psallere: quoniam qui fecit tres linguas principales, hebraeam scilicet, graecam, et latinam, ipse creauit et alias omnes ad laudem et gloriam suam. Jubemus tamen, ut in omnibus ecclesiis terrae vestrae propter maiorem honorificentiam euangelium latine legatur, et postmodum *slauonica* lingua translatum in auribus populi, latina verba non intelligentis, annuncietur; sicut in quibusdam ecclesiis fieri videtur. Et si tibi et iudicibus tuis placet, missas latina lingua magis audire, praecipimus, ut latine missarum solennia tibi celebrentur. Data mense Junio, Indictione XIII. —

Salagius Status ecclesiae lib. IV. p. 424. — Collect. concilior. Hard. VI. p. I. col. 85. — Dobner Annal. III. 190. — Fejér I. 213. — et alii.

LX.

Joannes VIII. papa Methodium, archiepiscopum Moraviensem, a fidei orthodoxae cultu ejusque propagandae studio laudat, et de malis, quae perpessus est, humanisse solatur. X. Kal. Aprilis. 881.

Joannes episcopus, servus servorum Dei. *Methodio archiepiscopo* pro fide. Pastoralis sollicitudinis tue curam, quam in lucrandis animabus fidelium Domino Deo nostro exhibes, approbantes, et orthodoxe fidei te cultorem strenuum existere contemplantes, nimis in eodem Domino iocundamur,[a] et ei inmensas laudes, et gratias agere non cessamus, qui[b] te magis ac magis in suis mandatis accendat, et ad sancte sue Ecclesie profectum ab omnibus adversitatibus clementer[c] eripiat. Verum auditis per tuas litteras variis casibus, vel eventibus tuis, quanta compassione tibi condoluerimus ex hoc advertere poteris, in quo te coram nobis positum sancte[d] Romane Ecclesie doctrinam iuxta sanctorum patrum[e] traditionem sequi debere monuimus, et tam simbolum, quam rectam fidem a te docendam, et predicandam subdimus,[f] nostrisque apostolicis litteris glorioso Principi *Sphentopulcho*[g] quas ei asseris fuisse delatas, hoc ipsum significavimus, et neque alie littere nostre ad eum directe sunt, neque Episcopo illi palam, vel secreto aliud faciendum iniunximus, et aliud a te peragendum decreuimus. Quanto minus credendum est, ut sacramentum ab eodem Episcopo exhigeremus,[h] quem saltem levi sermone super hoc negotio allocuti non fuimus. Ideoque cesset ista dubietas, et Deo[i] cooperante, sicut evangelica, et apostolica se habet doctrina, orthodoxe fidei cultum fidelibus cunctis inculca, ut de labore tui certaminis Domino Jhesu Christo fructum afferas abundantem, et gratia eius remuneratus mercedem recipias competentem. Ceterum de aliis temptationibus, quas diverso modo perpessus es, noli tristari, quin potius hoc secundum Apostolum omne gaudium prorsus exhistima, quia si Deus pro te, nemo esse poterit contra te, tamen cum, Deo duce, reuersus fueris, quicquid inhormiter adversum te est commissum,[k] quicquid iam dictis epistolis[l] contra suum ministerium in te exercuit, utramque audientiam coram nobis discussam, adiuvante Domino, legitimo fini trademus, et illius pertinaciam iudicii nostri sententia[m] corripere non amittemus.[n] Data X. Kalend. Aprilis, Indictione XIIII.

In edit. a) iucundamur, b) quia, c) „clementer" ommissum d) sanctam, e) in edict. sequitur: „probabilem" f) subdidimus. g) Sfentopulchro h) exegerimus i) et a Deo k) „quicquid — usque commissum" ommissum l) rectius „dictus episcopus" m) sententiam n) non intermittemus. —

Descriptum et recognitum ex autographo Regesto literarum apostol f. r.
Joannis VIII. papae, (ep. 278. pag. 110.) quod adservatur in Tabular.
secret. S. R. E. In quorum fidem. . . XVI. Kal. Majas MDCCCXXXI.
M. Marini, Tabulariorum S. R. E. Praefectus.
(Sub sigillis, archivi secreti apostolici Vaticani, nec non D. M. Marini Tabul. Praefecti.) — Vide et confer notam numeri LVII.

LXI.

Confoederatio inter Swatopluk, ducem Moravorum, et Aribonem comitem terminalem. 883.

Duo fratres, Willihalmus et Engilscalcus, cum terminum regni Baioariorum in oriente a rege, i. e. seniore Hludowico, concessum contra Maravanos tenuerunt, multaque pro patria tuenda conflictando sudasse feruntur, tandem diem ultimum huius aeris in eadem voluntate finiere permanentes, non vero esset honor illorum filiis redditus, Erbo (in) comitatum domno rege concedente, successit. Quod praedictorum virorum pueruli, illorumque propingui in contrarium accipientes et vertentes, dixerunt alterutrum fieri, vel Arbonem comitem, si non recederet de comitatu parentum suorum, vel seipsos morituros gladii ante faciem. Hoc experimento Arbo concussus, amicitiam iniit cum Zuentibaldo, duce Maravorum gentis, firmaque inter illos foedera, filium suum obsidem fieri non tardavit.

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fuld. ad ann.

LXII.

Karolomannus rex colloquium celebrat ad Tullinam cum Swatopluk, duce Moravorum. 884.

Imperator per Baioariam ad orientem proficiscitur, veniensque prope flumen Tullinam, Monte-Comiano colloquium habuit. Ibi inter alia veniens Zuentibaldus dux cum principibus suis, homo, sicut mos est, per manus imperatoris efficitur, contestatus illi fidelitatem iuramento, et usque dum Karolus vixisset, numquam in regnum suum hostili exercitu esset venturus. Postea veniente Brazlawoni duce, qui in id tempus regnum inter Dravum et Savum flumine tenuit, suaeque miliciae subditus adiungitur, rex per Carentam in Italiam porrexit; prospere Papia natalem Christi celebravit.

Du Chesne II. 570. — Annal. Fuld. ad Ann.

LXIII.

Legatio Swatopluk, ducis Moravorum, ad Arnulfum, ne inimicos suos sustentet. 884.

Pueri (Willihalmi et Engilscalci) statuerunt fieri homines Arnulfi, Karlmanni regis filii, qui tunc Pannoniam tenuit. Quo audito, *Zuentibaldus dux (Moravorum)* misit nuncios ad eum, ait illi: Inimicos meos sustentas; si eos non dimiseris, nec me tecum pacificatum habebis. Alteram vero occasionem adversus eum protulit: Tui homines in vitam meam, nec minus in regnum meum, dolose cum Bulgaris conciliaverunt, qui priori anno suum regnum vastavere; hoc volo mihi cum iuramento verum non esse contestari: quorum neutrum umquam se facturum Arnulfus renuntiat.

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fuld. ad ann.

LXIV.

Methodius, archiepiscopus Moraviensis, consecrat ecclesiam s. Petri Brunae, ejusque dotem confirmat. Brunae, in die ss. Petri et Pauli, 884.

† C †. In nomine patris et filii et spiritus sancti. amen. Anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi DCCCLXXXIIII. consecrata est hec ecclesia in honore beatorum Petri et Pauli principum apostolorum Dei per reuerendissimum in Christo patrem *Metodium, archiepiscopum Marauensem,* ipso eorundem festi die dicato, ac prima eius dos in *Brne* et *Luze* confirmabatur scripti tenore coram *Zuatoplch* duce glorioso et populo illegibili. Amen in eternum. amen. amen.

Ex epistola praepositi Rayhradensis ad Severum, Pragen. episcopum, scripta. Vide anno 1062. — Ex eodem fragm. Olomucen. Vide n. XLII.

LXV.

Pax in oriente inter Arnulfum et *Zwentibaldum (Swatopluk, ducem Moravorum,* praesentibus scilicet Boioariorum principibus, iusiurando constare firmatur.

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fuld. ad annum.

LXVI.

Arnolfus rex . . . monasterio Chremise possessionem in Nezzilpach in comitatu Aribonis tradit. Dt. in Regina civitate, Nonis Januarii, 888.

Arnulfus . . . Rex . . . Snelperoni abbati monasterii Chremise . . . omnia, que antea in loco Nezzilpach iuxta riuum Chremisa . . . ipse in beneficium tenuit in comitatu *Arbonis,* in pago Traungow . . in proprietatem tradit . . . . . Datum Nonis Januarii anno dominice incarnationis DCCCLXXXVIII. Indictione VI. anno regni . . . primo. Actum Regina civitate. . .

Rettenpacher Annal. Cremifan. p. 40.

LXVII.

Arnolfus rex confirmat ecclesiae Salzburgensi possessionem bonorum ad Moosburg cum abbatia s. Adriani. Dt. XII. Kalend. Decembris, 888.

Arnulfus diuina fauente gratia rex. . . Comperiat omnium nostrorum . . fidelium solertia, qualiter . . venerabilis archiepiscopus noster Dietmarus . . postulauit serenitatem nostram, vt quasdam res . . . ad sanctam ecclesiam Juuauensem . . . concederemus. . . . Tradimus itaque . . . ad Sabariam, ad Panwchabe, ad Mosepurch, abbatiam, vbi s. Adrianus martyr

Christi requiescit. . . . Ad Salapiugen curtem, cum CCC mansis, et totidem vineis, vel quidquid ibi habuimus, ecclesiam ad Quartana, ecclesiam ad Gensi, ad V Ecclesias, cum teloneis et vineis et forestibus et cum omnibus, quae ab antecessoribus nostris antea beneficiata fuissent, firmamus in proprium. Data XII. Kalend. Decembris, anno Christi incarnationis DCCCLXXXVIII. Anno domini Arnolfi serenissimi regis II. in orientali Francia regnate, indictione IX.

Salag. status eccl. IV. c. 6. Nro. 23. — Fejér I. 220.

LXVIII.

Arnolfus rex dat Snelhardo abbati de Chremisa tres hubas juxta rivum Scaaha in comitatu *Arbonis,* quas . . . . . . Slaui prius tenuerunt. Neuhoven ad mon. s. Floriani, Kalend. Aprilis, 888.

Aventini excerpta dipl. apud Oefel. I. 705.

LXIX.

Arnolfus rex, rogatu conjugis Otae, abbati Snello in comitatu *Aribonis* loco Scalaha in villa Oberndorf duas hubas confert. Actum ad Novam ecclesiam V. Nonas Maji, 889.

Aventini excerpta dipl. apud Oefel. I. 705·

LXX.

Swatopluk, dux Morariae, dotat ecclesiam sancti Petri Olomucii.

885 — 889.

Zuatoplk uero dux tradidit ad altare sancti Petri (in Olomutici — Olomucii) in manus sacerdotis ioannis sextam partem omnium, quecunque in supa Olomutici ad castellum proueniunt.

Ex transumpto Severi, episcopi Pragensis, (quod vide sub anno 1062.) cujus copiam e fragmento vetustissimi codicis traditionum ecclesiae Olomucensis (scripti sec. XII.) quondam professor Monse in archivo curiae Olomucen. descripsit. — Confer donationem Swatopluk ducis anno 863. n. XLII. — Aliarum quoque donationum ad eandem ecclesiam a principibus (Ratis et Swatopluk) factarum, literae Bretislai, ducis Moraviae (vide anno 1030) mentionem faciunt hanc: „Hinc est, quod ego „Bracizlaus, dux Morauiensis, etiam ecclesie sancti Petri „in Olomuci, et capelle, que est in honore b. Clementis „constructa ibidem, eam dotis sue restitui fecimus por„tionem, quam ipsi ex collatione antiquorum huius terre „principum concessam esse scripto et oretenus ueraci„ter didicimus; videlicet circuitum . . . . iuxta fluuium „Maraua, ubi alius fluuius, qui Tye nuncupatur, in ean„dem profluit, cum loco Tyn. . . . “

LXXI.

Colloquium Arnolfi regis cum Swatopluk, duce Moravorum, loco Omuntesberch. Media quadragesima, 890.

Mediante quadragesima rex Pannoniam proficiscens conventum cum *Zuentibaldo duce,* loco, qui vulgo appellatur *Omuntesberch,* habuit. Ibi inter alia praefatus dux ab apostolico rogatus, regem obnixe interpellabat, ut urbe Roma domum sancti Petri visitaret, et Italicum regnum a malis christianis et imminentibus paganis ereptum, ad suum opus restringendo dignaretur tenere. Sed rex multimodis causis in suo regno crescentibus praepeditus, quamvis non libens postulata denegavit.

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fuld. ad annum.

LXXII.

Arnolfus rex concedit Swatopluk, regi Moravorum, ducatum Boemorum.
890.

Anno dominicae incarnationis DCCCXC. Arnolfus rex concessit *Zuendiboldo, Marahensium Sclavorum regi, ducatum Behemensium*, qui hactenus principem suae cognationis ac gentis super se habuerant, Francorumque regibus fidelitatem promissam inviolato foedere conservaverant, eo quod illi, antequam in regni fastigio sublimaretur, familiaritatis gratia fuerit connexus: denique filium eius, quem ex pellice susceperat, a sacro fonte levavit, eumque ex nomine suo Zuentibold appellari fecit.

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Reginonis ad ann.

LXXIII.

Arnolfus rex legatos suos pro renovanda pace ad *Moravos* transmisit. **891.**

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fuld. ad ann.

LXXIV.

Colloquium Arnolfi regis cum Brazlavone duce in Hengistfeldon de expeditione Moravica. **892.**

Arnulfus rex, irato animo in Hengistfeldon cum Brazlavone duce colloquium habuit, ibi inter alia, quaerens tempus et locum, quomodo possit terram *Maravorum* intrare; consultum est enim, ut tribus exercitibus armatis illud regnum invaderet.

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fulden. ad annum.

LXXV.

Arnolfus rex ad Bulgaros legatos mittit, ne Moravis salem vendant.
892.

Arnulfus rex — missos etiam suos ad Bulgarios et regem eorum Laodomur ad renovandam pristinam pacem cum muneribus mense Septembri transmisit, et ne coemptio salis inde *Mararanis* daretur exposcit . . . Ibi a rege honorifice suscepti . . . . cum muneribus mense Maio (893) reversi sunt.

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fulden. ad annum.

LXXVI.

Arnolfus rex tradit monasterio Chremise possessiones fratrum Wilhelmi et Engilschalci comitum terminalium. Actum Ratensdorf, dt. XI. Kalend. Novembris, **893.**

Arnulphus . . rex . . per abbatis nostri Snelperonis obtentum admoniti, . . quasdam res iuris nostri, ob quorumdam infidelitatis contra nos perpetrate reatum, in nostram publice ditionem redactas, id est, quicquid *Wilhelmus* et *Engilschalcus,* germani fratres, comites videlicet quondam strenui terminales, vel coheredes, filii ac posteri eorum . . tam ad Eporesburch, ad Chambe, siue ad Persiniacham, quamque in aliis Waioarie scilicet atque *Sclævinie* locis vel terminis habuerunt, ad sanctum Agapitum . . in monasterio Chremisa . . donamus et tradimus . . . . Datum XI. Kal. Nouembris anno dominice incarnationis DCCCXCIII. Indictione XI. anno VII. Arnulfi regis. Actum ad Ratensdorf.

Rettenpacher Annal. Cremifan. p. 43.

LXXVII.

Zuentibaldus *(Swatopluk) dux Maravorum* . . . diem ultimum clausit infeliciter . . Pax tempore auctumni inter Baioarios et *Moravos* compacta est. **894.**

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fulden. ad ann.

LXXVIII.

Ducatus Boemorum a Moravia separatur. Ratisbonae mense Julio, **895.**

Mediante mense Julio habitum est urbe Radisbona generale conventum; ibi de *Sclavania* omnes duces *Boemaniorum,* quos *Zuentibaldus dux (quondam Moravorum)* a consortio et potestate Baioaricae gentis per vim dudum divellendo detraxerat, quorum primores erant *Spitignewo, Witizla (spitigneuuo, — uiutizla) (Wratislaw?)* ad regem venientes et honorifice ab eo recepti, per manus, prout mos est, regiae potestati reconciliatos se subdiderunt.

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fuld. ad ann.

LXXIX.

Arnolfus rex fideli suo Walthuni quaedam bona confert in comitatu Liupoldi, recognoscente Wichino cancellario. Act. ad Otinga, dt. III. Kal. Octobris, **895.**

In nomine sanctae et indiuiduae trinitatis. Arnolfus diuina fauente gratia rex. Nouerit omnium igitur fidelium tam praesentium, quam futurorum sagacitas, quia nos rogatu ac petitione quorumdam fidelium nostrorum, Liupoldi videlicet nepotis nostri, Ineguiwardi ac Rodolfi, cuidam fideli nostro, nomine Walthuni vocitatus, quasdam res proprietatis nostrae, quas antea in beneficium habuit in loco, qui vocatur Trusenthal, ac duobus castris in eo aedificatis et nemus in monte Diesche, et in marchia iuxta Souwam tres regales mansus quos Riechenburch dicitur et aliud praedium ultra fluvium Souwam, Gurkefeld nuncupatum et in alio loco quidquid Ottelin habuit in beneficium Vudrina, in comitatu Liupoldi in orientalibus partibus, charanta nominatis, in proprietatem concessimus cum domibus et aliis aedificiis, campis, pratis, pascuis, terris cultis et incultis, siluis, montibus, et collibus, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus et immobilibus, viis et inviis, exitibus et reditibus, quaesitis et inquirendis, ac quidquid ad praescriptas res iuste ac legitime pertinere videatur. Praecipimus equidem hunc praesentem auctoritatis nostrae titulum inde conscribi, per quem volumus, ut praedictus Waltuni ab hodierna die ac deinceps perpetuis temporibus eiusdem concessionis nostrae rebus liberrimam habeat potestatem, donandi, vendendi, commutandi, uel quodcumque exinde placuerit faciendi absque ullius fraudulentae personae controversia. Et ut haec largitionis nostrae auctoritas solidiorem in Dei nomine per cuncta volventis mundi curricula obtineat stabilitatem, propria etenim manu nostra subtus eam roborantes annuli nostri impressione iussimus insigniri. — Signum domini Arnolfi invictissimi regis. — Wichingus cancellarius ad uicem archicapellani recognoui. Et data III. Kalend. Octobris anno Domini DCCCXCV. Indictione XIII. anno VIII. regni domini Arnolfi regis. Actum ad Otinga in Dei nomine feliciter, amen.

Archiv für Süddeutschland II. 213.

LXXX.

Arnolfi regis diploma pro monasterio s. Salvatoris in monte Amiato recognovit *Wichingus cancellarius*. Dt. Romae IV. Kalend. Martii, 896.

Vghelli Italia sacra IV. 616.

LXXXI.

Legatio Moravorum petit pacem ab Arnolfo rege. Otinga, **897.**

Arnolfus caesar curte regia Otinga natalem Domini celebravit, advenientibus ibidem ad eum *Mararorum* missis, qui pro pace constituenda, ne exules eorum profugi reciperentur, ab imperatore flagitabant; quos rex ut audivit, absolvit et sine mora abire permisit.

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fuld. ad ann.

LXXXII.

Legatio Boemorum petit auxilia adversus Moravos ab Arnolfo rege. Ratisbona, **897.**

Gentis *Bohemitarum* duces ad imperatorem Arnulfum, qui tunc temporis Ratisbona urbe moratus est, devenerunt, offerentes ei munera regia, et sua suorumque fidelium suffragia contra eorum inimicos *Marahabitas* postuiantes, a quibus tum saepe, ut ipsi testificati sunt, durissime comprimebantur. Quos ergo duces rex imperator gratuito suscipiens, verbaque consolationis eorum pectoribus habundantius inseruit, et laetabundos donoque honoratos patriam in suam abire permisit.

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fuld. ad ann.

LXXXIII.

Arnolfus imperator pro praedio Summus lacus in Italia monasterii Otinga, ad episcopatum Pataviensem pertinentis, dat Ruite Otingensi ecclesiae oportunius sitam. Engelpero notarius ad vicem *Wichingi episcopi* recognovit. Ad Rantesdorf XIIII. Kalend. Septembris, **898.**

Aventini excerpta dipl. apud Oefel. I. 706.

LXXXIV.

Arnolfus imperator dat Engilmaro episcopo Pataviensi aream Pataviae. *Wichingus cancellarius* recognovit. Regina civitate Idibus Decembris, 898.

Aventini excerpta dipl. apud Oefel. I. 706.

LXXXV.

Arnolfus imperator confert nobili viro Zwetboch bona Celsach et in Gurkatal. Actum Ralensdorf, dt. II. Kalend. Septembris, 898.

In nomine sanctae et indiuiduae trinitatis. Arnolfus imperator augustus. Noverit igitur omnium sanctae Dei ecclesiae fidelium nostrorumque, praesentium scilicet et futurorum industria, qualiter nos rogatu Iringi et Isingrimi, dilectorum comitum nostrorum, cuidam *viro progenie bonae nobilitatis exorto, Zwetboch* videlicet nominato, Luipoldi, carissimi propinqui ac illustris nostri marchionis, vasallo quasdam res iuris nostri, hoc est in Charintriche, in comitatu ipsius consanguinei nostri, curtem, quae dicitur Gurca cum omnibus pertinentiis suis mobilibus et immobilibus, et quidquid isdem praeterea nostra donatione et supradicti marchionis nostri concessione in Gurktala et in alio loco, qui dicitur Celsach in eodem inquam comitatu posito, in beneficium habere visus est, cum omni integritate, curtibus, aedificiis, campis, agris, pratis, pascuis, sylvis, aquis aquarumque decursibus, molinis, piscationibus, terris cultis et incultis, vineis, familiis mancipiis utriusque sexus, viis et inviis, censibus, exitibus, redditibus quaesitis et inquirendis, mobilibus et immobilibus perenni iure in proprium concedentes donavimus. Jussimus quoque inde hoc praesens praeceptum conscribi, per quod volumus firmarique iubemus, ut praescriptus Zwetboch ex cunctis in praesenti pagina nostrae munificentiae rebus praelibatis cum omnibus accidentiis suis firmissimam habeat potestatem habendi, donandi, vendendi, commutandi, seu quidquid libuerit sibi exinde faciendi. Et ut haec auctoritas nostra firmiorem in Dei nomine obtineat stabilitatem manu nostra subtus eam roborauimus, annuloque nostro iussimus insigniri. — Signum domini Arnolfi serenissimi imperatoris. — Wichingus cancellarius ad vicem Theotmari archicapellani recognoui. Et data II. Kalend. Septembris, anno incarnationis Domini DCCCXCVIII. indictione I. anno domini regis Arnolfi XI. actum Rantesdorff. Amen.

Archiv für Süddeutschland I. 213.

LXXXVI.

Arnolfus imperator confert eidem nobili Zwetboch alia bona ad Milze et Mottniz flumina et alpes Glodnize. Actum Rantesdorff, dt. II. Non. Septembris, 898.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Arnolfus imperator augustus. Nouerit igitur omnium sanctae Dei ecclesiae fidelium nostrorumque, praesentium scilicet ac futurorum industria, qualiter nos rogatu Irigni et Isgrimi, dilectorum comitum nostrorum, cuidam viro *progenie bonae nobilitatis exorto Zwetboch* nominato, Liupoldi, carissimi propinqui ac illustris nostri marchionis, vasallo quasdam res iuris nostri, hoc est in Carinthia in comitatu ipsius consanguinei nostri sub certa determinatione ab alpibus Glodnize, ad desertas alpes, ad coniuratum fontem, ad confluentia milse mottniz et exinde usque Entrichestane ex una parte montis usque ad muram fluvium, et ex alia parte eiusdem montis usque ad Gurcam fluvium cum omnibus pertinentiis suis mobilibus et immobilibus, et quidquid isdem praeterea nostra donatione et supradicti marchionis nostri concessione in alio loco, qui dicitur Zdelsach, in eodem inquam comitatu posito in beneficium habere visus est cum omni integritate, curtibus, aedificiis, campis, agris, pratis, pascuis, silvis, montibus et collibus, venationibus, piscationibus, aquis aquarumque decursibus, molinis, terris cultis et incultis, vineis, familiis mancipiis utriusque sexus, viis et inviis, censibus exitibus et redditibus, quaesitis et inquirendis, mobilibus et immobilibus perrenni iure in proprium concedentes donavimus. Jussimus quoque inde praesens praeceptum conscribi, per quod volumus firmarique iubemus, ut praescriptus Zwetboch ex cunctis in praesenti pagina nostrae munificentiae rebus praelibatis cum omnibus accidentiis suis firmissimam habeat potestatem sibi retinendi, donandi, vendendi, commutandi, seu quidquid libuerit inde faciendi. Et ut haec auctoritas nostra firmiorem in Dei nomine habeat stabilitatem manu nostra subtus eam roboravimus, annuloque nostro iussimus insigniri. — Signum domini Arnolfi serenissimi imperatoris. — Wichingus cancellarius ad vicem Theotmari archicapellani recognoui. Data II. Nonas Septembris, anno incarnationis Domini DCCCXCVIII. indictione I. anno domini regis Arnolfi XI. actum Rantesdorff. Amen.

Archiv für Süddeutschland I. 215.

LXXXVII.

Arnolfus imperator fideli suo Heimoni judicium in pago Grunzwili et super Moravos concedit. 898.

Arnolfus rex . . . Noster quidam ministerialis, nomine Heimo, serenitatis nostrae magnitudinem deprecatus est, ut in orientalibus partibus in pago Grunswit dicto, ubi Arbo terminalis comes praeesse visus est, super proprietatem suam, legalem sibi rectitudinis potestatem in proprietatem concessissemus . . . . (Concedit ipsi facultatem locandae civitatis Heimburg.) . . . . Et si forsan de Maravorum regno aliquis causa iustitiae supervenerit, si tale quidlibet est, quod ipse Heimo vel advocatus eius corrigere nequiverit, iudicio eiusdem comitis potenter finiatur . . . . . . ad publicum iam fati comitis mallum ipse Heimo seu vicarius eius ad iustitiam exigendam pergat.

Fragmentum hoc in: Taschenbuch für die vaterländische Geschichte. Wien, 1813. pag. 36, 37 et 73.

LXXXVIII.

Arnolfus imperator tradit et donat urbem Pataviam cum integro theloneo *Wichingo, episcopo Pataviensi.* V. Idus Septembris, 899.

Aventini excerpta dipl. apud Oefel. I. 706.

LXXXIX.

Arnolfus imperator ad preces *Wichingi, episcopi Pataviensis,* et Isingrimi comitis donat ad capellam Rantesdorff divo Pancratio duo jugera ad utilitatem servorum Dei. Nonis Februarii, 899.

Aventini excerpta dipl. apud Oefel. I. 706.

XC.

Wichingus, episcopus prius Moraviensis, nunc Pataviensis, edicto concilii Salisburgensis sua sede movetur. 899.

Engilmarus Pactaviensis episcopus obiit, in cuius locum *Wihingus,* Alamannus quidam, contra instituta patrum, prius *Moravensis* ab apostolico destinatus *episcopus,* rege concedente successit. Sed non multo post a Deotmaro archiepiscopo *(Salisburgensi)* ceterisque suffraganeis suis contra voluntatem regis canonicali iudicio abiectus, ac Rihharius ad eandem sedem episcopus in id ipsum tempus ordinatus est.

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fuld. ad annum. — Fejér ex annalibus editis a Frehero in Scriptoribus German. conciliorum seculi IX. Tomo II. pag. 413.

XCI.

Theotmarus, archiepiscopus Salisburgensis, cum suis suffraganeis conqueruntur, non absque falsa criminatione, apud Joannem IX. de subtracta Moravia iurisdictioni Bavariae, et de intrusis ibidem archiepiscopo Joanne et episcopis Benedicto et Daniele. **899.**

Summo pontifici et vniuersali papae, non vnius vrbis, sed totius orbis domino Joanni, Romanae sedis gubernatori magnifico, humillimi paternitatis vestrae filii, Theotmarus, Juuauensis ecclesiae archiepiscopus, Valdo, Frisingensis, Erchenpaldus, Eystatensis, Zacharias, Saebonensis, Tutto, Ratisponensis, Richarius, Patauiensis ecclesiae episcopus; nec non et vniuersus clerus populusque christianus per totam Noricam, quae et Bauaria conuersatur, prosperum in saluatore nostro profectum, catholicae pacis augmentum, et regnum optamus aeternum. Antecessorum vestrorum decretis, et catholicorum patrum institutis plenissime instruimur, in omnibus nostro ministerio sacerdotali obstantibus et aduersantibus Romanum appellare pontificem, vt, quod ad vnitatem concordiae, et ad custodiam pertinet disciplinae, nulla dissensione violetur; sed ab ipso summa prouisione decernatur. Nequaquam enim credimus, quod coacti quotidie audimus, vt de illa sancta et apostolica sede, quae nobis sacerdotalis mater est dignitatis, et origo christianae religionis, profluxerit quippiam peruersitatis, sed doctrina et auctoritas ecclesiasticae rationis. Sed venerunt, vt ipsi promulgarunt, de latere vestro tres episcopi, videlicet *Joannes archiepiscopus, Benedictus et Daniel episcopi* in terram Schlauorum, qui *Maraci* dicuntur, quae regibus nostris et populo nostro, nobis quoque cum habitatoribus suis subacta fuerat, tam in cultu religionis, quam ex tributo substantiae secularis: quia exinde primum imbuti, et ex paganis christiani sunt facti. Et idcirco Patauiensis episcopus ciuitatis, in cuius ditione sunt illius tempore populi, ab exordio christianitatis eorum, quando voluit et debuit, illuc nullo obstante intrauit, et synodalem cum suis et etiam ibi inuentis conuentum frequentauit, et omnia, quae agenda sunt, potenter egit, et nullus ei in faciem restitit;

etiam et nostri comites illi terrae confines placita secularia illic continuauerunt, et quae corrigenda sunt, correxerunt, tributa tulerunt, et nulli eis restiterunt, vsque dum incessente corda eorum diabolo christianitatem abhorrere, et omnem iustitiam detrectare, belloque lacessere et obsistere saeuissime coeperunt adeo, vt via episcopo et praedicatoribus eo non esset, sed libitu suo egerunt, quae voluerunt. Nunc vero, quod nobis graue videtur et incredibile, in augmentum iniuriae iactitant, se magnitudine pecuniae id egisse, qualia de illa episcopali sede numquam audiuimus exisse, neque canonum decreta id sanxisse, vt tantum schisma vna pateretur ecclesia. Est enim vnus episcopatus in quinque diuisus. Intrantes enim praedicti episcopi in nomine vestro, vt ipsi dixerunt, ordinauerunt in vno eodemque episcopatu vnum archiepiscopum, si tam in alterius episcopatu archiepiscopium esse potest, et tres suffraganeos eius episcopos, absque scientia archiepiscopi, et consensu episcopi, in cuius fuere dioecesi. Cum in concilio Africano cap. XX. decretum sit, vt plebes, quae in dioecesibus ab episcopis retinentur, quae nunquam episcopos habuerunt, nonnisi cum voluntate eius episcopi, a quo tenentur, proprios accipiant rectores, vel episcopos. Et item in eodem concilio cap. LXV. vt plebes, quae nunquam habuerunt proprios episcopos, nisi ex concilio vniuscuiusque prouinciae et primatis, atque consensu eius, ad cuius dioecesim eadem plebs pertinebat, minime accipiant. In decretis papae Leonis cap. XV. scriptum est: Nulla ratio sinit, vt inter episcopos habeantur, qui a prouincialibus episcoporum metropolitani iudicio non consecrantur. Item cap. MLIX. Si indignis quibusque, et longe extra sacerdotale meritum constitutis, pastorale fastigium et gubernatio ecclesiae detur, non est hoc consulere populis, sed nocere; nec praestare regimen, sed augere discrimen. Et in eodem capite post pauca: Difficile est, vt bono peragantur exitu, quae malo sunt inchoata principio. Et in decreto papae Coelestini, antecessoris vestri, cap. XXII. continetur: ne alicui locus concedatur sacerdoti in alicuius iniuriam. Antecessor vester *Zuentibaldo duce* imperante, *Vichingum* consecrauit episcopum, et nequaquam in illum antiquum Pataniensem episcopatum transmisit, sed in quamdam neophytam gentem, quam ipse dux domuit bello, et ex paganis christianos esse parauit. Cum autem eisdem Schlauis locus familiaritatis apud legatos vestros dabatur, accusabant nos et diffamabant in multis, et verbis mendacibus instabant, quia nemo eis vera respondebant, dicentes: nos et cum Francis et Alemannis scandalum et discordiam habuisse; cum hoc falsum esse ex hoc conuincitur, quia amicissimi nostri sunt, et charitatiue cooperatores, et etiam cum ipsis impacatos esse accusabant. Quod non nostra culpa exigente, sed sua proteruia faciente ita fatemur esse, quia quando christianitas illis coepit vilescere, et insuper debitum tributum senioribus nostris regibus et principibus eorum soluere respuerunt, et in seruitium reciderunt. Idcirco iure proprio tributarios habere debuerunt, et debent, et si velint, nolint, regno subacti erunt. Quapropter oportet vos abs alto speculari, et moderaminis temperiem prae omnibus tenere, ne peior pars confortetur, et melior infirmetur. Progenitores namque serenissimi senioris nostri, Ludouici videlicet imperatoris nostri, et reges ex christianissima Francorum gente prodierunt; *Moimari* vero *Schlaui* a paganis et ethnicis venerunt; illi potentia imperiali Romanam rempublicam sublimarunt, isti damnauerunt; illi christianum regnum confortarunt, isti infirmauerunt. Illi toti mundo spectabiles apparuerunt, isti latibulis et vrbibus occultati fuerunt; illorum consilio apostolica sedes pollebat, istorum persecutione christianitas dolebat. In omnibus his iuuenculus rex noster, nulli praedecessorum suorum inferior, secundum virtutem a Deo sibi datam sanctae Romanae ecclesiae, et vobis summo pontifici, cum omnibus regni sui principibus adiutor optat esse firmissimus. Omne namque regnum diuinitus sibi commissum ad Dei seruitium, suumque adiutorium vnum vult et operatur. Vnde et pace viget, et concordia gratulatur, atque ad vestram paternitatem sicut patris sui se pertinere laetatur. Quod nos praefati Schlaui criminabantur, cum Vngaris fidem catholicam violasse, et per canem, seu lupum, aliasque nefandissimas et ethnicas res sacramenta et pacem egisse, atque, vt in Italiam transirent, pecuniam dedisse; si vobis coram posito ratio inter nos agitaretur ante Deum, qui cuncta nouit, antequam fiant, et coram vobis, qui vicem eius apostolicam tenetis, eorum falsitas manifestaretur, et nostra innocentia probaretur. Quia enim christianis nostris longe a nobis positis semper imminebant, et persecutione ipsos nimia affligebant, donauimus illis nullius pretiosae pecuniam substantiae, sed tantum nostra linea vestimenta, quatenus eorum feritatem aliquatenus molliremus. Talia namque, vt praescripsimus, iuxta malitiam cordis sui argumentantes, et pontifices vestros ad iniuriam nostram incitantes adeo, vt directa nobis epistola, quasi ab apostolica sede, haec omnia improperabant, atque inter alia diuino gladio feriendos dignos dicebant. Impletur enim in nobis, quod quidam sapiens ait: Justus tulit crimen iniqui. Ipsi enim crimen, quod a nobis falso semel factum imposuerunt, multis annis peregerunt. Ipsi multitudinem Vngarorum non modicam ad se sumserunt, et more eorum capita suorum pseudochristianorum penitus detonderunt, et super nos christianos immiserunt, atque ipsi superuenerunt, et alios captiuos duxerunt, alios occiderunt, alios ferina carcerum fame et siti perdiderunt, innumeros vero exilio deputauerunt; et nobiles viros, ac honestas mulieres in seruitium redegerunt; ecclesias Dei incenderunt, et omnia aedificia deleuerunt, ita, vt in tota Pannonia nostra, maxima prouincia, tantum vna non appareat ecclesia, prout episcopi a vobis destinati, si fateri velint, enarrare possunt, quantos dies transierunt, et totam terram desolatam viderunt. Quando vero Vngaros Italiam intrasse comperimus, pacificari cum eisdem Schlauis, teste Deo, multum desiderauimus, promittentes eis propter Deum omnipotentem ad perfectum indulgere omnia mala, contra nos nostrosque acta, et omnia reddere, quae de suis nostros constaret habere; quatenus ex illis securos nos redderent, et tamdiu spatium darent, quamdiu Longobardiam nobis intrare, et res s. Petri defendere, populumque christianum diuino adiutorio redimere liceret. Et nec ipsum ab eis obtinere potuimus; et post tanta maleficia haberent beneficia, et sunt falsi accusatores, qui semper fuerunt christianorum persecutores. Si quis in toto mundo nos aliorsum oberrasse, et iustitiae restitisse probare conetur, veniat praesens, et eum ludificasse, nosque de hac re sentietis purissimos esse. Idcirco singuli omnesque monendo precamur, ne vllo modo alicui falso, de nobis aliquam suspicionem referenti, creduli sitis, antequam oportunitas exigat, vt huius rei gratia missus de vestra celsitudine nobis, aut a nostra paruitate directus appareat vobis. Communis gemitus, et generalis dolor angustat, quos Germania et tota tenet Norica, quod vnitas ecclesiae diuiditur scissura. Est enim, vt praemisimus, vnus episcopatus in quinque diuisus. Ideo, si quid fraus maligna Schlauorum calliditate adduxerat, iustitia vertat. Vosque virtute ex alto induti, et apostolica potestate armati, iuxta prophetam: Quod fractum est, alligate; quod infirmum, consolidate; quod abiectum, reducite; vt deinceps populus et fidei integritate gratuletur, et sancta ecclesia tranquilla deuotione laetetur.

Theotmarus, indignus archiepiscopus, et apostolicarum rerum procurator promtissimus. Pecuniam vestro iuri debitam propter infestam paganorum saeuitiam nec per me poteram, nec per alios transmittere; sed quia Dei gratia liberata est Italia, quanto citius potero, vobis transmittam. Precatur nostra humilitas, vt dignetur vestra sublimitas respondere per singula transmissa cum epistola.

Alme pater mundi, dignus pro nomine Petri,
Nomine quem sequeris, vtinam virtute sequaris;
Sisque tuis famulis protector verus et impos;
Commendes domino, coelo qui praesidet alto.

E cod. Ms. monasterii Reichersperg primus integras literas vulgavit Christ. Gewold 1611, in append. diplom. ad chronicon Reichersperg. p. 33, unde ceteri plerique (Labbe concil. T. VII. Goldast, Schönsleber, Pessina, Stredowsky, Calles, Hansiz, Pray, Dobner, Fejér) sua hauserunt

XCII.

Hathonis, Moguntini archiepiscopi, ad eundem Joannem IX. intercessoria, ne Moravi ac Pannonii, erecto in gratiam Methodii archiepiscopatu, a Bavaris separentur. 900.

Domno sanctae et apostolicae et vniuersalis Romanae ecclesiae papae *Hatho* indignus praesul Moguntiensis ecclesiae, cum vniuersis suffraganeis, nostrae exiguitati adiunctis, debitum orationis obsequium et fidelem seruitutem. Nouerit igitur sublimitas sanctitatis vestrae, quod nulla fratrum vnanimitas sanctae Romanae ecclesiae potestati subiecta fidelior atque deuotior ac subiectior apparet, quam nos, qui vestrae dominationi et capiti omnium ecclesiarum omni mentis intentione subiicimur, plurimum gaudentes in Domino, et in dono gratiae ipsius, quod per vestram sanctitatem et sapientiam magnifice et amplissime sedes eiusdem ecclesiae dilatatur in religione diuina, et in hoc instantissime precibus incumbimus, deprecantes diuinam clementiam, vt ad altiora semper conscendere vos et de die in diem meliora sectari atque perficere concedat. De cetero vestrae clementiae innotescimus, seniorem nostrum Arnolfum imperatorem de huius exilio migrasse. Sed quod, quamdiu in hoc mundo subsistimus, per incerta ferimur, nescientes vbi quorumdam animae post hanc lucem mansionem recipiant; vestris quasi prouoluti vestigiis subnixe poscimus, vt animam ipsius vestrae auctoritatis potestate a vinculis peccatorum absoluatis: quia quaecunque solueritis super terram, erunt soluta et in coelo. Tali vero domino rectore et gubernatore amisso in nostris partibus vacillat nauis ecclesiae. Quem regem eligeret, paruo tempore inscia mansit, et quia timor magnus aderat, ne solidum regnum in partes se scinderet, diuino, vt credimus, instinctu factum est, vt filius senioris nostri quamuis paruissimus, communi consilio principum, et totius populi consensu, in regem eleuaretur; et quia reges Francorum semper ex vno genere procedebant, maluimus pristinum morem seruare, quam noua institutione insidere. Sed cur hoc sine vestra iussione et permissione factum sit, vestram haud dubitamus latere prudentiam, nulla scilicet alia causa actum constat, nisi quia paganis inter nos et vos consistentibus impeditum est iter nostrum ad sanctam matrem nostram Romanam sedem, ita, vt nec legati a nostra paruitate ad vestram dignitatem dirigi potuissent. Sed quia tamen occasio et tempus advenit, quo nostra epistola vestris obtutibus praesentaretur, rogamus nostram communem constitutionem vestrae dominationis benedictione roborari. Insuper etiam pietati vestrae intimamus, quod fratres et patres et coepiscopi nostri Bauarienses se apud nos conquerentes, et alta suspiria trahentes, gemebant, qualiter *Marauenses populi* Francorum potestati rebelles iactent, se ab illorum consortio esse diuisos, et seorsum metropolitano gloriantur a vestra concessione esse sublimatos: cum nunquam metropolitana sedes inter illos haberetur, sed semper illorum prouinciae et dioecesi cohaererent. Dolebat se etiam apud nos, quod quorumdam machinatione magna infamia circa vestram celsitudinem sint denotati, scilicet, vt cum paganis foedus et pacem inirent, et ipsi pagani consilio eorum agerent tam multa nefaria et illicita. De his omnibus consilium a nobis quaerentibus Bauariensibus episcopis, iustum respondimus esse, fratrum solatio semper adhaerere; quia propheta inquit: Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in vnum. Illi vero non in vnum habitant, qui fratrum se solatio subtrahunt, aut insidias fratribus praeparant. Nos illorum tristitiae compatientes nolumus illis consilium de talibus obiectionibus praebere, priusquam ad vestram interrogationem per epistolam nostram veniremus. Semper nos scimus carnales spiritales solere persequi, et maleuolos beneuolos infamare et lacerare. Praeuidere ergo summopere debent omnes, qui sacerdotes Domini persequuntur, tam occulte, quam manifeste, ne ad illos pertineat, quod propheta dicit: Cogitauerunt malitias in corde suo, tota die constituebant proelia, exacuerunt linguas suas sicut serpentes, ven. asp. sub lab. eor. Et paulo post: Cadent super eos carbones, in igne deiicies eos. Et iterum: Vir linguosus non dirigetur in terra. Virum iniustum mala capient in interitu. Et per Jeremiam inquit Dominus: Omnes in sanguine iudicantur: vnus quisque proximum suum tribulat. Omnes in malum manus suas praeparant. Non debent enim alieni episcoporum aut accusatores, aut iudices fieri. Vnde de Loth est scriptum: Ingressus es vt aduena, numquid vt iudices. Accusator autem episcoporum nullus seruus, aut libertus, nullaque persona suspecta, aut infamis; repellantur omnes inimici, et omnes laici. Isti fratres et coepiscopi nostri Bauarienses veraces Dei cultores, et boni pastores peruigili custodia custodiunt gregem sibi commissum, ne lupi rabies aliquam sancti gregis ouiculam rapiat in praedam suam. Stant pro muro domus Israel, ne aliqua vis inimica firmamentum ecclesiae dissoluat. Qui tales inquietat, de sua malitia impugnat, licet praesentem, futuram tamen non euadet poenam, quia scriptum est: Qui nos tangit, tangit pupillam oculi mei. Haec autem omnia praescripta vobis ideo dirigimus: quia estis caput totius sanctae ecclesiae, quaecunque per orbem diffunditur, et solamen moerentium; quaecunque tristia nobis contigerunt membris vestris: quia ipsi sanctissimi pastores Christi superius dicti in nulla re a catholica fide deuiantes, sed eandem sanctis operibus et ecclesiasticis officiis ornantes, apud nos conquerentes postulauerunt, vt vestrae notitiae manifesta faceremus: quia et illi per se ipsos vobis eadem innotescere vita comite promittant. Vnde poscimus, vt vestra consolatio illorum moerorem ad laetitiam reformet, et semper talia membra summo capiti, quod estis vos, se gaudeant adhaerere. Illi autem *Marauenses,* ut nostris auribus illatum est, in occassionem superbiae suae assumunt, quia a vestra concessione dicunt se metropolitanum suscipere, et singulariter degentes, aliorum episcoporum consortia refutant; si hac confidentiâ diutius inflantur, vsque sanguinis effusionem, vt multi arbitrantur, prosilient. In quantum praesumimus, admonemus, quatenus vestra auctoritas, priusquam hoc contingat, ad humilitatis viam illos corringendo deponat, ut tandem cognoscant, cui dominatui subiici debeant. Nos siquidem debitores esse cognoscimus, siquid a sanctae matris Romanae ecclesiae scilicet contigerit elabi, vos inde certificari, ut vestra potentia ad rectitudinis lineam perducatur. Quod si vestra admonitio illos non correxerit, velint, nolint, Francorum principibus colla submittent; et credimus absque effusione sanguinis et mutua caede, ex vtraque parte tunc posse bene contingere. Iterumque vestrae dignitatis auribus replicamus, quod tam episcopi, quam laici Bauuarienses in religione christianitatis nulla gente inferiores esse probantur; neque vmquam Franci absque illorum auxilio, aut in ecclesiasticis rebus, aut in bellicis negotiis nominatim, vel fama dignum aliquid peregerunt, sicut neque illi absque istis.

Ex eodem cod. Reicherspergensi (vide n. XIX. XCI.) edidit Chr. Gewold 1611 in app. ad chronicon Reichersperg. p. 20.

XCIII.

Fragmentum geographicum de terris Slavorum seculi IX.

Descriptio ciuitatum et regionum ad septemtrionalem plagam Danubii. Ysti sunt, qui propinquiores resident finibus Danaorum, quos uocant Nortabtrezi, ubi regio, in qua sunt ciuitates LIII. per duces suos partite. Vuilci, in qua ciuitates XCV et regiones IIII. Linaa est populus, qui habet ciuitates VII; prope illis resident, quos uocant Bethenici et Smeldingon et

Morizani, qui habent ciuitates XI. Juxta illos sunt, qui uocantur Hehfeldi, qui habent ciuitates VIII. Juxta illos est regio, que uocatur Surbi, in qua regione plures sunt, que habent ciuitates L. Juxta illos sunt, quos uocant Talaminzi, qui habent ciuitates XIIII. *Beheimare,* in qua sunt ciuitates XV. *Marharii* habent ciuitates XI. Vulgarii regio est inmensa et populus multus habens ciuitates V, eo quod multitudo magna ex eis sit et non sit eis opus ciuitates habere. — Est populus, quem uocant *Marehanos,* ipsi habent ciuitates XXX. Iste sunt regiones, que terminant in finibus nostris. — Isti sunt, qui iuxta istorum fines resident. Osterabtrezi, in qua ciuitates plusquam C sunt. Miloxi, in qua ciuitates LXVII. Phesnuzi habent ciuitates LXX. Thaelesi plusquam CC urbes habent. Glopeani, in qua ciuitates CCCC, aut eo amplius. Zuireani habent ciuitates CCCXXV. Busani habent ciuitates CCXXXI. Sittici, regio inmensa populis et urbibus munitissimis. Stadici in qua ciuitates DXVI populusque infinitus. Sebbirozi habent ciuitates XC. Vulizi populus multus, ciuitates CCCXVIII. Neriuani habent ciuitates LXXVIII. Attorozi habent CXVIII, populus ferocissimus. Eptaradici habent ciuitates CCLXIII. Vuillerozi habent ciuitates CLXXX. Zabrozi habent ciuitates CCXII. Zretalici habent ciuitates LXXIII. Aturezani habent civitates CIIII. Chozirozi habent civitates CCL. Leudizi habent ciuitates XLVIII. Thafnezi habent ciuitates CCLVII. Zeriuani, quod tantum est regnum, ut ex eo cuncte gentes Sclauorum exorte sunt, et originem, sicut affirmant, ducant. Prussani ciuitates LXX. Velunzani ciuitates LXX. Bruzi plus est undique, quam de Enisa ad Rhenum. Vuizunbeire. Caziri, ciuitates C. Ruzzi. Forsderen. — Liudi. Fresiti. Serauici. Lucolane. Vngare. Vislane. Sleenzane, civitates XV. Lunsizi, ciuitates XXX. Dadoseſana, ciuitates XX. Milzane, ciuitates XXX. Besunzana, ciuitates II. Verizane, ciuitates X. Fraganeo, ciuitates XI. Lupiglaa, ciuitates XXX. Opolini, ciuitates XX. Golensici, ciuitates V.

E codice Ms. seculi XI. in bibliotheca regia Monaci protulit Hormayr in: Archiv für öſterreichische Geschichte ect. p. 282. Notis vero criticis et commentario illustravit Jos. Dobrowsky ibidem p. 509.

XCIV.

Chartula vetustissima traditionum ad ecclesiam s. Petri Olomucii, scripta a fratre Silvestro. Initio seculi X.

Ratis dux tradidit in die consecrationis ecclesie sancti *Petri* (Olomucii) per uenerabilem fratrem *Kyrillum* omnes homines castelli et ciuitatis ad ripam usque *Maraue* fluuii. — *Zuatoplk* uero dux tradidit ad altare sancti Petri in manus sacerdotis *ioannis* sextam partem omnium, quecunque in supa *Olomutici* ad castellum proueniunt. — Et ego frater syluester scripsi hec feliciter. Amen.

Chartulam hanc a decano ecclesiae s. Petri Olomucii exhibitam Severus, Pragensis episcopus, propria manu transcripsit, et Otto, dux Moraviensis, suo sigillo roboravit; (vide anno 1062.) cujus transumtum in saepius memorato fragmento vestustissimi codicis ecclesiae Olomucensis quondam professor Monse detexit. Confer n. XLII.

XCV.

Pax inter Baioarios et Moravos iuramento firmatur. Radisbona, 901.

Generale placitum Radisbona civitate habitum est; ibi inter alia missi *Maravorum* pacem optantes pervenerunt. Quod mox ut pecierunt complacuit, et iuramento firmatum est. Inde ob hoc ipsum Richarius episcopus et Udalricus comes de Marahaha missi sunt, qui eodem tenore, ut in Baioaria firmatum fuit, ipsum ducem et omnes primates eius eandem pacem se servaturos iuramento constrinxerunt.

Pertz Mon. Germ. I. in annal. Fuld. ad annum.

XCVI.

Ludovicus rex ministeriali suo Zwetboch confert tria loca in valle Oliuspespurk in comitatu Aribonis. Act. apud Alpase, dt. VI. Kal. Oct. 903.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Ludewicus, divina favente gratia rex. Notum sit omnibus Dei ecclesiae fidelibus nostrisque, praesentibus et futuris, quomodo nos ob aeternae mercedis retributionem, et per obtentum fidelium nostrorum, Sighiardi scilicet comitis, Regimberti atque Isimgrimi ministerialium nostrorum cuidam homini, nomine *Zwetboch,* dilecti propinqui nostri Liupoldi videlicet marchionis vasallo, in valle, quae dicitur Oliuspespurk comitatu Aribonis inter tria loca Staicholfesdorf, Adalpoldesdorf et Wichartesdorf nuncupata hubas V cum consilio procerum nostrorum, consentiente etiam praefato Arbone iure perenni concessimus in proprietatem cum curtibus et aedificiis, campis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, molinis, piscationibus in Chreimsa, viis et inviis, exitibus et reditibus, quaesitis et inquirendis, mobilibus et immobilibus, omnibusque appendiciis et adiacentiis suis. Jussimus itaque hoc praesens auctoritatis nostrae praeceptum inde conscribi, per quod decernimus atque praecipimus, ut praefatus Zwetboch tempore perpetuo iure firmissimo ex ipsis donationis nostrae rebus utatur potestate habendi, donandi, vendendi, commutandi, vel quidquid sibi exinde placuerit faciendi absque ullius successoris nostri impedimento. Et ut haec largitionis nostrae auctoritas inviolabilem in Christi nomine per cuncta labentis mundi curricula obtineat stabilitatem, et a fidelibus nostris verius credatur, ac diligentius observetur manu nostra subtus eam firmavimus, et annuli nostri impressione sigillari iussimus. — Signum Ludewici serenissimi regis. — Engelspero notarius ad vicem Diotmari archicapellani recognovi. Data VI. Kalendas Octobris, anno incarnationis Domini DCCCCIII. indictione VII. anno vero IV. regni domini Ludewici regis. Actum apud Alpase in Dei nomine feliciter. Amen.

Archiv für Süddeutschland II. 217.

XCVII.

Placitum Ludovici regis jussu, de muta et teloneo in orientalibus partibus et terminis Moravorum, habitum in Raffelstetten. cc. **906.**

Nouerit omnium fidelium orthodoxorum presentium scilicet ac futurorum industria qualiter questio clamorque cunctorum Bawariorum episcoporum uidelicet abbatum. ac comitum omniumque qui in orientales partes iter habebant ante Hlodovicum regem uenerant dicentes se iniuste theloneo et iniqua muta constrictos in illis partibus et coarctatos. Ille uero secundum morem antecessorum regum hoc benignis auribus audiens. Arboni marchioni precepit. quatenus cum iudicibus orientalium quibus hoc notum fieret investigaret, ac iura thelonica modumque thelonii exploraret. Nuncios suos Theotmarum archiepiscopum Purchardum Patauiensis ecclesie presulem et Otacharium comitem dedit ut hoc in suo loco iuste legitimeque corrigerent. Et isti sunt qui iurauerunt pro theloneo in comitatu Arbonis. Walto uicarius. Durine uicarius Gundalperth. Amo. Gerprecht. Pazarich. Diotrich. Aschrich. Arbo Tunzili. Salacho. Helmvin. Sigimar. Gerolt. Ysac. Salaman. Humperht. Engilschalh. Azo Ortimuott. Ruothoh. Emilo. Item During. Reinott. Eigil uicarius. Poto. Eigilo. Ellinger. Otlant. Gundpold. Item Gerolt. Otperht. Adalhelm. Tento. Buoto. Wolfker. Rantolf. Korperht. Graman. Henno. Isti et ceteri omnes qui in hiis tribus comitatibus nobiles fuerunt post peractum iuramentum interrogati ab Arbone marchione in presentia Theotmari archiepiscopi et Purchardi presulis Patauiensis ecclesie residente cum eis Otachario comite in ipso placito in loco qui dicitur Raffoltestetun. retulerunt loca thelonio. et modum thelonei qualiter temporibus Hludouici Karlomanni ceterorumque regum iustissime exsolvebatur. Naues uero que ab occidentalibus partibus postquam egresse sint siluam Patauiam. et ad Rosdorf uel ubicunque sedere uoluerint et mercatum habere. donent pro theloneo semidragmam. idem scoti id est sunferius (si inferius) ire uoluerint ad Lintzam. de una naui reddant III semimodos idem III scafilos de sale. De mancipiis uero et ceteris aliis rebus ibi nichil solvant. sed postea licentiam sedendi et mercandi habeant. usque ad siluam

Boemicam. ubicunque uoluerint. Si aliquis de Bawris sal suum ad propriam domum suam transmittere uoluerit. gubernatore nauis hoc adprobante cum iuramento nichil soluant sed securiter transeant. Si autem liber homo aliquis ipsum legitimum mercatum transierit nichil ibi soluens uel loquens, et inde probatus fuerit. tollatur ab eo et nauis et subera. Si autem seruus alienus hoc perpetrauerit constringatur ibidem. donec dominus eius veniens dampnum persoluat et postea ei exire liceat. Si autem Bawari uel Sclaui istius patrie ipsam regionem intrauerint ad emenda uictualia cum mancipiis uel cavallis uel lobis. uel ceteris suppellectilibus suis ubicunque uoluerint in ipsa regione sine theloneo emant que necessaria sunt. Si autem locum mercati ipsius transire voluerint. per mediam plateam transeant sine ulla constrictione et in aliis locis ipsius regionis emant sine theloneo que potuerint. Si eis in ipso mercato magister conplaceat mercari. donent prescriptum theloneum et emant quicunque uoluerint et quanto melius potuerint. Carre autem salinarie que per stratam legitimam Anesim fluvium transeunt ad Urulam tantum unum scafil plenum exsoluant. et nichil amplius exsoluere cogantur. Sed ibi naues que de Trungoue sunt nichil reddant. sed sine censu transeant. hoc de Bawaris obseruandum est. *Sclaui vero qui de Rugis uel de Baemanis* mercandi causa exeunt. ubicunque iuxta ripam Danubii uel ubicunque in rotalariis. uel in reodariis loca mercandi optinuerint. de sagma una de cera duas messiolas. quarum uterque scoti unum ualeat. De onere unius hominis masiola una eiusdem precii. Si vero mancipia uel cauallos uendere uoluerit. de una ancilla tremisam I. de cauallo masculino similiter. De seruo saigam unam similis de equa. Bawari uero uel sclaui istius patrie ibi ementes uel uendentes nichil soluere cogantur. Item de nauibus salinariis. postquam siluam transierunt. in nullo loco licentiam habeant emendi uel uendendi uel sedendi antequam ad Eperaespurch perueniant. Ibi de una quaque navi legitima inde quum tres homines navigant. exsoluant de sale scafil. III nichilque amplius ex eis exigatur. sed pergant ad Mittarim uel ubicunque tunc temporis salinarium mercatum fuerit constitutum. et ibi similiter persoluant. idem III scafil. de sale. nichilque plus et postea liberam ac securam licentiam uendendi et emendi habeant sine ullo banno comitis uel constrictione alicuius persone. sed quantocunque meliori precio uenditor et emptor inter se dare uoluerint res suas liberam in omnibus habeant licentiam. Si autem transire uoluerint ad *mercatum Morauoram* iuxta estimationem mercationis terre temporis exoluat solidum unum denarium et licenter transeat. reuertendo autem nichil cogantur exsoluere legitimum mercatorem idem iudei et ceteri mercatores indecumque uenerint de ista patria uel de aliis patriis iustum theleneum soluant tam de mancipiis quam de aliis rebus sicut semper in prioribus temporibus regum fuit.

Monum. Boica XXVIII. 203. e cod. III. traditionum ecclesiae Patav.

XCVIII.

Hludovicus . . . rex ob preces Thetmari archiepiscopi, Luotpolt et Isingrim comitum, Purchardo episcopo Pataviensi *ob devastationem dioecesis a paganis (Hungaris)* confirmat Otingam in episcopi potestatem. Ad s. Florianum XV. Kal. Julii, 907.

Aventini excerpta dipl. apud Oefel. I. 707.

XCIX.

Ludovicus rex concedit Erchenbaldo, Eystettensi episcopo, facultatem erigendi in suo episcopatu aliquas munitiones *contra paganorum (Hungarorum) incursus.* Act. Francfurt, dt. Nonis Februar. 908.

Falkenstein cod. dipl. antiquitat. Nordgav. pag. 17. — Fejér VII. 1. pag. 86.

C.

Excidium et vastatio regni antiquae Moraviae per Hungaros. 905 — 908.

Loca illa sacra, vbi cepit christianitas, per eosdem *Vngaros,* tum paganos, deuastata et diruta atque in ruderibus dissipata iacere, et ecclesias in illis partibus terre nostre omnes ad unam spoliatas et profanatas existere . .

Vide literas Bracislai, ducis Moraviensis, sub anno 1030. quondam e fragmento vestutissimi codicis ecclesiae Olomucensis a professore Monse desumtas. Cfr. n. XLII. Item mentionem faciunt ejusdem „uastationis hungarorum" literae Severi, episcopi Pragensis, quas vide ad annum 1062.

CI.

Literae ecclesiae Salisburgensis, in quibus testis scribitur Zuentibold. Actum ad Carantanam X. Kalend. Januarii, 927.

In nomine Domini Dei eterni. Cognoscant omnes fideles, qualiter Odalbertus, sancte Juuauensis ecclesie uenerabilis archiepiscopus, quandam complacitationem consultui fidelium suorum clericorum ac laicorum aurem prebens cum Kotaberto fideli suo uenerabili choriepiscopo peragere decreuit. Tradidit namque Kotabertus choriepiscopus cum manu aduocati sui ducis Pertoldi proprietatem, quam tradente Kernia in loco Lominicha Kimundi dicto suscepit, et ad Grazluppa, ad Perchach ueluti Rihbaldo et Engilfredo tradentibus in proprium accepit. Et ad Zurdoh quicquid proprietatis uisus est habere, et in pago Salzburgouui dicto in uico Mauriciano proprietatem, quam tradente Engilhilda sanctimonialis femina accepit. Ueluti ipsa olim temporibus Pilgrimi archiepiscopi in beneficium tenuit, ac postea de Odalberto uenerabili archiepiscopo in proprietatem commutauit. Et ad Holzhusun, quod tradente predicta Engilhilda suscepit, quam ipsa emptione sua acquisiuit, et mancipia VIII causa conplacitationis in manus Odalberti archiepiscopi et aduocati sui Reginberti ad s. Petrum sanctumque Rodbertum et ad sanctam Salzburgensem sedem post obitum suum in proprietatem. Ea uidelicet ratione, ut si Engilhilt et Kerni eum superuixerint, que ab eis predicto choriepiscopo tradita sunt, usque in finem uite sue in proprietatem possideant, et postea ad predictam sedem perenniter in proprietatem consistant. Econtra uero Odalbertus uenerabilis archiepiscopus cum manu aduocati sui Regimberti in manus Kotaberti choriepiscopi et aduocati sui Bertoldi ducis hec loca, ad sanctam Mariam ad Carantanam, ad sanctum Petrum in ciuitate Carantana, ad s. Laurentium, ad Kurzizam, ad Zeleznam, ad s. Petrum ad Ostarwizam, ad Treuinam. Item ad s. Mariam ad Drauum, ad Muoriza Kimundi, ad Rotemmannum, ad Lauentam beneficium Engilhilde sanctimonialis femine, cum mancipiis utriusque sexus et decimis omnibusque rebus magnis ac paruis, ad predicta loca rite legitimeque pertinentibus, et ab eo inuestitura possessis sibi usque in finem uite sue in proprietatem tradidit et transfudit, postea uero hec loca predicta cum omni integritate ad s. Petrum sanctumque Rodbertum ad sanctam Juuauensem sedem perenniter in proprietatem possidendum. Excepto quod predicta Engilhilt Kurhiznam et Zeleznam et ad s. Petrum ad Ostarwizam cum omnibus ibidem pertinentibus usque in finem uite sue in proprietatem possideat, et predicta Kerni locum Muoriza Rimundi usque in finem uite sue in proprietatem obtineat. Postea uero integerrime ad s. Petrum sanctumque Rodbertum ad sanctam Juuauensem sedem perenniter in proprietatem consistant. Isti sunt testes per aures attracti. Rodperht comes. Reginher comes. Dietmar comes. Sigipold comes. Reginhart. Arpo. Weriant. Merwat. Ascuuin. Herolt. Turdagouuo. Sarahilo. Arnkis. Dietram. Hinto. Auo. *Zuentibold.* Erinperht. Ernest. Egiuuint. Kerkoh. Liutprand. Noting. Woluo. Chunirich. Regimhoh. Arpo. Raci. Enci. Papo. Rocholf. Ruodperht. Wielant. Actum in synodo in ecclesia s. Marie ad Carantanam, anno Domini incarnationis DCCCCXXVII. indictione XV. sub die X. Kalendas Januarii feliciter in Dei nomine.

Hormayr Oesterr. Archiv.

CII.

Literae aliae ecclesiae Salisburgensis, in quibus testis scribitur Zuentipolch. 928.

Nouerint omnes Christi fideles, quoniam Odalbertus archiepiscopus quandam commutationem cum Chadalhoho comite decreuit faciendam. Tradidit namque predictus Chadalhoh in manus Odalberti archiepiscopi et aduocati sui Reginberti hobam I de territorio et de pratis ad Pirchinauuanch ad sanctum Petrum sanctumque Rodbertum perenniter in proprietatem. E contra vero tradidit predictus archiepiscopus cum manu aduocati sui Reginberti prescripto Chadalhoho locum, Fredinghhova dictum, perpetualiter in proprietatem. Hi sunt testes ex vtraque parte per aures attracti: Engilperth comes. Nordperth. Uuitagouuo. Rafolt. Auo. Adalfried. Kerhoh. Pirhtito. *Zuentipolch.* Puopo. Hiltipold. Adalperht. Erchanolf. Tusto. Imizi. Item Uuitagouuo.

Archiv für Süddeutschland — Item: Hormayer Beiträge z. G. Tyrols, II. 21.

CIII.

Literae tertiae ecclesiae Salisburgensis, in quibus testis scribitur Zuentipolch. Actum Salzpurch III. Kalend. Aprilis, 930.

Nihil sibi quisque uideatur minuendum, qui econtra recipit in augmentum. Quapropter omnis, qui christiano profitetur nomine agnoscat qualiter Odalbertus, Juuauensis sedis archiepiscopus, consilio fidelium suorum, clericorum scilicet et laicorum omnium, quandam complacitationem cum quodam nobili uiro Marhuuart agere decreuit. Tradidit itaque idem Marhuuart in manus eiusdem archiepiscopi Odalberti et aduocati sui Reginberti talem proprietatem, qualem ad Undrimam habere uisus est, et omnem inuestituram statim dimisit ad s. Petrum sanctumque Rodbertum in proprietatem perpetuis temporibus possidendum, cum mancipiis et edificiis, terris, pratis, cultis et incultis, ceterisque omnibus iuste ad hanc proprietatem accedentiis, ut ad sanctam Juuauensem sedem in proprietatem post diem eandem nullo impediente consisterent. Econtra uero ipse iam dictus archiepiscopus una cum Reginberto aduocato suo eidem nobili uiro Marhuuart vocitato, de rebus sancte Dei ecclesie sibimet commisse tradidit curtem ad Puoche et loca ad hanc accedentia, nuncupata ad Furti et Pischoffesperch cum edificiis et mancipiis tunc inibi manentibus, exceptis duobus; et si forte aliquid exinde in seruitio Dei domus tunc foret occupatum, pretermisit ceteraque omnia tam in mancipiis, quam territoriis cultis et incultis, quesitis et inquirendis, sicut antea quondam Hartwich eiusdem episcopi proximus et aduocatus ibidem in beneficium habuit; et post eum Pertholt dux habuit complacitatum, et concordia subscriptis testibus relictum usque in finem uite sue. Et postea filius eius, si aliquem ex coniuge legitima habeat genitum, si autem filium legitime adultum pro *(sic loco ex)* uxore minime habeat, dominus eius Pertholt dux, si eum superuixerit usque ad obitum eius in proprietatem possideat; postea ad predictam sanctam sedem in proprietatem perennem consistat. Isti sunt tetes: Pertholt dux. Luitpercht comes. Razo. Heimo. Pirhtilo. Papo. Gerhoh. Heriperht. *Zuentipolch.* Welisinch. Sigihart. Puopo. Ruodperht. Walrich. Engilperht. Pernhart. Adalhart. Et per omnia decimam, que ad portam pertinet, pretermiserunt. Actum ad Salzpurch, anno DCCCCXXX. die III. Kalendas Aprilis.

Hormayr Oesterr. Archiv.

CIV.

Leo papa VI. Gerhardum, archiepiscopum Laureacensem, pallio ornat, hortaturque ad convertendos Hungaros et Moravos. 937.

Leo episcopus, seruus seruorum Dei, reuerendissimo et sanctissimo confratri nostro Gerhardo, sancte Lauriacensis ecclesie archiepiscopo, omnibus diebus vite tantum tue exhinc ammodo. Si pastores ouium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, et ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant: quanto sudore quantaque cura debeamus esse peruigiles nos, qui pastores animarum dicimur, attendamus, et susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ouium non cessemus; ne in die diuini examinis pro desidia nostra ante summum pastorem negligentie reatus excruciet. Vnde modo honoris reuerentia sublimiores inter ceteros iudicamus. Pallium autem fraternitati tue ad missarum solennia celebranda concedimus, quo tibi non aliter, ecclesie tue priuilegiis in suo statu manentibus, vti largimur, non solum in die consecrationis chrismatis ac sancte et venerande resurrectionis domini nostri Jesu Christi, seu in natalibus sanctorum apostolorum atque beati Joannis baptiste, nec non in festiuitatibus sancte Dei genitricis Marie; simulque in Domini nostri natiuitatis die; pariterque in solennitatis ecclesie tue die; et natalitio tuo die; verum etiam in consecratione episcoporum et presbiterorum, et quando a te synodus celebratur; si forte conuenticulum illic fuerit neophytorum, qui ad fidem tua exhortatione sunt perducendi; nec non in festiuitate s. Stephani protomartyris sanctique Laurentii et illorum Sanctorum, qui corporaliter in tua requiescunt parochia, vti concedimus die, sicut a predecessore nostro Gregorio, huius alme sedis presule, sancitum est. In secretario vero tua fraternitas pallium induere debet, et ita ad missarum solennia proficisci, et nihil tibi ausu, temeritate presumtionis arrogare. Ne dum in exteriori habitu inordinati aliquid arripitur, ordinate, etiam que licere poterant, amittantur; cuius quoniam indumenti honor modesta actuum viuacitate seruandus est, hortamur, vt et morum tuorum ornamenta conueniant, quatenus auctore Deo recte vtrobique possis esse conspicuus. Itaque vita tua sit filiis tuis regula, in ipsa, si qua fortitudo illis ingesta est, oculos dirigant, in ea, quod imitentur, aspiciant. In ipsa se semper considerando proficiant, et tuum, post Deum, videatur esse beneficium, quod vixerint. Cor ergo neque prospera, que temporaliter blandiuntur, extollant, neque aduersa deiiciant, sed, quidquid illud fuerit, virtute patientie deuincatur. Nullum apud te locum odia, nullum fauor indiscretus inueniant. Benignum te sentiant boni, districtum mali cognoscant; insontem apud te culpabilem suggestio mala non faciat, nocentem gratia non excuset. Remissum te delinquentibus non ostendas, ne, quod vltus non fueris, perpetrari permittas. Sit in te et boni pastoris dulcedo, sit et iudicis seuera districtio; vnum scilicet, quod innocenter viuentes foueat, aliud, quod inquietos feriendo a prauitate compescat: sed quod nonnunquam propositorum scelus, dum disrictus malorum vult vindex existere, transit in crudelitatem correctio, iram iudicio refrena, et censura discipline sic vtere, vt et culpas ferias, et a dilectione personarum, quas corrigas, non recedas. Misericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exhibe. Oppressis defensio tua subueniat, opprimentibus modesta correctio contradicat. Nullius faciem contra iustitiam accipias, nullum querentem iustitiam despicias; custodia equitatis in te excellat, vt nec diuitem potentia sua aliquid extra viam apud vos suadeat rationis audere, nec pauperes de se sua faciat humilitas desperare: quatenus Deo miserante talis possis existere, qualem sacra lectio precipit dicens: oportet episcopum irreprehensibilem esse. Sed his omnibus salubriter vti poteris, si magistram charitatem habueris, quam qui secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Ecce frater charissime, inter multa alia ista sunt sacerdotii, ista pallii, que si studiose seruaueris, quod foris accepisti, intus habes; fidem autem, quam in tuis episcopis breuiter assignasti, licet latius explanare debueras, redemptori tamen nostro gratias agimus, quod eam in ipsa breuitate ratam esse cognouimus. Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratie sue protectione circumdet, atque in timoris sui via nos dirigat, vt post huius vite amaritudines ad eternam simul peruenire dulcedinem mereamur. Amen.

Ludewig. script. Bamberg. II. 352. — Hansiz Germ. Sacra I. 191.

CV.

Leo VI. episcopis Germaniae ad quasdam respondens questiones religionem in Pannonia et Moravia sub dominio Hungarorum passam, ecclesiasque destructas esse significat. 937.

Leo episcopus, servus seruorum Dei, regibus, ducibus, episcopis, abbatibus, comitibus, pari etiam modo Egilolpho, Juuauiensis, Isingrimo, Ratisponensis, Lantperto, Frisingensis, Visundo, Sebonensis ecclesie venerabilibus episcopis, et ceteris per Galliam, Germaniam, Bauariam, Allemanniam commorantibus. Si instituta ecclesiastica, vt sunt a beatis apostolis tradita, integra vellent seruare Domini sacerdotes, nulla diuersitas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur; sed dum vnusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, inde diuersa in diuersis locis vel ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur. Hac de re fit scandalum populis, dum multa in vestra prouincia contra canones ecclesiasticos decretaque maiorum vsurpare videntur; que quidem possent facile resecari, si episcopi in his non viderentur auctores, qui, secularibus intenti, humanum fauorem captantes, religionem violant, ordinesque contemnunt. Nos siquidem diuinis preceptis et apostolicis incitamur monitis, vt pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu; idcirco fraternitati vestre cognitum facimus, quod Gerardus, sancte Laureacensis ecclesie archiepiscopus, causa orationis ad limina veniens apostolorum, nostram apostolicam presentiam visitare, ac benedictionis gratiam a nobis percipere solicite studuit; multa, que reprehensione digna sunt, nostris auribus lacrymosis vocibus intimauit, tota cordis intentione a nostra apostolica auctoritate de his, que contra canonum regulam et decreta maiorum in vestris geruntur prouinciis querens consilium. Scitis enim, quod ab ipso Domino beato Petro, principi apostolorum, eiusque vicariis omnium ecclesiarum cura commissa est, veritatis voce dicente: Tu es Petrus et super hanc petram edificabo ecclesiam meam; cui etiam proprias oues commendauit, dicens: Si diligis me, pasce oues meas. Et idcirco pro vniuersis ecclesiis solicitudinem gerimus, et veluti in specula positi, quod per tocius orbis prouincias geratur, vigili cura insistimus. De quibus ergo apostolicam sedem consuluit, et qualia nos ei responsa dedimus per hos nostros apices vobis intimare curamus. Eius namque interrogatio speciatim talis erat: De auguratoribus et incantatricibus et maleficis vario modo mortificatis a populo, si aliqua penitentia debeat exigi. De talibus namque personis, quid veteris ac noui testamenti pagina censeat, manifestum est. In lege namque Mosaica scriptum est: maleficos non patiaris viuere; similiter in Samuelis libro legitur: quia exterminauit Saul omnes Pythonissas de terra; et alia, que enumerare longum est. Sed nos etiam tales nostris exhortationibus ad penitentiam trahere debemus, vt magis ecclesiastico iudicio penitendo viuant, quam gladio vindice puniantur, dicente beato Paulo apostolo: Non enim posuit Deus nos ad iram, sed in acquisitione salutis. Quod si ecclesiastica iudicia spreuerint, humanis subiaceant legibus: meminisse enim debent, a Deo potestates fuisse concessas, et ad vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, et Dei ministrum fuisse datum in huiusmodi vindictam. Et dum in talibus improbis legum exercetur auctoritas, dicente beato Innocentio: erit dictator immunis. Consultum est etiam, vtrum episcopi: Pax vobis, an Dominus vobiscum pronunciare debeant. Sed non aliter per omnem vestram prouinciam tenendum est, quam in sancta Romana ecclesia. In dominicis enim diebus et in precipuis festiuitatibus atque Sanctorum natalitiis, Gloria in excelsis Deo, et pax vobis pronunciamus; in diebus vero quadragesime et in IV temporibus, siue in vigiliis Sanctorum et reliquis ieiuniorum diebus: Dominus vobiscum tantummodo dicimus. Post hec consuluit: Si dominica oratio in benedictione ciborum debeat vsitari. Quod fieri non oportet, quia in sanctificatione corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi hanc solummodo orationem sancti apostoli decantabant; et in euangelio legitur: quia post cenam a Domino factam, hymno dicto, exierunt ad montem oliuarum. Post hec interrogauit de eo: qui matrem et filialem spirituales in coniugio ducit; quod ne fiat, sacri canones per omnia vetant. In canonibus Zacharie ita habetur: vt presbitera, diacona, monacha, vel etiam spirituali commatre, aut spirituali filia nullus vtatur; nam qui huiusmodi opus perpetrauit, sciat se anathematis vinculo innodatum, et Dei iudicio condempnatum, atque a sacro corpore et sanguine domini nostri Jesu Christi alienum; et quicunque sacerdotum eis communicare presumpserit, eorum iudicio condempnatus sacerdotii sui honore priuetur. Dehinc intulit lamentabile et nimis lugendum: vt Domini sacerdotes publice ducant vxores, et si filii eorum valeant promoueri? Quod scelus, quia omnis sacra scriptura contradicit: quia sanctum et venerandum Nicenum concilium vetarat, ne sacerdotes cum feminis habitare presumant, multo magis ne copulari vel sociari mulieribus debeant, iuxta sacros canones modis omnibus prohibemus. In Neocesarensi namque concilio ita habetur: Presbiter, si vxorem acceperit, ab ordine deponatur; et qui in tali scelere fuerint reperti, nostra apostolica auctoritate ab omni priuentur honore. Filii vero eorum immunes ab eorum peccato sunt, dicente propheta: Filius non portabit iniquitatem patris, et in baptismate sacro omnia dimittuntur peccata. Dehinc perquisiuit: si a chorepiscopo ecclesie debeant consecrari, aut presbyteri ordinari, vel consignatio chrismatis, et manus impositio fieri; que omnia chorepiscopo, ne fiant, interdicimus iuxta canonum decreta. In concilio Antiocheno capite decimo sic habetur: Qui in vicis et possessionibus chorepiscopi nominantur, quamuis manuum impositionem perceperint episcoporum, tamen sancte synodo placuit, vt modum proprium recognoscant, et gubernent subiectas sibi ecclesias, ordinent etiam lectores et subdiaconos atque exorcistas, quibus promotiones iste sufficiant, nec presbiterum nec diaconum audeant ordinare. Si quis autem transgredi statuta tentauerit, depositus, quo vtebatur, honore priuetur. Perquisiuit etiam: si vir et mulier tertio vel quarto gradu consanguinitatis coniuncti et inscii coniugio copulantur, postea Dei respectu compuncti ostendunt se sacerdoti, secrete confitentes peccata sua; vtrum valeant eleemosynarum largitione ac bonorum operum exhibitione purgari. De talibus enim personis in veteri ac nouo testamento multa reperiuntur exempla; maxime in conciliis Gregorii et Zacharie, in quibus hec continentur: Vt consobrinam, nouercam, neptem, fratris vxorem, nurum, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuit, nullus coniugio presumat sibi copulare. Si quis vero hoc nefario coniugio conuenerit, sciat se auctoritate apostolica anathematis vinculo innodatum, et nullus sacerdos ei tribuat communionem; et si inclinatus diuisusque fuerit ab illicita copula, penitentie submittatur, vt sacerdos loci considerauerit. Devastatoribus autem ecclesiarum unde inquisiuit, nihil aliud scribimus, nisi que Paulus apostolus ad Timotheum scribens ait: Argue, increpa, obsecra cum imperio. His vero omnibus prelibatis fraternitatem uestram monemus per hanc nostram apostolicam iussionem, vt huic Gerardo archiepiscopo, cui vicem nostram in omnibus finibus vestris commisimus, in cunctis, que ad ecclesiasticum ordinem pertinent, obedientes et adiutores sitis; quatenus in una concordia persistentes, vt ecclesiastica iura et christianitatis religio in uestris partibus, que paganorum incursione et malorum christianorum persecutione corrupta et deprauata esse videntur, Domino largiente, et beato Petro apostolorum principe cooperante, ad rectitudinis normam valeant reformari, et vos in futuro examine securi possitis audire vocem Domini dicentis: Euge, serue bone et fidelis, quia super pauca fidelis fuisti, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. Preter hec Eberardo, duci Bauariorum, nostra auctoritate iniungimus, vt prefato Gerardo archiepiscopo in omnibus auxilium prestet, vt sue ecclesie status et rectitudo ac proprius vigor ad integrum culmen et priscum decorem suo iuuamine valeat peruenire; si Dei indulgentia et sancti Petri etiam suorum delictorum a nobis vult accipere remissionem.

Ludewig. script. Bamberg. II. 354. — Hansiz Germ. Sacra I. 191.

CVI.

Agapitus papa II. Gerardo, archiepiscopo Patariensi. ecclesias Pannoniae et Morariae exordio nascentis ecclesiae christianae a doctoribus Laureacensibus fidei rudimenta percepisse rescribit; ipsumque ad archiepiscopum evehit, et archiepiscopatus Salisburgensem et Laureacensem terminat. 946.

Agapitus episcopus, seruus seruorum Dei, fratri dilectissimo et reuerendissimo Gerardo, sanctae Laureacensis ecclesiae archiepiscopo in Christo salutem. Petitiones tuas pro renouandis siue approbandis ecclesiae tuae priuilegiis venerabilis Fuldensis monasterii abbas Hademarus, hunc causa orationis veniens, cum magna beneuolentia nostrae experientiae suggessit, pariterque iurgia et disceptationes grauissimas inter te, et Heroldum archiepiscopum, pro vtrinque suscepta in una prouincia pallii auctoritate, exortas, flebiliter nunciauit, quod et ipse ex debita pastorali cura nimio cordis moerore dolemus, detestabiliterque profanamus. Quippe sancta et vniuersalis ecclesia, cui auctore Deo praesidemus, e religiosis atque pacatis sacerdotibus suis et in charitate non ficta soliditatis, quasi totidem columnis innisa fulcitur, discordantibus autem, et aduersum se hostiliter inflante superbia animum tollentibus, praesertim tantis pontificibus, velut euulsis sustentaculis casura non sine magno periculo, et vigoris sui detrimento a proprio statu concutitur. Insuper etiam dum deforis inter vos pro pallii honore pertinaciter huiusmodi contentio exercetur, agitur, vt in fraterna aemulatione decor sacerdotii intus euacuetur. Inde ergo frater officium nostrum illud esse perpendentes, ne inimicitiarum fomite in vobis succrescente dissidium s. Dei ecclesiae scandalumque sine consilii ac vtilitatis vestrae respectu diutius nutriatur, ad sequestrandum litem vestram accedimus nos arbitres tam ex sollicitudine a Domino regiminis iniuncti, quam amborum vestrum amore ad hoc permoti; ita videlicet, vt et de perhibita conflictus vestri querimonia, rationalibus iudiciis rite iustitiae satisfaciamus, et vos, omni explosa controuersia, in fraternam concordiam Christo moderante reuocemus. Notum est igitur, litterisque penes nos commendatum, quibus ecclesiarum locis dignitas pallii ab hac apostolica sede debeatur. Laureacensem autem vrbem antiquitus metropolitanam fore et archiepiscopi sedem, cui sanctitas tua praeesse dignoscitur, sicut in priuilegiis authenticis ad nos vsque a te directis legimus, ita quoque inuentis quibusdam exemplaribus chartae vetustae, admodum attritis, in archiuo s. Petri reperimus. Hanc etiam in exordio nascentis ecclesiae, et immanissima christianorum persecutione, a doctoribus istius sedis catholicae fidei nouimus rudimenta percepisse, et exinde a succedentibus praedicatoribus in superioris atque inferioris Pannoniae prouinciis eiusdem fidei emanasse gratiam. Quibus etiam duobus prouinciis illarumque pontificibus vsque ad tempora Hunnorum non alius, quam sanctae Laureacensis praefuit archiepiscopus; quorum barbarica feritas non solum praedictam Lauriacensem ciuitatem, verum etiam in circuitu adiacentes regiones depopulauit atque funditus desolauit. Inde quidem contigit, vt episcopi hac necessitate compulsi, sede illa deserta atque alio translata, simul etiam archiepiscopalem ipsius sedis desererent honorem. Modernis autem, nec multum retro elapsis temporibus, vacante ab apostolico vicario Bauariorum regno, Arno primus sanctae Salzburgensis ecclesiae subrogatur archiepiscopus. Haec testatur annosa sacri scrinii historia. Modo autem mortalibus, propitiante Christo, ab hostibus sanctae Lauriacensis ecclesiae quiete et habitandi securitate concessa, non alibi, quam ibidem, fraternitatis tuae cathedra oportet haberi. Quapropter reinthronizamus eidem ecclesiae sanctorum patrum, videlicet praedecessorum nostrorum, sed et beatae memoriae domini Leonis papae, a quo excellentia tua pallio et priuilegio donata est, sanctiones atque statuta exequentes, ac saepedictam Lauriacensem sanctam ecclesiam potestate, ac vice beati Petri apostolorum principis absoluimus, et archiepiscopamus, et in culmen metropolitanum sublimamus, et priuilegia nobis transmissa manu propria munimus et corroboramus, ac rata esse firmamus, denuoque tibi pallium cum praesenti praecepto secundum vsum prius concessum, successoribusque tuis perpetim tenendum tradimus. Hisque ex amussi ita ad iustitiam reintegratis, decreuimus rixas vestras et dissensiones praefata ex causa deriuatas dirimere, atque in fraternum amorem vos reconciliare, sic, vt vtrique vestrum modo susceptus seruetur pallii honor illaesus; hortantes, quatenus apostolice instituti, amodo non in contentione et aemulatione maneatis. Constat quidem, quod canonice singulis prouinciis singuli ordinantur metropolitani; proinde distribuere, atque determinare ita vobis parrochias, bonum et pacificum aestimamus, et diuisio duabus Noricae regionis prouinciis, Heroldo archiepiscopo occidentalis Pannoniae cura committatur et custodia; tibi autem et successoribus tuis propter emeritam antiquitatem sanctae Lauriacensis ecclesiae, cui iure iuniorum reuerentia assurgit, in benedictionis et sedis ordine praelatis atque praepositis, prouidentiam *orientalis Pannoniae, regionemque Auarorum atque Marahorum, sed et Schlauorum,* qui modo christiani, vel adhuc per baptisma Christo lucrandi sunt, circumquaque manentium credimus, nostramque apostolicam vicem in illis partibus praedicandi, et pro arbitrio vestro, vbi opus est, episcopos constituendi, omniaque disponere ac ordinare tali auctoritate atque potestate delegamus, ac si ipsi praesentes affuissemus. Quod si iam dictus Heroldus archiepiscopus deinceps suorumque quispiam successorum minime diffinito limite contentus, sed interdictam, atque a sua potestate superatam dioecesim repetere peruicaciter conatur, nec a prohibitae contentionis schismate per istas nostras apostolicas traditiones atque determinationes compescitur; ipse etiam pie concessa dignitatis munificentia penitus priuetur, atque secundum ius pristinum superior Pannonia continuetur inferiori, atque tuae tuorumque successorum ambae perpetualiter subiaceant ditioni. Allubescentes autem, assensum praebentes istis nostris saluberrimis decretis, benedicimus, et catholicos approbamus; resistentes vero atque infirmare vel omnino peruertere contendentes anathemate maranathanae

s. Trinitatis districte percutimus, et apostolica sententia, qua mulctati Anania et Saphira exspirauerunt, damnamus, et cum blasphematoribus s. Spiritus sempiternis cruciatibus puniendos destinamus.

Ludewig l. c. — Hansiz 197. — Goldast in append. p. 11.

CVII.

Otto, rex Romanorum, ecclesiae s. Petri et s. Emmerami Ratisbonae curtes quasdam regales donat. — Dt. „*Beheim*, in suburbio *Niuunburg*" 16. Julii, 950.

Orig. in arch. Monach. — Monum. Boica XXVIII. p. 182.

CVIII.

***Joannes XIII. papa concedit ad preces Mladae patri ejus Boleslao duci Boemorum, ut ad ecclesiam ss. Viti et Wenceslai Pragae fiat sedes episcopalis.* 967.**

Joannes episcopus, servus servorum Dei. ***Boleslao*** catholice fidei alumno apostolicam benedictionem. Justum est beneuolas aures iustis accommodare petitionibus, quia Deus est iustitia, et qui diligunt Deum, iustificabantur, et omnia diligentibus Dei iustitiam cooperantur in bonum. Filia nostra, tua relatiua, nomine *Mlada, que et Maria,* inter ceteras haud abnegandas petitiones, cordi nostro dulces intulit ex parte tui preces, scilicet ut nostro assensu in tuo principatu ad laudem et gloriam Dei et ecclesie liceret fieri episcopum. Quod nos utique leto animo suscipientes, Deo grates retulimus, qui suam ecclesiam semper et ubique dilatat et magnificat in omnibus nationibus. Unde apostolica auctoritate et sancti Petri principis apostolorum potestate, licet tamen indigni sumus vicarii, annuimus et collaudamus, atque incanonizamus, ut *ad ecclesiam ss. Viti et Wenceslai martyrum fiat sedes episcopalis;* ad ecclesiam vero s. Georgii martyris sub regula s. Benedicti, et obedientia filie nostre abbatisse Marie constituatur congregatio sanctimonialium. Verumtamen non secundum ritus aut sectam Bulgarie gentis, uel Russie aut Slauonice lingue, sed magis sequens instituta et decreta apostolica, unum potiorem totius ecclesie ad placitum in hóc opus eligas clericum latinis apprime literis eruditum, qui uerbi uomere noualia cordis gentilium scindere, et triticum bone operationis serere, atque manipulos frugum nostre fidei Christo reportare sufficiat. Vale.

Cosmas. ad 967. — Pessina in phosphoro. p. 19. — Dobner annal. VI. 164. et alii.

CIX.

Episcopatus *Pragensis*, a *Boleslao* duce fundatus, ab Ottone imperatore et Benedicto papa VI. confirmatur. **972. — 973.**

Vide diploma Henrici imperatoris ad annum 1086.

CX.

Benedictus papa VII. Fridericum archiepiscopum Salisburgensem confirmat, ejusque jurisdictionem in utramque Pannoniam (cum Moravia) extendit. **974.**

Benedictus, diuina fauente gratia, atque totius populi Romani electione, apostolicus. Friderico Salzburgensis ecclesiae archipraesuli, vnacum suis fratribus, videlicet Noricae prouinciae episcopis, mansuram in Christo felicitatem. Protoplasto generis humani, atque eius semine serpentina suasione in geminam cadente mortem, multas Deus misericordia ductus medicinas misit in hunc mundum; patriarchas scilicet iustos, prophetas veridicos, legiferum cum̃ lege. Et his omnibus mundum saluare non valentibus, nouissime filium suum humana carne indutum ad redemtionem generis humani ad terras transmittere dignatus est. Eo itaque inter homines conuersante, duodecim elegit apostolos, quos ad seminandum verbum Dei in corda fidelium per vniuersum transmisit orbem, quorum, atque totius ecclesiae sanctum constituit Petrum principem, cuique gregem commisit ecclesiasticum, tertio ei dicens: Pasce oues meas. Cui etiam ligandi atque soluendi tradidit potestatem dicens: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum et in coelis; quodcunque solueris super terram, erit solutum et in coelis. Et non solum sancto talis concessa est Petro potentia, sed etiam suis successoribus, eius vicem in ecclesia tenentibus, eadem ligandi, atque soluendi a Deo tradita est potestas. Sancti itaque Petri apostoli successores per loca, prout opus erat, atque decuit, constituerunt archiepiscopos, qui ipsorum vices tenerent in ecclesiis, quia ipsi vniuersas regere non poterant ecclesias. Nos quoque vicem beati Petri apostoli, prout hominibus istius temporis possibile est, in ecclesia tenentes, statuta illorum antecessorum nostrorum confirmare, quantum possumus, libenter desideramus. Concedimus itaque vicem apostolicam Friderico, Salzburgensis ecclesiae antistiti, eiusque successoribus in tota Norica prouincia, et *in tota Pannonia, superiori videlicet et inferiori,* quomodo sui antecessores eandem potestatem a nostris habuere antecessoribus; ita scilicet, vt nulli liceat in praefatis prouinciis sibi vsurpare pallium, nec episcopos ordinare, nec vllum officium, quod ad archiepiscopum pertinere debet, praeter praefatum archiepiscopum eiusque successores. Quicunque autem huic refragari, aut contendere voluerit decreto, quam nos, vice beati Petri apostoli fungentes, consensu nostrorum episcoporum, ac totius cleri Romanae ecclesiae decreuimus, beato Petro eiusque vicario esse contrarium, atque fore anathema, vsque ad satisfactionem, siue sit episcopus, aut presbiter, siue clericus cuiuscunque ordinis, siue laicus, cuiuscunque fuerit dignitatis; quia sancta sanctorum antecessorum nostrorum soluere nolumus, neque valemus. Sed quomodo illi consensu suorum episcoporum, ac totius cleri constituerunt, fiat ex eorum pariter, ac nostro decreto firmum atque perpetuum. Quicunque autem episcopi per amicos, siue clam per aliquam fraudem aliquando eiusdem dignitatis petierint, siue petierunt priuilegium, illos suspendimus ab ea dignitate; quia illicitum iudicamus, vt aliquis episcopus sine totius prouinciae, atque suffraganeorum suorum consensu pallium, siue aliquod archiepiscopatus priuilegium a Romano pontifice praesumat.

Ludewig l. c. II. 350. — Hansiz Germ. Sacra I. 159. — Fejér I. 258.

CXI.

Pilgrimus, Laureacensis episcopus, initia conversionis Slavorum in Moraravia, et Hungarorum opera sua factae Benedicto VII. perscribit, palliumque archiepiscopale expetit. 974.

Ordinis ac nominis carismatis praerogato sanctae Romanae sedis vniuersalis Benedicto pontifici Pilgrimus, sanctae Laureacensis ecclesiae humilis seruitor fidelitatem precum deuotumque seruitium. Notum fieri dignetur vobis, summe sacerdotum praesul, quod super omne animi mei desiderium nunc delectarer, et apostolorum visitare limina, vestraque optabili perfrui licentia, et ea a facie ad faciem, quae litteris et internunciorum committo indiciis, sanctissimae paternitati vestrae coram rationari, nisi quod a neophyta Vngarorum gente huc ire perhibeor, apud quam foedere pacto, sub occasione pacis, fiduciam sumsimus operam exercere praedicationis. Cuius enim terror gentis ex longo tempore etiam aliarum prouinciarum praedicatoribus meae dioecesis hactenus aditum clausit, ad quas nihilominus praesentis oportunitas temporis ire me vocauit. Quibus Deus omnipotens, quoniam solita sua pietate semper dispersa congregat, aperire dignatus est ianuam cordis sui diu clausam, vt discisso velamine duritiae suae depositaque ferina crudelitate leni iugo Domini colla submittant. A qua ergo praefata Vngarorum gente multis precibus ipse inuitabar venire, aut missos meos in opus euangelii illuc dirigere. Ad quos dum transmitterem satis idoneos viros ex monachis, canonicosque presbiteros, atque de singulis ecclesiasticis gradibus clericos, et vita omnique conuersatione illorum sic ordinata, quem ad modum in gestis Anglorum didici; tantum diuina gratia fructum statim ministrauit, vt ex eisdem nobilioribus Vngaris vtriusque sexus catholica fide imbutos, atque sacro lauacro ablutos circa quinque millia Christo lucrarentur. Christiani autem, quorum maior pars populi est, qui ex omni parte mundi illuc tracti sunt captiui, quibus numquam soboles suas licuit nisi furtiue Domino consecrare, modo certatim nullo obstante timore offerunt eos baptizare, gratulantur omnes tamquam de peregrinatione sua in patriam reducti, quod christiano more oratoria audent construere, et licentia percepta linguam ligatam in laudem Saluatoris praesumunt soluere. Ipsi enim barbari mira omnipotentis Dei operante clementia, quorum licet adhuc gentilitate sint quidam detenti, nullum tamen ex illorum subditis vetant baptizari, nec sacerdotibus inhibent quocunque proficisci. Sed ita concordes sunt pagani cum christianis, tantamque ad inuicem habent familiaritatem, vt illic videatur Isaiae prophetae impleri: Lupus et agnus pascuntur simul. Leo et bos comedent palea. Factum est ergo, vt paene cuncta Vngarorum natio sit prona ad percipiendum fidem sanctam; sed et *aliae Schlauorum prouinciae ad credendum promtae.* Et est ibi messis quidem multa, operarii autem pauci. Inde quoque visum est iam necessarium esse, quatenus sanctitas vestra illic iubeat aliquos ordinari episcopos, quia et quondam ***Romanorum Gepidarumque tempore proprios VII antistites eadem orientalis Pannonia habuit et Moesia meae sanctae Lauriacensi, cui ego indignus ministro, ecclesiae subiectos; quorum etiam quatuor, vsque dum Vngari regnum Bawariorum inuaserunt, sicut praesenti cognitum est aetati, in Morauia manserunt.*** Quod nimirum graue et onerosum est mihi, vt tot mei pontificii parochias solus praedicando circumeam, quibus necessitate, et adiutoris inopia cogor nonnunquam meam subtrahere praesentiam. Ecce, dominorum amantissime, huiusmodi ecclesiasticis mancipatus officiis detineor, et ne fecissem moram saepe dictae gentis conuersioni, ire et prosterni ad vestra sanctissima vestigia distuli. Legatos autem meos, praesentium scilicet portitores, ad vestram destinaui serenitatem, quos audire quaeso dignetur clementia vestra, et eorum meisque mixtim precibus praebere assensum, quatenus pallium et infulam pontificalem, quod speciale munus honoris ab hac sede tantum dirigitur metropolitanis; quod etiam mei praedecessores a gloriosis huius principalis cathedrae primatibus accipere soliti erant. Mihi vero hoc ipsum benigno animo per illos dirigere dignetur, pariterque etiam priuilegia apostolicae auctoritatis ecclesiae meae per eosdem missos meos vestris praesentata sacris obtutibus, more praedecessorum vestrorum roborari supplico et confirmari; vt hac apostolica sanctione et benedictione munitus, mihi commissi populi gubernationem canonice exequi valeam, et vestris in die iudicii rationibus imputetur, quod in illis finibus ex paganis noua ecclesia Domino lucratur. Quoniam variae ac peruersae haereticorum sectae timendae sunt, quod saepe contigit deprehendi alios, quibus praesunt, errore suo corrumpere, quos agnitione orthodoxae veritatis debuerant illustrare. Vt haec tam pestifera de me amputetur suspicio, solenne symbolum catholicae fidei, quam ipse teneo et doceo, vestro apostolatui profitendum salubre censui. Confiteor et credo sanctam atque ineffabilem trinitatem, patrem, filium et spiritum sanctum, vnum Deum naturaliter esse. Vnius substantiae, vnius naturae, vnius maiestatis et virtutis, et patrem quidem non genitum, non factum, sed ingenitum profiteor: fons ergo et origo ipse est totius trinitatis. Pater namque ineffabili substantia filium genuit, nec tamen aliud, quam quod ipse est, genuit. Deus Deum, lux lucem; filium quoque de substantia patris sine initio, natum ante secula, nec tamen factum fateor. Igitur non sicut filius a patre, ita pater a filio est; quia non pater a filio, sed filius a patre generationem accepit; filius ergo Deus de patre, pater autem Deus, sed Deus non de filio; si enim pater fuit, semper habuit filium, cuius pater esset Deus, et ob hoc filium de patre natum sine initio confiteor. Spiritum etiam sanctum, qui est tertia in trinitate persona, vnum atque aequalem cum Deo patre, ac filio credo esse Deum; vnius substantiae, vnius quoque naturae, nec tamen genitum vel creatum, sed a patre filioque procedentem, amborum esse spiritum. Nec enim procedit ad sanctificandam creaturam, sed ab vtriusque procedere monstratur; quia charitas sanctitas amborum esse cognoscitur, et nec patris tantum, sed similiter patris et filii spiritus Dei. In relatiuis personarum nominibus pater ad filium, filius ad patrem, spiritus ad vtrosque refertur. Quae cum relatione tres personae dicantur, vna tamen natura, vel substantia praedico, sed vnam substantiam, tres autem personas. Quod enim pater est, non ad alium, sed ad filium, et quod filius est, non ad se, sed ad patrem est; similiter spiritus s. non ad se, sed ad patrem et filium relatiue refertur, in eo, quod spiritus patris et filii praedicatur. In hac ergo sancta trinitate tres personas, vnum Deum confiteor. Ergo non ipsum, qui pater est, dico etiam filium, vel spiritum sanctum; nec ipsum filium patrem, aut spiritum s. fateor; vel eum, qui est spiritus s., patrem, vel filium dicere valeo, sed quod pater est, hoc filium esse, hoc esse spiritum s. sine ambiguitate pronuncio. Personas enim distinguo, non naturam deitatis separo. Tres ergo illas vnius atque inseparabilis naturae personas, sicut non confundo, ita separabiles nullatenus praedico. Cum nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia vel extitisse, vel quidpiam operasse aliquando credatur, inseparabiles enim inueniuntur, in eoque sunt et in eoque faciunt. Habet enim pater aeternitatem sine natiuitate, filius aeternitatem cum natiuitate, spiritus vero sanctus aeternitatem processionis a patre et filio sine natiuitate. De his ergo tribus personis sola filii persona hominem verum, sine peccato pro liberatione generis humani ex Maria virgine nouo ordine nouaque natiuitate sumsit; nouo ordine: quia inuisibilis in diuinitate, visibilis monstratur in carne; noua autem natiuitate est genitus, quia incorrupta virginitas et virilem coitum nesciuit, et foecunditate per spiritum s. carnis materiam ministrauit. Dei enim filius non personam hominis accepit, sed naturam; naturam enim nostram in vnitatem suae personae assumsit; et idcirco filius Dei et filius hominis, vnus est Christus. In eo enim, quod filius est Dei, aequalis est patri, et in eo quod filius est hominis, minor est patre. Qui etiam ex quo homo est, pro delictis nostris passionem sustinuit mortique additus est cruci, veram carnis mortem accepit. Tertia quoque die virtute propria suscitatus de sepulchro. Hoc ergo exemplo capitis nostri in hac carne, qua nunc sum et moueor, resurrecturum me credo. Idem autem Dominus ac Saluator noster, peracto resurrectionis suae triumpho, paternam sedem repetiit, a qua per diuinitatem numquam recessit. Inde in finem seculorum venturus iudicabit viuos et mortuos, reddetque singulis, prout gessit quisque in corpore siue bonum, siue malum. Ecclesiam sane catholicam pretio sui sanguinis redemtam cum eo credo in perpetuo regnaturam. Credo et confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Hanc ergo fidem professionis meae inuiolatam me retinere, et ab ea nunquam deuiare promitto. Qualiter ergo ex praelibata fide idiotas erudire debeam, et ipse in suscepta nouitiorum ecclesia conuersari, rescripto paternitatis vestrae cautus flagito, vt merear edoceri. Memet ipsum enim iterum iterumque sanctitatis vestrae fidei ac precibus submisse commendo. Dignam autem vestrae sublimitatis memoriam, quam tota per orbem frequentat ecclesia, ego cum omnibus mihi subditis votis et orationibus celebrare non desisto. Quidquid etiam humani seruitii, quod vestram deceat magnitudinem, ex me conferri possit, totum et ex toto pro libitu voluntatis vestrae liberaliter expendere, pater dilectissime, satago.

Ludewig l. c. II. 365. — Hansiz I. 211. — Fejér I. 260.

CXII.

Benedictus papa VII. conversis Hungaris et Moravis Pilgrimum, Palaviensem archiepiscopum, in Pannonia et Moesia, quarum provinciae sunt Avaria et Moravia, vicarium constituit, pallioque condecorat. 975.

Dilectissimis nobis in Christo filiis, Hrodberto, Moguntinae ecclesiae, et Diotrico, sanctae Treuerensis ecclesiae, atque Adalberto, sanctae Magdeburgensis ecclesiae, parique modo Gereoni, Coloniensis ecclesiae, atque Friderico, sanctae Juuauensis ecclesiae, sed et Adalgago, sanctae Bremensis ecclesiae, archiepiscopis; pariterque domino Ottoni, gloriosissimo imperatori augusto, atque nepoti suo Henrico, praecellentissimo duci Bauariorum, ceterisque omnibus episcopis et abbatibus, ducibus, atque comitibus Galliae atque Germaniae, Benedictus, diuina gratia praeditus apostolicae sedis pontifex, seruus seruorum Dei, in Domino salutem. Oportet iustis supplicationum petitionibus nos semper faciles et humiles exhibere; et praecipue cum fraternis religiosorum consacerdotum precibus solicitamur; qui passim ab omni mundi termino tenorem et regulam atque proprii officii vigorem ab hac uniuersali sancta Romana ecclesia, eiusque sortiuntur ministro, vicario scilicet beati Petri, principis apostolorum; cuius quamuis indigni, eiusdem tamen gratia et dono potestati successimus et ordini; cui voce dominica dicitur: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Quapropter dignum aestimauimus assensum praebere congruis postulationibus reuerentissimi archiepiscopi, quas per probabiles personas nobis intimauit, responsalium suorum duorum presbiterorum: quatenus sibi pallium, et metropolitanum honorem cathedrae suae, sanctae Laureacensi ecclesiae, restitueremus, confinio Vngarorum adiacenti; quod omnia nos eidem ecclesiae debere testantur antiquissima secum apportata priuilegiorum testimonia. In quibus enim continebantur, quod aetate pontificatus beati Symachi, huius almae sedis apostolici praesulis, praefata sancta Lauriacensis habetur ecclesia metropolitana; et in quantum tam exinde, quam etiam de passionibus beatorum martyrum, qui illic plures in tempore persecutionis pro fide Christi variis sunt tormentis mulctati, colligere possumus, ex omnibus ecclesiarum dioecesibus Pannoniae hac antiquitate et archiepiscopii dignitate esse primitiua creditur: quae iam multis retroactis seculis et vicinorum frequenti populatione barbarorum deserta, et in solitudinem redacta, nullum christianae professionis habitatorem meminit; vsque dum invictissimus augustus et pater gratiae, genitor quippe pii imperatoris nostri, quem adhuc superesse, et diu dominari mundus exoptat, bellico trophaeo eorum vires retudit. Nunc autem quamobrem votis exultantibus in laudem omnipotentis Dei erumpimus, non solum saepe dicta sancta Laureacensis ecclesia hostium cessante terrore cum accolis suis pace ac tranquillitate potitur verum etiam ipsi dudum inimici illum, quem persecuti sunt, more gentili iamiam Christum baptizati profitentur, et sacerdotes modo habere desiderant, ac prout rudes scire poterunt, venerantur; et ecclesias quasdam in sua terra, quas patres incendio dederunt, posteri restaurare videntur. Haec ergo suadente ratione, quod praenominati sanctae Laureacensis ecclesiae archiepiscopi postulatio antiqua apostolica auctoritate commentatur, et praeterea, quod iustum esset, pariter etiam vtile visum est, vt ad fructificandas Deo gentes ex nouitiis cultoribus fidei *Vngrorum atque Marauorum, siue etiam aliis multis prouinciis Sclauorum,* suae parochiae finitimis, illic ordinatis episcopis, secundum quod antiquitus dispositi erant, eius hunc constitueremus archiepiscopum. Quoniam autem Salisburgensis metropolis abusa est subiectione sanctae Laureacensis ecclesiae pontificii, obliterata et attenuata sua dignitate ex deuastatione barbarorum, quam propterea perceptis apostolicis priuilegiis nequaquam patimur priuari; cum et priora sint Salisburgensibus, et ideo auctoritatiua, vel auctorabiliora: quae conditio testimonii etiam apud secularia iudicia viget et praevalet. Nos vero in huiusmodi constitutionibus omnem calumniam atque contentionis occasionem Domino adiuuante facile propulsamus, ambabus parochiis ab inuicem certis limitibus sequestratis, et tamen apostolicis sanctionibus vbique stabilitis; quas nostrum est semper defendere, et secundum euangelicam sententiam nihil ex eis soluere, sed adimplere. Vnde ergo auctoritate ac potestate beati Petri, principis apostolorum, atque exemplo beatorum pontificum, scilicet praedecessorum nostrorum, eandem sanctam Laureacensem ecclesiam eiusque rectores iam archiepiscopos, amodo perpetim ab omni Salzburgensis ecclesiae praesulum subiectione ac ditione absoluimus, et honore metropolitano sublimamus. Et sicut modernis temporibus sanctae memoriae Agapitus papa terminos earumdem parochiarum ab inuicem distinxit, sic et ipsi diffinimus: ita quoque, vt sancta Salzburgensis ecclesia superioris Pannoniae episcopos habeat suffraganeos, quibus vsque huc sui pontifices praeesse videbantur, cum tanta talique dioecesi, quali hactenus in inferiori vsi sunt Pannonia. Sancta autem Laureacensis ecclesia in inferioris Pannoniae, ac Moesiae regiones, *quarum prouinciae sunt Auaria atque Morauia,* in quibus septem episcoporum parochiae antiquis temporibus continebantur, suique antistites archiepiscopalem deinceps habeant potestatem, cum tanta talique dioecesi, quali hactenus in superiori vsi sunt Pannonia. Quibus vtique iam praeceptis insuper iniungimus, vt iuxta beati Gregorii decretum, Anglorum archiepiscopis directum, alter illorum, qui prior sit in ordinatione tempore ipse etiam, quod viuat, prioratum teneat et in ordine. Penitus enim determinatis vtriusque ecclesiae dioecesibus, omnique excelsa altercandi occasione, canonica sub districtione interdicimus vt neuter earumdem ecclesiarum archiepiscopus inuadere alterius parochiam praesumat, vel quibuscunque iurgiis aut disceptationibus super diffinitis a nobis modo rebus, alter alterum solicitare audeat. His igitur sedatis venerabilem confratrem nostrum Pilgrimum sedi sanctae Laureacensis ecclesiae inthronizauimus, palliumque ei secundum antiquum eiusdem ecclesiae vsum direximus; atque in prouinciis Auariae, regionum quoque inferioris Pannoniae, siue Moesiae, et in contiguis sibi Schlauorum nationibus circumquaque manentium, nostram apostolicam auctoritatem et vicem exercere committimus et delegamus: quatenus illic more antecessorum suorum, sanctae Laureacensis ecclesiae archiepiscoporum, habeat potestatem presbiteros et episcopos ordinare atque constituere, et ex praedictis gentibus sua sancta praedicatione parare Domino plebem perfectam.

Hansiz I. 213. — Goldast in append. 19. — Fejér I. 266.

CXIII.

Willegisus, archiepiscopus Moguntinus, auctoritate Ottonis imperatoris adstipulantibus assessoribus suis episcopis Spirensi, Wormatiensi, Pragensi et Moraviensi Gozmarum ob officio et beneficio deponit. Actum Moguntiae, dt. IV. Kalend. Maji, 976.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. **Ego Willegisvs**, Moguntiacensis archiepiscopus. Si peccata gravioris culpe graviori vltione puniuntur; ex hoc nimirum sanctorum canonum auctoritas in suo rigore permanebit, et sancta Dei ecclesia in nomine Domini congregata liberius ab incursione malignantium continua pace gaudebit. Notum facimus ergo universis presentibus et futuris Christi fidelibus; quod postquam Herwardvs, domini nostri Ottonis serenissimi imperatoris notarius, et ecclesie, que est in Ascafenburg, dydascalus in metropoli Moguntiaca ius scolares canonicos apud se in domo retinendi sine exceptione optinuit; Alemarvs, dicti dydascali secundarius, auctoritate ipsius et mandato, quendam scolarem canonicum, fratruelem Gozmari cantoris, in domum suam vocavit; sed dictus cantor, impatientie sue motu exagitatus, dictum Alemarum insecutus est, et dum ipsum attramentali tabula, quam de manu pueri traxit, ferire voluisset, puer trepide intercurrens, ictum in cerebro excepit, et exspiravit. Custos quoque, pater dicti cantoris et quam plures clerici eorum consanguinei cum laicis ad eos pertinentibus fugientem Alemarum furore detestabili in turribus ecclesie ad occidendum obsederunt; quem Meingotvs comes divinitus sequenti die superveniens liberavit; et milites pro honore Dei et nostro quasi vir ecclesiasticus captivavit, et omnia bona eorum nobis publicavit. Gloriosissimus ergo imperator Otto, audiens tantum flagitium perpetratum, Herwardum didascalum ad dominum papam cum eodem negotio transmisit; qui nobis sua precepit auctoritate, vt novo morbo nova remedia, et posteris memorabilia quereremus. Quapropter auctoritate ipsius, astipulantibus quoque assessoribus nostris venerabilibus episcopis, Spirensi, Wormatiensi, *Pragensi, Moraviensi,* pro manifesto parricidio Gozmarum ab officio et beneficio deposuimus, et tonsoratum cenobio, quod est Nuenstat, ad penitentiam transmisimus. In signum quoque omnibus ecclesiis nostris, et ecclesiarum personis, presentibus et futuris, cantorie baculum et infulam detraximus, et eam dignitate prioratus exauctoravimus. Pro interventu quoque supradictorum episcoporum tocius ecclesie Moguntiace cognationi, que tanti mali causa fuerat, stipem ecclesiasticam reliquimus, et infimo loco et perpetuo silentio punivimus. Prohibuimus autem, ne in ecclesia Ascafaburgensi de una cognatione plures quam tres assumantur, nisi post sextum gradum. Filius cum patre non canonizetur. Si vero propter ignorantiam, vel oblivionem huius institutionis nostre aliter factum fuerit, postquam presens scriptum in ecclesia Moguntiaca recitetur; ex tunc, qui post tres assumpti sunt, vel cedant, vel voce careant. Pro tollendis quoque in perpetuum similium contentionum occasionibus, tum pro mandato domini pape et invictissimi domini imperatoris, tum pro supplici petitione devoti nostri Herwardi notarii atque dydascali, iura scolastica, partim nostra episcopali auctoritate, partim ex ecclesie Moguntiensis laudabili consuetudine, ad honorem Dei in Ascafaburgensi ecclesia dydascalo omni evo servanda, privilegiata reliquimus. Quoniam ergo scolares non solum in locis Deo consecratis, sed et in aliis quibuscumque locis, in doctrinam, disciplinam, atque timore proficere debent; scolares canonici a magistro de prebendis suis victum et vestitum accipiant. Cappam, pelles, et pellicium de ovibus, caligas et sutulares magister tantum dabit. Si puer parentes, vel substantiam non habuerit, unde alia ei provideantur, abbas, exceptis denariis ad vestitum pertinentibus, magistro singulis annis quinque solidos addat. Similiter et canonico capituli, si depauperatur preter suam negligentiam, decem solidos dabit. Dydascalus, (etiam adiutori suo si fuerit bone fame, et canonicis religiosis) eos commonendi habeat potestatem. Nullus scolaris, qui non est canonicus, preter assensum magistri scolas ingredi presumat. Pauperes humiles provisoribus carentes diligenter instruantur. Omnes ad disciplinam summopere informentur. In archidiaconatu Ascafaburgensi nulli sine licentia magistri scolares instruant, neque monachi, nisi eorum habitum induant. Hospites quoque, sive in civitate maneant, sive pertranseant, si subdiaconi sunt, vel infra ad iurisdictionem magistri pertineant. Si vero diaconi sunt, decano respondeant. In scolis vero, in choro, seu in quocunque loco nullus invito magistro ad correptionem scolarium manum extendat; nisi cantor, dum cantum hesternum recitant, eos corripiat. Defuncto decano magister vice episcopi, vel abbatis in ecclesia faciat, quod decanus faciebat. Si decanus ad sua negotia perrexirit, magister vicem eius suppleat, excepto quod causas iudicialiter tractandas non suscipiat. In omni loco fratres decano et magistro assurgant, et omnem reverentiam exhibeant. Preterea in choro, capitulo, monasterio, conventu eis inclinia non subtrahant. In sacerdotali, diaconali, subdiaconali officio dydascalus, si vult, tantum in summis festis in ecclesia serviat. In festis et profestis noctibus magister, si presens fuerit, cum senioribus nonam, vel terciam lectionem legat. Nulla electio, nullum negotium sine assensu magistri in ecclesia promoveatur, nisi decanus causas conquerentium tractet; vel nisi fratres suos claustraliter emendet. Si vero magister annuam licentiam accepit, et prius in contradictione alicuius negotii eius vox audita non fuit; ecclesia, quod utile et honestum sibi fuerit visum, faciat in Domino. Ad honorem Dei et ecclesie ad studium proficiscendi, duobus vel tribus annis, vel amplius si oportuerit, cum integritate stipendiorum, dydascalo ab episcopo et abbate licentia nullatenus est deneganda. Hec omnia ad honorem Dei, et ad perpetuam pacem Ascafaburgensis ecclesie in nomine patris et filii et spiritus sancti auctoritate episcopali et officii nostri potestate, bannoque episcopali, tam invariabiliter atque immutabiliter statuimus, et sigilli nostri impressione signavimus; ut quotiens aliquis inposterum contra hoc facere presumpserit, bannum episcopo, consuetam pecuniam dydascalo, pro his, que ad ipsum pertinent, componat; et ecclesia canonica eum pena districtius corrigere nullatenus ommittat, ut iterum omnia iuxta pristinam institutionem intemerata permaneant. Data IIII. Kalendas Maii, anno dominice incarnationis DCCCCLXXVI. Actum Moguntie in nomine Domini. Amen.

Gudenus Codex diplom. Mogunt. I. 352.

CXIV.

Henricus, Baioariorum dux, in marchia orientali Leopoldi illustris, marchionis, satoris stirpis Babenbergicae in Austria, nuper ab Ungaris armorum vi revindicata, publicum placitum habet congregatis episcopis, comitibus, primoribus et populo terminali, familiam Pataviensem ab omni exactione immunem esse jubet, et possessiones s. Stephani distinguit ac enumerat usque ad montem Comagenum, tunc temporis Germaniae et Ungariae metam, et usque ad terminos Moravorum. 985.

Notum sit cunctis presentibus scilicet et futuris, qualiter Heinricus strenuus Baioariorum dux, in marca Livtbaldi marchionis congregatis omnibus tam episcopis quam comitibus primoribusque cum plebibus regni. publico placito habito. populum terminalem pro facienda generaliter omnibus iusticia iurare. fecit. quod iure vniuscuiusque proprium esset de illis prediis que tunc sub ditione tenebantur dominica. et quid episcopatuum aut abbatiarum familie deberent marchioni. inter cetera autem que ad sanctum Stephanum prothomartirem sedemque Patauiensem iuste legaliterque pertinere deberent. Tunc inprimis familiam sancti Stephani ab omni iugo uel districtione marchionis hoc est collectis. donatiuis. operibus mansionaticis. et ceteris seruitiis liberam et absolutam asserebant. Deinde hec loca ad sedem Patauiensis ecclesie attinere sub proposita iusiuratione firmabant. tempore pontificatus et presentia Piligrimi episcopi. Mutarun et quod Eparespvrch nominatur. sursum de Viuntestale a termino sancti Michahelis Rosseza. deorsum usque Chlepadorf Salzpurgensis ecclesie locellum. et ita per latum in australem plagam ad deserta montana. exceptis duorum paucorum iugerum predictis. Deinde Treisimam ciuitatem sancti Ypoliti martiris ea integritate ut quondam beate memorie Adalbertus episcopus sub Purchardo marchione in sua tenuit uestitura. et quemadmodum carta legali affirmatione antiquitus roborata et in publico recitata designabat. Postea Persnicha sicut Willihelmus in proprium possidebat. quod tempore presenti *Boemani* insidendo arabant. Deinceps Lilivnhova iuxta Tullonam. Egilinsten. Zeizmannestetin et Abbatesteten. cum omnibus iure ad se respicientibus. Postmodum autem a septem collibus ab occidente ciuitatis Zeizenmvre sursum ad australem plagam Chvnihohestorf et sic usque in cacumen montis Comageni. et ita usque ad Hangentenstein et ita ultra Danubium usque ad *Mareuinos terminos* in latum et sursum in longum usque ad Mochinle et Trebinse et utramque ripam fluminis Danubii infra iam dictum terminum. Locumque piscationis hvsonum quem hactenus Tullonenses suis vendicabant usibus sanctum Stephanum prothomartirem legaliter attinere. Notum autem qui ista iurando affirmauerunt hii sunt. Meinhart comes. Papo comes. Marchwart comes. et frater eius Rvdger. Timo comes. Perhtolt. Wernheri. Rupo. Egil. Mimilo.

Monumenta Boica nova collect. Vol. I. p. II. p. 208.

CXV.

Otto imperator donat ecclesiae s. Mauritii Magdeburgensi censum de Boemia. Actum Mersaburgi, dt. Kalend. Maji, 991.

Otto (III) imperator . . . . donat ecclesie sancti Mauritii in ciuitate Magdeburg constructe . . . . tertiam partem census, qui regio fisco per singulos annos persolui debet de *tota Boemia*, in qualicunque re sit, siue in auro, siue argento, uel pecoribus . . . . Data Kal. Maii anno dominice incarnationis DCCCCXCI. indictione IV, anno regni octauo. actum Mersaburgi.

Gerke codex diplom. Brandenburg. I. 29.

CXVI.

Professio b. Adalberti, episcopi Pragensis, regulae s. Benedicti. Romae in monasterio ss. Bonifacii et Alexii cc. 2. Aprilis, **991.**

† **E**go Adalbertus promitto stabilitatem meam et conuersionem morum meorum et obedienciam secundum regulam sancti Benedicti coram Deo et omnibus sanctis eius et abbate Augustino presente.

Ex autographo „nimia vetustate demolito" et anno 1400 transumto aeri incisum dedit: Piter in Thesauro abscondito p. 87.

CXVII.

Boleslaus, dux Boemiae, ex praecepto Joannis papae XV. fundat et dotat cum Adalberto, episcopo Pragensi, liberalissime monasterium ord. s. Benedicti Břewnowiense. Die dedicationis monasterii, (XIX. Kal. Februarii) **993.**

In nomine sancte ac indiuidue trinitatis: amen: Bolezlaus Dei gratia dux Boemorum omnibus hanc litteram legentibus salutem in eo qui est salus omnium: Ne res prudenter geste memoriam fugiant scriptis et testibus roborantur. Notum igitur sit uniuersis tam presentibus quam futuris. quod ego diuina inspiratione instructus pro salute anime mee omniumque parentum meorum Brevnowensi monasterio a me et a uenerabili patre domino Adalberto Pragensi episcopo ex precepto domini Johannis pape laudabiliter constructo. ad sustentationem monachorum ibidem Deo servientium contuli villam Brevnowa nomine. ante ipsum monasterium cum omni familia. et terra sufficienti ac montem incultum. ad meridiem tendentem a biuio quodam in quo preciduntur molares. Schirnovnice dicto. per directum usque ad Lesce. et a Lesce usque ad saxum. qui est positus in uia per quam uenitur ad ciuitatem Pragam. Villam etiam que Wolezlawin dicitur. cum omni familia. ad uineas excolendas terramque sufficientem. cum silua adiacente Sclachow nomine et montem alium incultum a villa Tressawiez. tendentem usque ad uillam. Lubocz et ipsam uillam Lubocz cum silua adiacente Maleyow nomine. Villam quoque Ruzen nomine cum campis et pratis ad ipsam pertinentibus. et in uilla Kuromirtwiche tres animatores cum terra sufficienti. In ciuitate quoque Pragensi decimum forum. et decimum denarium de iudicio et decimum hominem captiuum et XXX animatores eorumque posteritatem cum XXX aris ad diuersas officinas dispositos. Duo molendina sub ipso castro Praga. et de ipso flumine Wltaue ad tria obstacula molendinorum in eodem loco. Villam quoque Nawranem nomine. cum hospitibus et ecclesia. ad quam de curia mea. Radotyn decimam de omni prouentu disposui. Scochowicz piscatores cum ipsa uilla. cuius termini sunt Cralowa hora et duo riuuli Dubna et Sala. cum flumine Wltawa. et ex altera parte fluminis eiusdem a Buyivnyce usque ad Cresmna et usque viam que dicitur Zlapcyce. Decimam quoque de omni agricultura. in Porecze. et de omnibus agris qui pertinent ad Ribnyk. et mansum in littore fluminis Wltave ad horreum construendum. et obstaculum in eodem loco ad molendina edificanda. Lubcicich siluam cum piscatoribus et terram sufficientem cum flumine. a loco qui dicitur Strabol usque ad Podchodce. In Pliznensi uero prouincia uillam Oypprnich nomine. et aliam (Nemoyce) Nencyce cum omnibus suis attinentiis. In Churimensi uero prouincia duas uillas. unam Trebestowicz prope Saczka cum agris pratis et paludibus. aliam Mracenicich cum terra sufficienti intra siluam et extra per circuitum Crech cum prato. In Chocebuz ecclesiam cum duabus curiis et terram sufficientem cum monte Cztrov nuncupato. Insuper in Lutomiricensi prouincia obtuli uillam Heridel dictam cum hospitibus et silua adiacente cum paludibus et flumine Ogre usque ad Albiam. et uillam Wleneich (Wlencich?) cum suis attinentiis. Preterea statui. ut singulis annis in dedicatione. ecclesie supra nominate uillicus Pragensis quisquis fuerit CCC. denarios persoluat. Lapidem cere ad luminaria eidem ecclesie. tres urnas mellis XXX caseos. LXX panes. Villicus autem Pliznensis prouincie in pasca CCC. nummos. persolvat. in pentecosten CCC. in festo s. Michaelis CCC. in natiuitate Domini CCC. Constitui etiam et ordinaui. ut in omnibus theloneis per Boemiam constitutis fructus decimo septimane cedat ad usum Brevnowensis ecclesie.

uidelicet Domasilicih. Cralupech. Nachlumcy. Nasternicy. Lutomiriccz. Navsty. super Albiam. Super hec adposui decimum forum decimumque denarium ex omni iudicio in hiis ciuitatibus. scilicet. Nazlanem in Plizeni. Lutomiricich. Churimi. Chrudimi. Placuit etiam. et coram nobilibus terre firmiter decreui. ut omnes homines Brevnowensis ecclesie. ab omni prouinciali iure seu lege liberi atque exempti permaneant. non ad eos pertineat oppida edificare. non pontes renouare. non alicuius potentis persone iudicio pro qualicunque causa nisi coram suo abbate astare. et omne iudicium querere. nec ipsi cogantur uenatores uel aliquos nobiles terre hospitio recipere nisi hoc fiat de bona ipsorum uoluntate. Reliquum firmiter constitui et concessi. ut quicquid homines Brevnowensis monasterii per aquas tocius Boemie siue per uias. ad usum monachorum duxerint ab omni iure et debito thelonecario sint totaliter exempti. nihil omnino cuiquam persoluentes. Hanc siquidem libertatem ad petitionem honorabilis uiri domini Adalberti episcopi Brevnowensi monasterio perpetuo concessam. ac in scripto redactam sigilli mei appensione muniui et confirmaui. confirmatamque super aram sancti Benedicti abbatis manibus meis posui. rogans. ut omnes uiolatores seu inuasores huius priuilegii ipse dominus episcopus excommunicaret. quod facere non obmisit. Dantes per manum domini Christani fratris illustris ducis Bolezla. Anno gratie DCCCCXCIII. in ipsa die dedicationis monasterii supra scripti.

Aeri incisum dedit Dobner in annalibus Hajec. IV pag. 374.

CXVIII.

Boleslaus, dux Boemorum, bis mille quingentos denarios singulis annis e redditibus suis monasterio Břewnowiensi numerandos praecepit. In festo s. Benedicti. **993.**

Sciant omnes Christi fideles presentis et futuri temporis: quod ego Bolezlaus, gratia Dei Boemorum dux, ad petitionem uenerabilis Adalberti episcopi et Anastasii, abbatis Brevnowensis monasterii, de reditibus nostri ducatus, quousque mundus voluitur, MMD denarios per diuersa tempora contuli soluendos. In pasca videlicet D, et in pentecoste totidem, et in festo s. Emmerami, episcopi Ratisbonensis, residuum. Si quis autem hoc decretum uiolauerit, sciat se eternitaliter dampnandum. Facta autem est hec donatio anno Domini DCCCCXCIII.

Ludewig reliq. XI. 175. — Dobner Annal. IV. 380.

CXIX.

Joannes papa XV. Břewnowiense monasterium in protectionem sedis apostolicae suscipit, et multis immunitatibus et praerogativis donat. Dt. Reati II. Kalend. Junii, 993.

Joannes episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis Anastasio abbati et conuentui uenerabilis monasterii sanctorum Christi Benedicti, Bonifacii et Alexii in Brevnow sito, caritatem et fidem pacemque perpetuam. Solet sedes apostolica piis desideriis clementer annuere et honestis petentium precibus fauorem beneuolum impartiri. Cum igitur monasterium uestrum in ducatu Boemie primum et nouella sit plantatio, sicut uenerabili fratre nostro Adalberto, Pragensi episcopo, fundatore eiusdem referente intelleximus, et dignum existat, ut idem monasterium, quod in temporalibus et in spiritualibus per Dei misericordem prouidentiam iam ex parte florere dicitur, per sedem apostolicam honoretur, ipsius dilecti fratris nostri Adalberti, Pragensis episcopi, precibus inclinati uobis, ut tu fili abbas et alii, qui pro tempore eidem monasterio prefuerint, mitra, chirothecis, sandaliis, mappilla, baltheoque uti possitis auctoritate presentium indulgemus. Et ut ecclesia uestra dignior seu maior aliis monasteriis habeatur decernimus ipsam caput esse et magistram in correctione ac reformatione regularis discipline super omnia claustra ordinis sancti Benedicti posthac in Boemia construenda, primumque locum post Pragensem episcopum tibi Anastasio abbati tuisque successoribus canonice succedentibus super omnes et in omnibus concedimus habere. Ad hec monasterium uestrum sub beati Petri et nostra protectione ponentes omnes ecclesias uestras, uillas, agros, siluas, casas, seruos et ancillas, decimas quoque cum prouinciarum Lutomiricensis, Belinensis, Bechinensis et omnium hominum eiusdem monasterii a memorato fratre uestro Adalberto, episcopo Pragensi, cuius amore hec scribimus, monasterio uestro rationabiliter collatas, tam in ueteribus cultis, quam in noualibus in posterum excolendis, uobis et hiis, qui uobis successerint, auctoritate apostolica confirmamus. Preterea uolumus et pro diuino amore firmiter precipimus, ut dux, quisquis fuerit, ipsum sanctum monasterium patremque monasterii cum omnibus ad illud pertinentibus et libertates a nobili duce Boleslao, uiro catholico, eidem liberaliter indultas, ita custodiat, diligat, manu teneat, ut presentis uite prosperitatem desideret, et in futuro uelit a benignissimo conditore nostro eterne beatitudinis brauium accipere. Post obitum uero abbatis nemo ibidem abbatem instituat, nisi quem ipsa congregatio communiter et concordi assensu elegerit. Et tunc Pragensi episcopo, si catholicus fuerit, liceat auctoritate nostra ipsum electum caritatis officio consecrare, simonie scrupulo quolibet hinc inde penitus excluso. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis, seu confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum, atque cum Juda, qui suspensus medius crepuit, et cum omnibus reprobis eterne dampnationi perpetuo subiacere. Qui uero custodierint et obseruare uoluerint, que premissa et conscripta in presenti sunt priuilegio, a misericordissimo domino Deo nostro delictorum suorum ueniam et uitam consequi mereantur eternam. Bene ualete. Scriptum per manum Stephani, scriniarii sancte Romane ecclesie. Datum Reati per manum Dominici episcopi Sabinensis II. Kal. Junii, indictione VIII. incarnationis Dominice anno DCCCCXCIII. pontificatus nostri Deo propicio anno VIII. (?) mense VIII.

E transumto originali Otakari I. regis Boemiae, de anno 1224. bullae in charta juncea seu scirpea scriptae, et nimia vetustate jam consumptae.

CXX.

Boleslaus, dux Boemorum, fundationem monasterii s. Joannis in Ostrow, ordinis s. Benedicti, a patre suo Boleslao (999) *factam, ad finem perducit. a.* **1000.**

Anno dominice incarnationis millesimo . . Gratia Dei dux *Bolezlaus, filius Seui Bolezlai,* per omnia uere katholicus amore fidei inflamatus, postquam multa ecclesiis Dei utilia ordinauit, seque uiam uniuerse carnis ingressurum persensit, feruens in spiritu caritatis locum quendam seruis Dei per quosdam nobiles inuenit et eum in honore sancti *Joannis baptiste* et aliorum sanctorum confirmari precepit, preficiens ei quendam bone uite uirum, nomine Lambertum ordinis sancti Benedicti monachum ab Altaensi monasterio euocatum, uere Israelitam, in quo dolus non erat, quem filio suo *tertio Bolezlao* satis industrio uiro, licet inualitudine corporis attactus, solicite coram primatibus suis commendauit, et eum abbatem uocauit et esse precepit. Igitur glorioso duce Bolezlao ex hac luce subtracto filius eius *tertius Bolezlaus* paterni precepti non immemor predictum abbatem piis moribus ornatum tunc temporis *episcopo Theadago* commendauit, et in sui presentia, prout pater postulauerat, eum ordinari precepit, atque loci ipsius situm et amplitudinem in sui curam suscepit, et ut post patuit, omnium bonorum inceptor et stabilitor per semitam iustitie ardenter cucurrit, et ne quis tam boni propositi a diabolo deceptus destructor in futurum existeret, Pragensis ecclesie presulem adiit, hoc ipsum perpetuo anathemate cum Juda et eius sequacibus innodandum esse petiit, cunctis tum presentibus acclamantibus. amen. Hec sunt uille et alia bona, que contulit bone memorie Bolezlaus dux: Wotechotii. Blasin cum circuitu silue. De familia autem has uillas: Sazaua, Sedlce, Myechinicih; piscatores autem Drazowichich, Trebani, Lahowicyh.

E confirmatione Otakari I. de anno 1205. cujus orig. exstat in archivo Trebon. — Excusum dedit Piter in thes. abscond. p. 151.

CXXI.

Heinricus, Romanorum rex, confert marchioni Heinrico XX hobas inter Chambam et *maracho (March).*

Chronicon Gottvic. I. p. 227.

CXXII.

Stephanus, Hungarum rex, ecclesiam Nitriensem, ad quam etiam populus de Morauia confluebat, larga dote et praerogativa donat. 1006.

Nos Stephanus, Dei miseratione et apostolicae sedis gratia Hungarorum rex. Vniuersis damus ad notitiam per hanc nostram ordinationem, quod vbi diuina nobis assistente benignitate in omnibus regni nostri partibus veram et vnicam salutiferam Jesu Christi fidem stabilire modis omnibus adniteremur, venimus ad castrum nostrum Nitra, vbi indicibili cordis nostri solatio (affecti sumus), quia extra quamlibet exspectationem accidit nobis, quod nouem s. Romanae ecclesiae sacerdotes presbiteros inuenimus, qui se capitulares canonicos *ecclesiae b. Emmerami martyris, in dicto castro nostro Nitra situatae,* nominabant, et dictae ecclesiae ac populo, *vsque ex partibus Marcomannorum illuc confluenti,* inseruiebant, laudes diuinas ad instar nouem chororum angelicorum assidue decantantes. Quibus nos vltra associati diebus pluribus compsallere, veniamque peccatorum ac verae fidei lumen, robur et incrementa deprecari non destitimus. Et quia dicti sacerdotes presbiteri, capitulares canonici, nullam stabilem haberent fundationem, sed liberis tantum populorum tributionibus prouiderentur; ne per curam conquirendi victus a diuino obsequio abstraherentur, donauimus ipsis vicum cum hospitibus intra suburbium et castrum nostrum nouum ad defluxum minoris fluminis Nitra existentibus, ac directe ad nos et dictum castrum nostrum spectantem cum omni macellatione, educillatione, foro publico, reliquisque seruitiis, datiis, obuentionibus et curribus. Similiter etiam donauimus vicum paruum Tormos trans decursum maioris fluminis Nitra, ex parte inferiori radicis fontis s. Martini constitutum, cum omnibus hospitibus et territorii eiusdem vineis, commodo vsu et dominio, cum montano iure ac decimis; vsque ad viam planam montem Zobor per latus diuidentem, donec perueniatur ad alium fontem, Gyurkova nominatum; secundum cuius riuuli defluxionem terminantur ipsae vineae, vsque dum reflexo tramite veniatur ad tertium fontem iuxta viam Daras sub radice vinearum. Ab inde per defluxum aquae fontis illius vsque ad aduersum ciuitatis Nitra, vbi tumulus est, et arbor de quercu prostat. Ab hac recte orientem versus ad siluam maioris Tormos, vbi transiendo aquam paludosam per medium cespitem intra vtrumque Tormos progreditur ad viam Pochranicza (hodie Pograncz) et ex hac directe ad viam planam, montem Zobor per latus diuidentem. Item donauimus ipsis decimas vini et frumenti ciuitatis Nitriensis, vici Parutza, Molnos, Könyök, Kereskiny, et Gyurkova. Et vt tanto amplior haec donatio nostra habeatur ordinauimus, vti praesentes et futuri sacerdotes presbiteri ecclesie s. Emmerami martyris de castro Nitra capitulares canonici in omnibus tam synodalibus, quam regis et regnicolarum conuentibus ab ecclesia et capitulo Strigoniensi per nos in metropolitanum erecto statim secundum locum teneant, et vicem habeant.

Fejér c. d. I. p. 285. e tabulario Nitriensi.

CXXIII.

Stephanus, Hungarorum rex, tradit ecclesiam s. Adriani in insula Saladiensi monasterio ordinis s. Benedicti a se fundato. **1019.**

In nomine Domini Dei summi. Stephanus superna prouidente clementia Hungarorum rex. Credimus et vero scimus, quod si locis diuino cultui mancipatis possessiones atque honores adaugmentauerimus, id non solum laude humana predicandum, verum diuina mercede esse remunerandum. Quocirca omnium s. Dei ecclesie fidelium nostrorumque presentium atque futurorum solers comperiat intentio, quod nos diuino instinctu fundauimus monasterium in insula Saladiensi, ordinis s. Benedicti, quod ab anno incarnationis Domini millesimo decimo nono per Dei subsidium et anime nostre remedium pro stabilitate regni nostri ad finem perduximus, in quo iussu nostro dedicata est ecclesia beati Adriani, que est in Sala, simul cum duabus capellis, una, que est in honore sancti Georgii, altera que est in honore sancti Laurentii, a duobus episcopis Modesto, et Boniperto, ubi ordinauimus abbatem latinum, nomine Petrum, conferendo eidem potestatem, ut in diecesi capellarum antedictarum processu temporis, quod necesse est fieri, plures capelle possint edificari, que tamen ad iam nominatas capellas tenebuntur habere respectum. Contulimus etiam eidem auctoritate apostolica nobis annuente, ut in precipuis solemnitatibus ornamentis pontificalibus uteretur. Condonauimus etiam, ut capellas sacerdotibus possit inuestire, et dedimus s. Adriano ad serviendum predia, decimas et piscinas, quorum nomina hec sunt: Tisciam cum ecclesia sancti Adriani, Raada, Steiger, Salavar, Chasch, Romil, Cendi, Nymigh, Besenien, Tyzogh cum duodecim aratris, et etiam dedimus redditus fori Cham, Chorgoro, et redditus Coloniensis aquae et pontis civitatis, et decimam equorum nostrorum in insula, que vocatur Chepel, in poledris, et ducentas ulnas de subtili panno pro indumentis fratribus de camera nostra. Ville decimarum he sunt; Pobor, Kurkow, Szolos, Kistthan, Maud, Devecher, Egrugh, Path, Kestell, Korunthal, Varcous, Hydweg, Maggrad, Schot, Kolon, Kamar, Kolombouch, Schopi, Stolez, Byqui, Volupna, Reche, Merenga, Karus, Gelse, Zobor, Sobor, Kerbon, Urcuztun, Wrügh, Merenya, Kerchen, Gelse, Rayk, Byqui, Batha, Igrych, Raduh, Gestred, Sclavonica Rokolyan, Hungarica Rokolyan, Legel, Getye, Pysteka, Horvat, Issobor, Kal, Polkoya, Aracha. Et ne episcopus parochianus iniurias querimoniasue in collectione decimationis predictarum villarum pateretur, sibi alios terminos decimationis assignando contulimus; quod si ipse contra nostra statuta, quod absit, inique agere, vel querere voluerit, ante Deum iudicem viuorum et mortuorum in die iudicii se contendere nobiscum sciat, sit idipsum monasterium ab omni inquietudine semotum. Precipimus etiam sub testificatione domini nostri Jesu Christi, ut nullus potentum, vel aliquis magnus sive paruus, de iam dicto monasterio aliquo modo se intromittere in mancipiis, terris, vineis, decimationibus, piscationibus, ripis, placitis sine consensu eiusdem abbatis audeat, vel presumat. Piscine autem he sunt: Alba piscina cum quinquaginta piscatoribus in villa Podgrad; alie minores piscine Modacha pro usonibus, piscina ciuitatis iuxta Drauam in Bolsa cum duodecim piscatoribus, et in insula item in Draua duodecim libras cere, et duodecim pelles vulpinas, et duodecim pelles spinolarum. Si quis autem potens voluerit aufferre, vel destruere de hoc, quod nos rex Stephanus dedimus sancto Adriano, via Dei et nostra sit contra illum, et componat quinquaginta libras auri optimi, medium camere nostre, ac medium prefato monasterio suisque rectoribus, maledictionisque perpetuo vinculo eternaliter feriatur. Et ut verius credatur, hanc paginam sigillo nostro autentico corrigie appensione iussimus sigillari.

Piter thes. absc. p. 162. — Fejér I. 304.

CXXIV.

Conradus rex confert comiti Arnoldo quinquaginta mansos inter fluvios Danubium et Moravam in comitatu Adalberti marchionis. Actum Babenberg V. Idus Maji, dt. **1025.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Chuonradus diuin a fauente clementia rex. Nouerit omnium Dei nostrique fidelium uniuersitas, qualiter nos per interuentum ac peticionem dilecte coniugis nostre Gislae, atque Aribonis Mogontiacensis archiepiscopi cuidam fideli nostro comiti Arnoldo eiusque vxori Reginlindae, ac filiis vtrorumque quinquaginta mansos dedimus, qui ad nostrum regale ivs pertinebat, sitos inter villam Frumanaha et inter fluvios Danubium et *Maraha,* in comitatv Adalberti marchionis, vbicumque predictus comes Arnolfvs eos sumere velit, cum aries, agris, pratis, pascuis, siluis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, sev cum omni vtilitate que vllo modo inde prouenire possit. Ea videlicet ratione ut iam prenominatus Arnoldus vxorque eius Reginlinda, ac filii vtrorumque liberam habeant potestatem idem predium tradendi, vendidi, commutandi siue quodcunque illis placuerit inde faciendi.

Et ut hec nostre auctoritatis pagina stabilis et inconvulsa permaneat, eamque manu propria roborantes sigilli nostri impressione ivssimus insigniri. Signum domini Cvonardi regis gloriosi. Ovdalricus cancellarius uice Aribonis archiepiscopi recognoui. Data anno ab incarnatione Domini millesimo XXV. indictione VIII. anno vero domini Cvonradi secundi regnantis I. Actum Babenberg V. Idus Maii feliciter Amen.

Hormayr Archiv 1828. p. 99.

CXXV.

Zwěst, castellanus Olomucensis, tradidit ad altare s. Petri Olomucii bona quedam „nauishoue" (Wiškow) cc. 1026.

„Zuest, castellanus Olomucensis, tradidi ad altare s. Petri in Olomuc" . . . . . quicquid *nauishoue seruitio contra polonos* promerueram diligenti apud *Olderik* illustrem ducem boemorum. et hec traditio facta est tempore *brachizlau* [a] filii eiusdem domini ducis in loco ipsius *Olomuci* in uigilia ss. Petri et Pauli apostolorum Dei, coram *bogumil decano.* Jo(anne) [b] Paulo. Sbich sacerdotibus et laicis Luta comite fratre meo. Yessut. Mira. Mutina antiquo, qui custodit castrum Vzoue. Slauek. lubgost. Vnek. Gridon et aliis.

In apographo: a) „brechizlay" b) „Jo" —

E saepius citato fragmento antiquissimi codicis ecclesiae Olomucensis, quod ab ipsius detectore, professore Monse, Monsianum in sequentibus nominabo. — Sunt eae I. literae fragmenti, in quibus nomen donantis avulsis praecedentibus e diplomate anni 1034. n. CXXX. restitui.

CXXVI.

„Sequitur donatio comitis Veliz" (Weliš) terrae in loco „Lbunau" ecclesiae s. Petri Olomucii. cc. 1029.

Veliz comes contulit (ecclesie sancti Petri in Olomuc) terram ad duo aratra *na ozka* flumine in loco, qui dicitur *lbunau,* in remidium anime coniugis Ludene. Hoc traditum est *tempore, quo dominus noster Brachizlaus*[a] *dux uenit in Olomucie cum formosa sua contectali* coram choro terre sue nobilium numeroso.

In apographo: a) „B" —

Ex eodem fragmento Monsiano. — Literae II.

CXXVII.

Břetislaw, dux Moraviae, post profligationem Hungarorum de Moravia restituit ecclesiae s. Petri et capellae s. Clementis Olomucii dotem ab antiquis hujus terrae principibus collatam. 1030.

Notum sit omnibus christianis tam presentis temporis, quam subsequentis eui in firmitatem facti, quod ego *Brachizlaus* filius illustris boemorum ducis considerans, robur et fortitudinem non esse in homine, nec uictoriam procreari ab homine; uerum omnia, que uictoriose et feliciter geruntur, solummodo euenire per Deum, cuius omnipotentie nulla est terminatio; idcirca *profligationem vngarorum de terra nostra morauia* ipsius tantum auxiliante brachio factam esse ingenuo profiteor. Illacrimaui sane et intimo corde sum perculsus, quando uidebam *loca illa sacra, vbi cepit christianitas, per eosdem vngaros, tum paganos, deuastata et diruta atque in ruderibus dissipata iacere, et ecclesias in illis partibus terre nostre omnes ad unam spoliatas et profanatas existere;* et deuoui pio meo tum proposito magnam spoliorum copiam ab eisdem uastatoribus et depredatoribus receptam in reedificium et restaurum predictarum ecclesiarum impendere, deponendo ipsam super altari eius, cui ablata, atque quo opitulante recepta esse dinoscuntur. Hinc est, quod ego *Brachizlaus dux Morauiensis etiam ecclesie sancti Petri in Olomuci et capelle, que est in honore b. Clementis constructa ibidem, eam dotis sue restitui fecimus portionem, quam ipsi ex collatione antiquorum huius terre principum concessam esse scripto et oretenus ueraciter didicimus; videlicet circuitum in conterminio vngarorum iuxta fluuium Maraua, vbi alius fluuius, qui Tyc *nuncupatur, in eandem profluit, cum loco Tyn a cultoribus plane deserto.* Sed postquam intelligentia mea cognoueram, quod possessiones prefate secundum longum uiarum distamen a possidentibus infructuose teneri possunt, simulque quum a domino *Bogumil*[a] decano eiusdem ecclesie precibus humiliter rogatus existerem, concambiui terras et de pietate michi innata et reuerentia erga seruitores Christi domini nostri, a quo nouum recepimus dominii augumentum, sancto Petro in Olomuci de patrimonio meo circuitum adscripsi, qui a monte *Gostine* incipit et iuxta flumen *Ruza* usque ad terminos uille *Golesi* se protendit cum XC hobis silue, que in vulgari dubreu appellatur. Et hec restitutio et collatio mea facta est ex consensu et sub sigillo domini *Vdalrici,* illustris ducis boemorum, karissimi progenitoris nostri, nec non sub anathemate reuerendi patris *Hizonis* [b] Pragensis episcopi, quod in omnes sententia edixit canonica, si qui hanc nostre benignitatis largitionem sua peruersitate audebunt immutare uel annullare. Amen. Actum in *Olomuci* presentibus Hizone [c] episcopo. Duce de Polonia. Veliz comite. Thazz comite etc.

---

[a] in codice solum „B" — scribitur; restituendum itaque nomen „Bogumil" e literis n. CXXV. — [b] et [c] in cod. solum „H" —

Ex eodem fragmento Monsiano. Lit. III. —

CXXVIII.

Břetislaw, dux Moraviae, ecclesiam in Spitihňow dotat. 1030.

Brachizlau, dux Morauiensis, tradidit ad ecclesiam, quam in loco *noue ciuitatis (Zpitigneu, in memoriam uictorie sue super Vngarorum gente locande)* honorifico opere construxerat, vniuersam dotem, que *olim ecclesie b. — iuxta Vueligrad, ubi cepit christianitas, in loco quondam ciuitatis Deuin* extitisse cernitur; uidelicet duas terras iuxta *Vueligrad* desertas, terram in loco deserto *Moin,* lapidem cere in *Boianoue* et vrnam mellis ibidem, . . . denarium de theloneo super *Olzaua.* Manum quoque largifluam extendens assignauit tres terras nouelle plantationis, super quas aratores cum pecudibus posuit, et alia multa prouideri annuit, et preceptum firmiter fecit, qualiter sacerdos *Zuatozlau* sit prepositus ecclesie prefate et ecclesiarum circumquaque iuxta fluuium Maraue, quas siue de ruderibus, siue de nouo in laudem et gloriam omnipotentis Dei construi iussit.

Ex Hildegardi Gradicensis primi, quorum opera supersunt, Moraviae historicorum (scripsit 1127 — 1147.) chronico Ms. sec. XIII. hactenus inedito — ad annum.

CXXIX.

Břetislaw, dux Moraviae, confirmat ecclesiae s. Petri Olomucii donationem villae „v dubu" (Dub), addens possessiones quasdam in terminis Polonorum. Datum in castro Olomuc, **1031.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Anno Christi domini saluatoris nostri millesimo tricesimo primo. Indictione XIV. epacta XXV. feria V. ante dominicam, qua cantatur: Oculi — factum est, quod karissima nostra conthoralis ducissa *Jutta* accedens ad meam presentiam cum domino Bogumil[a] decano et capellano meo, adferens quoque secum in testem dilectissimum filiolum nostrum *Zpitigneu* hilari uultu et dulci uerbo est professa, quod ecclesie *s. Petri in Olomuci* pro refrigerio sancti baptizmatis eiusdem geniti sui uillam aliquam conferre pia et deuota gratitudine incitata promiserat, rogauitque, ut liberalitatem eius collaudare et donationem uille, *V dubu* nomine, iam in manus domini Bogumil[b] factam assensu meo fauorabili approbare et scripture stabiliori firmamento michi placeret perhennare in euum. Hinc est, quod ego *Brachizlaus*[c] *dux Morauiensis* in Christo pie uiuentibus notum esse cupimus nunc et in futurum, qualiter collationem uille iam nominate *v dubu* a prefata dilectissima contectali nostra ecclesie s. Petri in Olomuci in manus domini Bogumil[d] decani eiusdem et capellani nostri factam, cum omnibus suis attinentiis, cum molendino et molendinatore Wratimir dicto cum ministerialibus siue familiis et opificibus ibidem diuersis, quorum nomina in hac pagina annotari feci, Nynek. Miley. Pawel. Grdota. Msten. Jarek

---

In apographo tantum legitur: a) „d. B." — b) „B" — c) „B" — d) „d. B" —

albus. Scepan. Janek. Ludzlau. Cstata. Krasik. Olata. Milehna cum filiis Krisan et Jutron. Jarek niger. Milgost cum fabro Nutos, cum piscatoribus Zdan. Milon et Luteta et Pribran. cum pratis et custode ipsorum Jareh et cum omnibus aliis vtilitatibus siue sint in aqua, siue gleba, siue ere et quacunque denominatione nuncupentur, firmam esse et inconuulsam perpetuis temporibus seruari precipimus ab omnibus, quibuscunque interest offensam omnipotentis Dei et gaudium Satane euitare. De propria quoque largitate contuli ecclesie sancti Petri decimam septimanam telonei iuxta ciuitatem, quam ad castrum *Gradeh* in terminis Polonorum muro forti construxeram; item decimos denarios telonei in *Radessi;* it. dedi L mansos morauicos incultos super *Vpa* fluuio cum silua spaciosa in terminis Polonorum cum custodibus silue, qui in vulgari lesni dicuntur et quorum nomina sunt: Zbeh. Lovvek. Mnislau. cum uenatore in vulgari lowec dicto, nomine Prelut, et cum apiariis, que ibidem reperiuntur. Item Sigehardus comes soluat de bonis, que ipsi contuli super *Mura* flumine duas marcas anno quolibet ad s. Petrum in Olomuci, et Rudolfus comes soluat totidem de bonis, que ipsi pro gratis seruitiis contuli super *Odra.* Domino *Bogumil* decano eiusdem ecclesie ad suum commodum dedi quatuor equos, item dedi in uilla *v tesaleh* homines ipsi et suis successoribus seruientes. Hostey. Pomil et Nemoy pistorem. Dilectissima conthoralis addidit eidem domino Bogumil[e] hortum iuxta promerium militis et castellani nostri Zuest, quod adiacet castro secus Olomucie, cum hortulano Vneta; item piscatorem in Laze nomine Lubon. ect. Vt autem euidentius harum donationum sit testimonium et in euum successurum memoria et firmitas coram plurimis terre nostre nobilibus huic facto adstantibus hanc paginam sigilli mei munimine roborare decreui. Aderant uero dominus Bogumil decanus et capellanus noster. Sbich. Petrus. capellani. Stibor castellanus Brunensis. Veliz comes. Yessut. Onso. Zuest castellanus Olomucensis. Mutina de Vzoue. Voyteh. Radim castellanus de Preroue. Sigehardus comes. Rudolfus et alii quam plures. Datum eodem die per manum Petri notarii in *castro Olomuc. ect.* Amen.[f]

---

[e] „d. B" — [f] „AA." —

Ex eodem fragmento Monsiano. Lit. IV. —

CXXX.

Luta, praefectus ***Pustoměřensis*** *confert ecclesiae s.* ***Petri Olomucii*** *terram „na uiskoue“ (****Wyškow****). Actum in castro* ***Olomuc****,* **1034.**

Nouerint omnes Christi fideles presentes et futuri, quod ego ***Luta*** *comes et prefectus* ***Pustimirensis*** intuitu remunerationis diuine in uite eterne sempiternitate et in remedium anime fratris mei dilecti Zuest quondam castellani in Olomuc contuli de patrimonio mei iuris *in uiskoue* terram ad duo aratra cum familiis Mrakes et Suatik pistore et in pustmiri unam araturam cum seruiente Chual, ad altare s. Petri in Olomuc. Illustris uero dux ***Brachizlau*** hanc meam piam traditionem sigillo suo munire precepit. Actum est hoc coram testibus Yessut. Sbor. Radim. Slauata. Prebor ect. in castro ***Olomuc*** anno Christi MXXXIV feliciter. Amen.

Ex eodem fragmento Monsiano. — Lit. V.

CXXXI.

Udalricus, dux ***Boemorum****, dotat monasterium in* ***Ostrow****.* **1013 — 1037.**

Udalricus pie memorie dux orationis causa ad Ostrowiense cenobium hec donaria tradidit uerbis interpositis, ut si unquam quis hominum ab hoc monasterio hec auferre moliretur, eterno uinculo cum Juda auaro et impio anathematis plecteretur: Swoysicih, Nazorubycih, Poryesicyh.

E confirm. Otakari I. de a. 1205. Excus. apud Piter p. 151.

CXXXII.

Eppo, praefectus ***Bilinensis****, confert cellae s.* ***Joannis*** *in* ***Moravia*** *villam* ***Kostellan****. XIV. Kal. Junii,* **1043.**

Notum sit omnibus Christi fidelibus, quod ego ***Eppo miles,*** Bracizlao duce famoso ducatum tenente, pro remissione peccatorum meorum uillam meam *Costelani* nomine, cum omnibus suis attinentiis, quemadmodum idem pretactus dux pro seruitio meo dedit hereditario iure possidendam mihi et successoribus meis, contuli fratri Matheo, consanguineo meo, de *cella sancti Johannis in Morauia* ad tempora uite; his uero expletis et Matheo uiam eternam ingresso, remaneat fratribus in eadem cella sancti Johannis degentibus et Deo militantibus in perpetuum tenenda. Piissimus uero dux uoto animi mei benigne annuens, hanc meam donationem uille et pratorum iuxta flumen Morauicze usque ad terminos ipsius uille Costelani se tendentium, sigilli sui appensione muniri iussit. Anno domini millesimo quadragesimo tertio XIV. Kal. Junii. Et ego *Bracizlaus,* Dei gratia dux Boemorum, charissimi militis mei Epponis oblationem, cum meo accedente consensu factam, ob remissionem peccatorum meorum munire precepi sigilli mei impressione, cum predictus Eppo, Belinensis urbis tunc prefectus, proprium sigillum non haberet, quo presens priuilegium perpetuaret.

E cod. membr. sec. XIII. monasterii Gradic. descripsit Friebek.

CXXXIII.

Eppo, praefectus Bilinensis, confert monasterio Břewnowensi villam Sebranice in Moravia. **1043.**

Notum sit omnibus Christi fidelibus, quod ego *Eppo miles* Brachizlao duce famoso ducatum tenente, pro remissione peccatorum meorum uillam meam *Cebranici* nomine, cum omnibus suis attinentiis, quemadmodum idem prefatus dux pro seruitio meo dedit hereditario iure possidendam mihi et successoribus meis, dedi sancto Adalberto atque Benedicto et *Meinardo abbati Brevnouensis* ecclesie suisque successoribus et cunctis ibidem Deo militantibus perpetuo tenendam. Piissimus uero dux uoto animi mei benigne annuens, hanc meam donationem uille et silue usque ad flumen nomine Zuitauam et ultra montes Chanaui ad riuulum Zabudav et montem Pzar tendentem per Krenithin uersus Hlum usque ad stratam publicam, sigilli sui appensione munire precepit. Anno domini millesimo quadragesimo tertio.

Et ego *Bracizlaus* Dei gratia dux boemorum karissimi militis mei Epponis oblationem cum meo consensu factam ob remissionem peccatorum meorum munire precepi sigilli mei impressione, cum predictus Eppo Belinensis vrbis tunc prefectus proprium sigillum non haberet, quo presens priuilegium perpetuaret.

E codice membr. sec. XIII. monasterii Rayhrad. descripsit Friebek. — Excusum est apud Piter in thesauro absc. p. 139. — Dobner Annal. V. 276. — Autographum servatur in arch. Brewnowiensi.

CXXXIV.

Heinricus rex confert Sigefrido marchioni CL mansos intra fluvios „Phiscaha, Litaha et Maraha." Act. Niuvenbvrch, dt. Nonis Martii, **1045.**

In nomine sanctae et indiuiduae trinitatis. Heinricus diuina fauente clemencia rex. omnium Dei. nostrique fidelium tam futurorum quam presencium. sollers industria nouerit. qualiter nos ob interuentum. ac petitionem dilectae contectalis nostrae Agnetis reginae. et Heinrici ducis. fideli nostro Sigefrido marchioni centum quinquaginta mansos infra fluuios Phiscaha. et Litaha et *Maraha.* ubicumque inibi nos sibi precipiamus mensurare. in proprium tradidimus sitos in marcha predicti marchionis cum omnibus suis appendiciis. hoc est areis aedificiis. terris. cultis. et incultis. agris. campis. pascuis. aquis aquarumque decursibus. molis. molendinis. piscationibus. siluis. uenationibus. exitibus. et reditibus. uiis. et inuiis. quaesitis. et inquirendis. cum omni utilitate. quae ullomodo inde poterit prouenire. Ea uidelicet ratione. ut praenominatus marchio de praefato praedio liberam dehinc potestatem habeat. obtinendi. tradendi. commutandi. precariandi. uel quicquid sibi placuerit inde faciendi. Et ut haec regiae nostrae traditionis liberalis auctoritas. stabilis. et inconuulsa per succedentium temporum momenta permaneat. hanc cartam inde conscriptam manu propria ut infra poterit uideri corroborantes sigilli nostri iussimus impressione insigniri. — Signum domni Heinrici tercii regis inuictissimi. — Theodericus cancellarius uice

Bardonis archicancellarii recognouit. Datum Non. Mar. anno dominice incarnationis MXLV. Indictione XIII. anno autem domni Heinrici tercii. ordinationis eius XVI. regni uero VI. actum Niuvenbvrch. in Dei nomine feliciter. Amen.

Archiv für Süddeutschland II. 233.

CXXXV.

Heinricus rex confert Sigefrido marchioni bona juxta fluvios Moravam et Tajam. Actum Aquisgrani, dt. Idibus Julii, **1045.**

In nomine sanctae et indiuiduae trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. omnium Dei nostrique fidelium tam futurorum quam praesentium solers industria nouerit. qualiter nos ob amorem ac petitionem Agnetis reginae nostrae contectalis dilectae et Heinrici ducis Sigefrido marchioni iuxta alueum fluminis Danubii in locis conterminis praedio Geberhardi Eichstetensis episcopi. quindecim areas in longum prope Danubium extensas et retro has triginta regales mansos contra Ungaricam plateam mensuratos. et ab adiacente uilla Stillefride. eiusdemque contiguis terminis iuxta *Maraham.* areas uiginti in longitudinem porectas. centvmque regales mansos retro predictas areas contra Ungaricam plateam respicientes. et ubi finiantur termini proxime uillae adiacet Stillefridae. infra *Maraham.* et *Taiam.* nec non Svlzaha. atque iuxta eadem loca et flumina ubicumque sibi per nostrum nuncium inibi demonstrentur. alios centvm regales mansos. in marcha et in comitatu prenominati marchionis sitos. in proprium tradidimvs et in eivs ius atque dominivm liberaliter transfudimus. cum omnibus suis appendiciis. hoc est areis. terris. cultis. et incultis. pratis. pascuis. agris. campis. aquis. aquarumque decursibus. molis. molendinis. piscationibus. siluis. uenationibus. exitibus. et reditibus. uiis et inuiis. quaesitis et inquirendis. cum omni utilitate quae ullomodo inde poterit prouenire. ea uidelicet ratione ut praedictus Sigefridvs marchio de praefato praedio liberam dehinc potestatem habeat. obtinendi. tradendi. comutandi. precariandi. uel quicquid sibi placuerit inde faciendi. et ut haec regia nostrae tradicionis liberalis auctoritas. stabilis. et inconuulsa per succedentium momenta temporum maneat. hanc cartam inde conscriptam. manu propria ut infra poterit uideri. corroborantes. sigilli nostri impressione iussimus signiri. Signum domni Heinrici tercii regis inuictissimi. Theodericus cancellarius uice Bardonis archicancellarii recognouit. Data idus Julii. anno dominicae incarnationis MXLV. indictione XIII. anno autem domni Heinrici tercii ordinationis eivs XVI. regni uero eivs VII. actum Aqvisgrani palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

Archiv für Süddeutschland II. 234.

CXXXVI.

Břetislaw, dux Boemorum, dotat in memoriam b. Guntheri monasterium Břewnowiense, eique inter alia etiam cellam Raygrad in Moravia cum suis pertinentiis tradit. Dt. in urbe Praga XV. Kal. Novemb. **1045.**

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Notum sit omnibus christiane fidei cultoribus quod ego *Brecizlaus* Dei gratia dux Boemorvm, maiorem ecclesiam in *Brevnov* in honore sancti Adalberti Boemice gentis apostoli ob eternum remedium anime mee parentumque meorum Deo cooperante construxi. et eidem nomine dotis has villas cum hominibus et earum pertinentiis dedi. Smilouice, Waysovice, et in villa Vezduhovicih tres homines. Podmocleh octo homines. Racouicic octo homines. Bvdegosticih dimidiam villam. Nutovicih dimidiam. Segrovicih dimidiam. Quendam eciam hominem in Zlicina, Keien nomine. cum omni posteritate sua propter detestabile delictum suspendio iudicatum. addita terra. que posteritati sue sufficeret. seruituti Breunovensis ecclesie mancipaui. Et alium uirum Luben nomine in Crepeniz propter furtiuam uenationem similiter patibulo iudicatum cum sex mancipiis eidem monasterio dedi. ita ut domino abbati et fratribus eius singulis annis quilibet illorum duodecim denarios persoluat. et porcum triennem bene pastum dent semel in anno. et pernoctationes et conductum. quociens expedit domino abbati uel nunciis ipsius. Ob amorem quoque et memoriam beati Gvntherii heremite. qui me de sacro fonte baptismatis susceperat. ipsum in ecclesia Brevnovensi sepeliendo. contuli eidem ecclesie circuitum meum in Prahensi prouincia. has villas cum hominibus et terris. silvis et pratis continentem. Hidchice. et ibidem villam eiusdem nominis Hidchice cum flumine. Hainv et curiam Naugedci cum suis attinentiis. Domarazi. et Kalinicih duos homines. Nezamizlice. et Canicih dimidiam villam. Crainice et Scodru Dwocotloki. et Sivohibice. Sihouice cum flumine Otava cum molendinis et pratis. Psare et Cravolusice. Volisovice et Stancovice. Podmocli cum theloneo in Breznich. *In morauia eciam quandam cellam in honore ss. Petri et Pauli apostolorum in quodam castro deserto cui nomen Raygrad construxi. et eam foro in proxima villa et theloneo ibidem in ponte constituto. villis etiam et silvis. fluminibus et pratis circumquaque adiacentibus sufficienter dotatam. ecclesie Brevnovensi. et domino Meinhardo abbati suisque successoribus dedi perpetuo possidendam. cum omnimoda eiusdem celle et supradictarum villarum hominum libertate. quam serenissimus proauus meus Bolezlaus quondam dux Boemie. ad peticionem sancti Adalberti. omnibus hominibus Brevnovensis ecclesie per totam Boemiam liberaliter dedit.* sicut in privilegio ipsivs uidi contineri. videlicet. vt omnes homines ecclesie Brevnovensis ab omni provinciali iure sev lege liberi ac exempti permaneant. Non edificent oppida. nec pontes renouent. Nullius potentis astent iudicio. nisi coram suo abbate. Nec recipiant venatores. vel aliquos nobiles terre in domos suas. nisi uoluntarie uelint hoc facere. Et quicquid per aquas totius Boemie. siue per vias ad usum monachorum homines Brevnovenses duxerint. ab omni iure thelonecario sint totaliter exempti. nichil omnino cuiquam ratione beneficii persoluentes. Siquis autem successorum uel heredum meorum contra donationem meam ausu temerario uenire presumpserit. paternam maledictionem pro benedictione recipiat. et ultione diuine ac gehenne ignibus deputetur. Et ut mea donatio rata sit ac firma. hvic privilegio sigillum meum apponi precepi. presente domino Severo venerabili episcopo Pragensi. qui desiderio meo annuens presentibus omnibus nobilibus Boemie. donationis mee fraudatores vinculo anathematis innodauit. Datum in vrbe *Praga.* Anno gratie Millesimo XLV. XV. Kal. Nouembris.

Ex orig. cum sigillo pendente illaeso in archivo archiep. Olomuc. — Item exstat copia in collectione Friebekii e cod. membr. sec. XIII monast. Rayhrad. — Excusum dederunt: Ziegelbauer in hist. Brewn. p. 241. — Piter Thes. p. 61. — Ludewig reliq. VI. 51. — Item Dobner Annal. V. 285. ex alio autographo cum sigillo affixo in archivo Brewnow. asservato.

CXXXVII.

Břetislaw, Boemorum dux, dotat fundatum a se monasterium in castro deserto Raygrad. Dt. in castro Raygrád VI. Kal. Decembris, 1048.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. *Brachizlaus,* Dei gratia Boemorum dux. Omnibus Christi fidelibus tam moderni quam futuri temporis. Saluator noster pauper uenit in mundum. sicut ipse testatur. Vulpes foueas habent et uolucres celi nidos. filius autem hominis non habet. ubi caput suum reclinet. Cum autem religio christiane salutis omnipotente Deo auxiliante longe lateque per uniuersum mundum meruit solidari. ex tunc ecclesie Jesu Christi et patrimonia multiplicari ceperunt. et crementa recipere per principes et reges et heredum successores. quorum ego *Brachizlaus* esse cupiens imitator. pro remedio anime mee et parentum meorum. ad honorem Dei et sanctorum apostolorum Petri et Pauli. ecclesiam *in castro Raygradensi* propriis sumptibus construxi. tali scilicet tenore. vt in perpetuum tam in temporalium ordinatione. quam in omni disciplina et reuerencia *Brevnovensi* subiaceat ecclesie. Ad consolationem autem pauperum fratrum Deo militantium. quos ibidem abbas Brevnovensis manere decreuerit. villam *Raygradensem* una cum tabernis absolute et forum et theloneum in ponte eiusdem ville ab omni extranea contradidi exactione. Villam *Popowici* cum omnibus suis attinentiis similiter large et libere obtuli. terminus autem silue. que ipsi attinet ville. a *Bobrava* deorsum usque ad terminum *Bluchine.* sic et flumen *Zuratcha* ad eosdem terminos usque deriuatur. Dedi etiam villam *Opatowici.* similiter cum pratis et flumine et silua. terminus autem huius ville usque ad terminos Bluchine et usque ad pontem ville proxime *Vzose* nomine. protenditur. Ad hec in *Brunensi prouincia* decimationem frumenti ac decimi nummi. et villam *Obvcheri* cum omnibus suis appendiciis. et decimam thelonei. quod *Brod* vulgo appellatur in flumine *Olzawa* donaui. Preterea considerans. non posse sufficere fratribus in *Raygrad* siluas donatas ad omnem necessitatem. circuitum *Domasove* larga beniuolencia et absolute ipsis contradidi. Extenditur autem circuitus a villa et riuo Bobravva usque ad riuum *Bietesca* et usque ad terminos *Lucka.* In speciales vero usus fratribus in Brevnov villam *Raygradici* similiter et tabernarios in *Lucka* constitui. Predictorum quippe villarum hominibus eandem pacem et quietem concedo. quam dudum attauus meus. dux Bolezlaus ad petitionem sancti Adalberti episcopi Pragensis Brevnovensi monasterio concessit. videlicet. ut uniuersi homines, ad Brevnovense monasterium per totam Boemiam et Morauiam pertinentes. ab omni lege prouinciali. et ab uniuerso opere et tributo principum sint omnino liberi. Et ut hec firmitatem perpetuam obtineant. hanc paginam donationis mee. appensione sigilli mei munire decreui. Acta sunt hec ab incarnatione Domini anno millesimo XLVIII. *Et eodem anno. celebrata est gloriosa dedicatio oratorii in castro Raygradensi* in honore sanctorum apostolorum a uenerabili patre nostro. domino *Seuero* Pragensis ecclesie episcopo sexto. VI. Kalendas Decembris. presente me Brachizlao duce eiusdem oratorii constructore. et domino abbate *Maynhardo* Brevnovensis cenobii. Presente eciam filio meo *Zpitigneo.* et Stiborio castellano Pragensi. et Johanne iudice totius prouincie Pliznensis. et Chunone dapifero et Marquardo castellano Znoymensi. et presentibus aliis quam plurimis nobilibus Boemie et Morauie. Datum eodem die per manum Hugonis. notarii in castro Reygradensi. Contradictores huius priuilegii et invasores prenominate ecclesie. cum Dathan et Abiron quos terra uiuos absorbuit accipiant porcionem.

Ex ejusdem monast. autographo cum sigillo pendente protulit aeri incisum Piter in Thes. p. 138. — Item Dobner Annal. VI. post. pag. 296.

CXXXVIII.

Bracizlau, dux Boemorum, constituit coram nobilibus Boemie et Moraue *Zpitihněw* filium natu maximum *ducem Moraviensem.*

Ex Hildegardi Gradicensis chronico Ms. ad annum.

CXXXIX.

Literae Ottonis, ducis Sveviae de „suinvurt" (Schweinfurt), fratris Judithae, ducissae Boemiae. cc. **1049.**

Otto dux sueuie de *suinvurt,* mediante Lopaldo, preposito babenbergensis ecclesie, filios ancille sue Eize svitgerch et alios, quoscumque pareret, ad altare s. Georgii in seruitium fratrum babenbergensis ecclesie tradidit ea conditione, ut tali lege talique iure uterentur, quali Iggilhart et Sizo de Mennbach ministeriales. Nupserat autem ancilla Sigifrido ministeriali fratrum babenbergensis ecclesie, et idcirco matrem ad altare s. Petri Svvinuurt tradidit, filios vero sancto Georgio.

Hormayr Archiv 1828 p. 695.

CXL.

Mutiš miles ducis Moraviae, Spitihněw, tradit ecclesiae s. Petri Olomucii duos servientes. Actum in Olomuc, **1049.**

Noscant omnes fideles in Christo, qualiter *Mutis* miles nobilis illustris nostri ducis *Zpitigneu* donauit super altare sancti *Petri* seruientes suos Mirozlau et Suda in perpetuum pro remedio anime dilecte contectatis sue Lubohne. Astabant testes Sbor. Vysen. Prebor. Jarogneu et alii. Actum in Olomuc anno salutis MXLIX. feliciter. Amen.

Ex eodem fragmento Monsiano. Lit. VI. —

CXLI.

Břetislaw, dux Boemiae, ecclesiam collegiatam Boleslaviae fundans plurimis proventibus in Moravia dotat. cc. **1052.**

In nomine patris et filii et spiritus sancti, sancte scilicet et indiuidue trinitatis. Bracizlaus, princeps Boemorum Dei gracia catholicus, suis successoribus omnibusque posteris principibus, episcopis, abbatibus, presbyteris catholicis, gracia nobis et pax, gaudium, caritas a Deo patre et Christo Jesu. Notum sit omnibus tam presentibus, quam futuris, quod ego diuina fauente gracia dux Boemorum, de hoc, quod Christi nostri pietas concessit possidendum, in urbe Bolezlauensi monasterium construens, ubi quondam corpus olim patroni nostri Wencezlai martyris Christi ab infidelibus peremptum trium spatio annorum requieuit, nunc vero Deo concedente ibidem quinque corpora sanctorum fratrum seruantur, pro anime mee natorumque remedio pro posse ditaui. Dedi enim villas: una vocatur Popovvice, secunda Prisnin, tertia Zapy, quarta Dreucici, quinta Mlicasir, sexta Dethinici cum saltu, septima Drisech cum torculari, cuius dimidiam partem canonicis statui. Ad quod colendum seruos destinaui: de Cresenic Stanek, de Lubossin Casta, de Podlissin Suerad, de Obodi Gostirad, de . . . . Louata. Ad portandas lagunculas dedi Cussi cum tribus filiis, Pouta, Crisan, Martin. Aratores ad predictas villas dedi Miros, Cazen, Scek, Milon, Koluna, Mladek, Naglaz, Semzis, Coliga, Thema, Kadova, Gosten, Cunna, Cruca, Zelan, Casta, Tech, tornarium scutellarum, Bozetham cum filiis, Dragon, Okrasa, Malik, et alium, qui toreumata facit, Nema, Jaros, Zesak, Temata, Thima, Wach, Zlusen. Molendinarium Csten. Pistores: Wrac, Zmil, Jaros, Louek, Crima. Sutores pelliones mardurinarum pellium: Ninos, Holech, Koluza. Sutorem corii Userad. Piscatores: Miley, Honica, Milgost. Opilionem Neg cum filiis: Gostek, Theza, Bukan. Aurificem Coiata. Fabros: Dauid, Casten. Cupedinarium Caica cum filiis, Zbina, Kokora. Qui picarios faciunt: Radey, Nesul, Milos. Qui corti quotidie inseruiant: Mladon, Priuich, Milowan, Milon. Tributarios mellis in uilla Raunen Bolena cum filiis Radosta, Dobros. Lubinik Radisa cum filiis. Platis Predsa. Loseni Cig. Posdik Zuest cum filio Musik. Osece Mucka. Wlikoua Bitek, Rannich cum filiis Ztonar, Zezamil. Salsamentarios Zak cum filiis Louata, Tesek, Dobrocay, Milouan; Cany cum filiis Jan, Prostey, Podpope, qui semper debent equum habere in corte. Ad agenda queque negotia Quasina cum filiis Span, Milata, Kraiata, Klimota. Scutarium, qui debet sex scuta dare, Stach. Campanarium ecclesie Setech. Custodes ecclesie: Poztrizine Bezdruh cum filiis Zuoiata, Huk, Masceta cum filiis Oztak, Zkor, Rosugd. Znoichichih Gormusa cum filiis Vitasa, Bogdan, Milowan, Mirota, Czerra, Necta cum filio, Krazata, Dragota. Bezenez Sina, qui dedit in loco sui Sinogorum Velpridek cum sex filiis. Maslouichih Bezded cum filiis: Cana, Trebota, Boysa. Letechek Milatha. Lubachih Semotha. Lusas Borata. Wlikou Trebeny, Ostoyka, Buka. Kozleh Vsegrid cum filiis. Syritih Obyd. In ciuitate: Mali, Milon cum filiis, Boguza, Bak, Zkor, Rosuad. Nadubrauici: Dobrata cum filiis Zbis, Dobesta Nayapa cum filiis. His itaque dispositis addidimus deriuationem, que pertinet ad urbem Caslaue, et in pago dicto Isgorelik, que sex denariis soluitur ad sustentationem canonicorum ibidem Deo militantium. Insuper de urbibus Zatec et Boleslaua utraque de omnibus quesitis et inquirendis decimum denarium. Per rura quoque ad predictas urbes pertinentia, ubicunque dominica exercentur aratra, decimum manipulum; et omnium animalium tam maiorum, quam minorum, que per eadem rura aluntur, decimam. Que uero sunt harum urbium tam in longitudine, quam in latitudine dimensa in hospitum rusticorumque turma, decimam urnam mellis, tributique pacis decimum denarium persoluant. Addidimus etiam turrem, dictam Lyssa, post obitum comitis, nomine Mutis. Instituimus etiam eidem ecclesie canonicis de uilla Zizelich annuatim refectionem, quod vulgo dicitur Garmuz, in memoriali matris mee *Bozene.* Hec de Bohemica terra eidem ecclesie soluenda firmiter statuimus. *In Morauia uero de urbibus: Rokicen, Znoim, Belhovv decimationem, que sex denariis ab uno quoque soluitur. Damus insuper de renditione hominum decimum denarium et decimum forum per omnia loca ad predictas urbes pertinentia. In flumine uero, quod dicitur Dyga, de omnibus pontibus decimum tributum.* Preter hec eidem ecclesie necessariis consulentes ad restauranda aratra, si forte deficiant, ad emenda canonicorum vestimenta hec superaddidimus: *Olomuc soluat annualim unam marcam et duos boues. Prerovv unam marcam et duos boues. Zpitignevv dimidiam marcam et unum bouem. Godonin dimidiam marcam et unum bouem. Bracizlaue dimidiam marcam et unum bouem. Strahonin mediam marcam et unum bouem. Rokicen unam marcam et duos boues. Znoim unam marcam et duos boues. Brno unam marcam et duos boues. Pustimir unam marcam et duos boues. Villas quoque dedimus has ibidem: Blatinice, Pregniche, Naluche, Janolusi, Nauranie, Dolnem, Surgustum, quod vulgo dicitur Zlup, et lacus circumiacentes simul cum luco, Miculchici, Prusi, Troscolouici, Drinouici, Pulin, Nagradku, Bechamirih, Bantih, Plesitih, Masouichih, Sanow.* Ad hec firmissima nostre auctoritatis decreta imponimus, ut, quotquot homines ad predictam ecclesiam in Boemia, *siue in Morauia* pertinent, nulli quicquam debeant in tributo, decimatione, in urbium vel pontium munitione, seu ceteris seruitiis, nisi tantum monasterio et preposito, a quo regitur, teneantur. Et ego Seuerus, Dei gratia Pragensis episcopus, horum conscius et verus testis adhibitus, Meynhardo et his religiosis capellanis, Bogusud, Podiua, Mak, Bosik et ceteris quam plurimis coram Deo viuo et vero et eius terribili obtestamur iudicio, et anathemate defendimus eterno, ut nullus successorum eiusdem principis nostri Brachizlai, seu aliqua persona hominis hec, que ab eodem principe offeruntur, contra dicta et decreta violare presumat. Si quis autem huius propositi violator existeret, eternis condempnationibus subiaceat innodatus, et sanctos Dei duodecim apostolos ac martyres, Wencezlaum, Benedictum, Joannem, Mattheum, Isaac, Christianum, confessores, virgines in presenti et in futuro aduersarios sentiat, atque in inferno inferiori concremandus cum diobolo et eius ministris, nec non cum Juda traditore illisque, qui dixerunt domino Deo: recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, redactus in nichilum deficiat impius.

Diploma hoc primus edidit Balbinus in Epitome rerum Bohemicarum p. 190. ex apographo in archivo metropolit. Pragensi asservato. — Inde Dobner cum notis criticis in Annalium T. V. p. 310. — Ast plurima personarum et locorum nomina hujus diplomatis a prima editione discordantia hic ex alio apographo archivi capituli Olomucensis profero, quo accuratiorem lectionem historiae periti possint ex utriusque editionis collatione restituere.

CXLII.

Břetislaw, dux Boemiae, confirmat et auget donationes monasterio Zazawiensi factas sub testimonio filii sui Wratislaw. cc. **1052.**

Bracizlaus dux donationem, quam pater suus (b. Procopio) adhuc ante susceptionem abbatiae fecerat, flumen videlicet subterfluens Amilobuz vsque ad speluncam, quae vulgo Zacolnica dicitur, cum pratis et silua circumiacente, principali corroborauit auctoritate; dein etiam hanc eandem donationem superuenientibus heredibus et eam suo iuri vsurpatiue vendicare molientibus, nolens paterna cassare statuta semet opposuit, litem diremit et eidem patri Procopio omnem vtilitatem in aqua et silua a praedictis terminis redonauit; agros vero et prata ex utraque parte adiacentia, sub testimonio et confirmatione filii sui *Wratizlai* et principum suorum, sexcentorum denariorum pretio redemit, et abbati Procopio scriptis et legitimis testibus reconsignauit. Ad extremum quoque ex propria largitione terram, que circa est, usque ad siluam Strnounic, nec non villam Zcramnik et vnum stagnum et structuram lignorum ad piscandum centum denariis comparatam, eidem abbati et suis successoribus pro remedio animae suae in perpetuum contradidit.

Anonymus Zazawiensis in Cosmae chronico ad an. edito a Pelzel et Dobrowsky p. 93.

CXLIII.

Decanus ecclesiae s. Petri Olomucii restituit matronae Swatawae praedium in Olšan coram Spitihněw, duce Morariae. **1053.**

Ego *B*[a] *decanus ad s. Petrum in Olomuc* notum fieri cupio omnibus in Christo iustitiam amantibus, quod in lite quadam inter ecclesiam meam et dominam Zuatauam contectalem nobilis uiri Jarogneu exorta supra predio *na Olzane,* quod frater Zuataue Prostey nomine ad altare ecclesie mee, uidelicet ad sanctum Petrum tradiderat, coram *illustri duce nostro Zpitigneu* in hunc modum ad terminum accessimus, quod ego prefatus B.[a] nomine ceterorum capellanorum s. Petri dictum predium, quia minus iuste a dicto milite Prostey collatum esse didicimus, in manus sororis eius domine Zuataue [b] restituere minime hesitaui, sed inspirante spiritu sancto lubenter hoc feci, quum iniusta possessio et infructuosa et sterilis nutu Dei efficitur, ymmo in detrimentum possessoris eiusdem conuertitur. Nobilis uero mulier prefata Zuataua [b] de innata pietate, nec expetita, aut coacta, sed arbitrio hilari et uoluntate spontanea intuitu remissionis peccati iam dicti fratris sui, quod ex iniusta dotis ipsius alienatione contrahere debuerat, et pro remedio animarum suorum progenitorum contulit ad sanctum Petrum duas marcas denariorum et super iam nominato predio na Olzane annis singulis pendendos assignauit in euum perpetuum. Amen. Et hec mea restitutio et domine Zuataue collatio facta est anno Christi MLIII. et sigillo *illustris nostri domini Zpitigneu* communita. Testes huius rei fuerunt. *dominus Zpitigneu dux Morauiensis.* Ludek. Mirozlau. Paulus capellani et layci Zmil castellanus. Jarogneu. Vicen. Ztres prefectus de Vzoburne. Ymgram. Zuest. Onso. Jarolub. Krisek. et alii quam plures.

---

[a] Initiali: „B." decanus Budimir, qui in catalogo decanorum tunc temporis legitur, annotari videtur. — [b] in apographo: „Z." —

Ex eodem fragmento Monsiano. Lit. VII. —

CXLIV.

Břetislaw, dux Boemiae, Moraviam inter filios dividens legem sancit, ut duces Moravienses sint sub potestate ducis Boemiae. 1054.

Bracislaus dux pater prouidus terram *Morauie* distribuens inter filios suos natu minores hanc sancit legem coram primatibus Bohemie et Morauie ut *Wratislaus* teneat prouinciam cum ciuitate *Olomuc, Otto* uero prouinciam de *Brne* et *Cunradus* prouinciam de *Znoim* hereditarie tribu videlicet in herili, et ut duces *Morauienses* sint semper sub potestate eius, qui dux Bohemorum extiterit in tempore.

Ex Hildegardi Gradicensis chronico Ms. ad annum. — Confer Cosmam ad ann. 1055.

CXLV.

Jaroš, custos termini Hungarici confert ecclesiae s. Petri Olomucii praedium in villa Domašow. Actum in Olomuc, 1054.

Ego *Jaros castellanus de castello et custos termini Hungarici* contuli de patrimonii mei portione in uilla *Domesi* terram ad duo aratra et arantes seruitores Luta cum filio et Zuat cum filiis, quatinus sint ecclesie sancti *Petri in Olomuc* hereditas perpetua. amen. et hec collatio ad preces meas instantes illustris dominus *dux Wratizlau* sui sigilli impressione muniri non recusauit. Actum in *Olomuc* anno dominice incarnationis MLIV. terminante.

Ex eodem fragmento Monslano. Lit. VIII. —

CXLVI.

Břetislaw, dux Boemiae, dotat monasterium s. Joannis in Ostrow ord. s. Benedicti. 1037 — 1055.

Brecyslaus bone indolis tyro, postquam sedem paterni ducatus obtinuit, hec dona Deo et sancto Joanni baptiste in Ostrow pro remedio anime sue, suorumque parentum tradidit. Cysowycih debitores mellis. Capellam quoque in spelunca sancti Joannis baptiste huic loco additit. Insuper et custodes ipsius ecclesie Chrustimichih et Nuncycyh, uillam cum hospitibus Sedlce; item etiam capellam in Veliz cum omnibus appendiciis suis dedit. Piscatores Drazowyzyh, custodes eiusdem ecclesie Otrocynyewsy, Cyrmnye terram ad quatuor aratra. Circuitum quoque silue, que dicitur Zaton et capellam beati Joannis baptiste cum omnibus ad eam pertinentibus. Domaslicyh ciuitate etiam ebdomadam decimam thelonei contulit cum capella beati Jacobi apostoli cum omnibus appendiciis suis.

Ex confirmatione Otakari I. a. 1205. quam protulit Piter in Thesauro abscondito p. 151. — Autogr. exstat in archivo Trebonensi.

CXLVII.

Testamentum Břetislaw, ducis Boemiae, quo legem de successione in ducatu Boemiae stabilit. Chrudim IV. Idus Januarii, 1055.

Bracizlaus dux . . . Chrudim in vrbe acri pulsatur aegritudine; quam vt sensit magis magisque ingravescere et sui corporis vires euanescere, conuocat eos, qui forte aderant, sui primates, quibus astantibus verbis fatur talibus: „Quia me mea fata vocant, et atra mors iam prae oculis volat, volo vobis assignare et vestrae fidei commendare, qui post me debeat rempublicam gubernare. Vos scitis, quia nostra principalis genealogia partim sterilitate partim pereuntibus in immatura aetate, me vsque ad imum fuit redacta. Nunc autem, vt ipsi cernitis, sunt mihi a Deo dati quinque nati, inter quos diuidere regnum Bohemiae non videtur mihi esse vtile, quia omne regnum in se diuisum desolabitur. Quia vero ab origine mundi et ab initio Romani imperii, et vsque ad haec tempora fuerit fratrum gratia rara, testantur nobis exempla rata. Nam Cayn et Abel, Romulus et Remus, et mei ataui Bolezlaus et sanctus Wencezlaus, si spectes, quid fecerint fratres bini, quid facturi sunt quini? Hos ego quanto potiores ac potentiores intueor, tanto mente praesaga peiora auguror. Heu mens semper pauida genitorum de incertis fatis natorum. Vnde praeuidendum est, ne post mea fata, aliqua inter eos oriatur discordia propter obtinenda regni gubernacula. Qua de re rogo vos per Dominum, et obtestor fidei vestrae per sacramentum, quatenus inter meos natos siue nepotes, semper maior natu summum ius et solium obtineat in principatu, omnesque fratres sui, siue qui sunt orti herili de tribu, sint sub eius dominatu. Credite mihi, nisi monarchos hunc regat ducatum, vobis principibus ad iugulum, populo ad magnum deueniet damnum." Dixerat et inter astantium manus corporeos artus linquens petit aethera flatus eius IIII. Idus Januarii.

Cosmas ad annum 1055. Iisdem fere verbis Hildegardus Gradicensis.

CXLVIII.

Conradus comes confert ecclesiae s. Petri Olomucii terram in „Zalesi."
1055.

Cunradus comes filius Rudolfi emit a Krisek milite terram ad duo aratra in *Zalesi* et cambiuit ecclesie sancti *Petri* pro duabus marcis quolibet anno pendendis. Aderant *Wratizlaus dux illustris cum matre Judita illustri ducissa* et multi nobiles terre *Olomucensis.* (MLV).

Ex eodem fragmento Monsiano. Lit. IX. —

CXLXIX.

Wratislaw, dux Olomucensis, decano ecclesiae s. Petri Olomucii largam confert dotem, qua sex infirmos aleret et vestiret. Actum in castro Olomucensi 20. *Aprilis,* 1055.

In nomine domini amen. Ego *Wratizlaus* Dei gratia et dispositione felicis recordationis patris mei Brachizlay, illustris Boemorum ducis, constitutus *dux Morauorum et terre Olomucensis* de larga et habundante mundanorum possessione bonorum, quibus prefatus dilectus progenitor meus me et fratres meos, filios suos, diuitauit, aliquam elemosynam pauperibus et penuria pressis conferre in leuamen pressure huiusmodi nutu cordis mei proprio commonitus destinaui. Contuli itaque decano ecclesie sancti *Petri in Olomuc* predium meum quod in *Yhessutborici* et aliud, quod in *Gridesici* cum circuitu adiacente dominii et iuris mei esse noscitur et aliud in *Zalesi,* quod a Krisek milite meo concambii forma obtinui, cum omnibus attinentibus siue agri sint, siue prata, pascua aut silue et aque decurrentes siue stagnantes, cum omnibus ministerialibus et seruientibus ibidem siue arantibus, siue artificantibus aut custodientibus et piscantibus, quorum nomina recensere foret nimis longum. Contuli uero prenominatas possessiones hac declarante uoluntate, quatinus iam dictus decanus sex pauperes annorum et morborum graui onere pressos et ad quottidiana opera inualidos cibo et potione refoueret, necnon uestium tegmina ipsis prouideret, simulque tale pium pii Samarytani opus suis iniunctum canonice relinqueret successoribus exequendum perpetuum in eui euum. amen. Que autem de reditibus prenominatorum prediorum affluunt contentis pauperum prefatorum exigentiis, decano maneant et suis successoribus perhenniter defruenda. Hec autem elemosyna tradita est in remedium anime dilecti progenitoris mei illustris ducis *Brachizlai* necnon sororis mee *Bolezlaue,* quibus ut saluator omnium Jesus Christus sit misericors in uite celestis eternitate, orate incessanter. amen. amen. amen. Traditioni huiusmodi sollempniter facte adstabant karissima mater mea *Judita, illustris boemorum et morauorum ducissa, Dymudis soror mea, Wratizlaus patruus meus, canonicus Pragensis,* Tazzo prefectus Znoymensis, Zmil castellanus de Preroue, Mirozlaus. Krisek. Jaros castellanus de Podiuin. Siffridus comes custos termini Polonici. Ostreh. Gridata. de boemia autem Znata. Lutohnev. Luitbald. Vuluram. Marchuart. Wilehelmus. Muizlau. Lutomizl. Wladik. Mizleh. et alii quam plurimi. Acta sunt hec in *castro Olomucensi* feria quinta post pascha anno dominice incarnationis millesimo quinquagesimo quinto. mei sigilli cum impressione feliciter. amen.

Ex eodem fragmento Monsiano. Lit. X. —

CL.

Spitihněw, dux Boemiae, duces et primates Moravorum per literas ad colloquium evocat. 1056.

Spitigneus nouus dux vadit nouum disponere *Morauiae* regnum, quod olim pater eius inter filios suos diuidens, partem dimidiam *Wratislao,* partem alteram *Conrado* et *Ottoni* dederat . . Praemisit autem dux Spitigneu illius terrae ad primates litteras, in quibus nominatim vocat CCC viros, quos ipse vidit meliores et nobiliores ex omnibus ciuitatibus, et vt sibi ad vrbem Chrudim occurrant, per salutem capitis sui mandat.

E Cosmae Pragensis chronico ad annum 1055. —

CLI.

Spitignev, dux Boemorum, fundat et dotat largissime monasterium canonicorum in honorem s. Stephani martyris in urbe Lutomeric. cc. **1058.**

Autographum cum sigillo impresso servatur in archivo episcopali Litomeric. Aeri incisum protulit Dobner in Annal. V. post p. 350.

CLII.

Usus linguae slavicae in sacris per Croatiam et Dalmatiam interdicitur.
1059.

Temporibus domini Laurentii archiepiscopi quaedam execrandi schismatis fuit suborta contentio in Dalmatiae et Croatiae regno. Fuerat siquidem tempore domini Alexandri papae, et Joannis decessoris Laurentii supradicti, a domino Maynardo, quondam Pomposiano abbate, et postea episcopo cardinali, quaedam synodus omnium praelatorum Dalmatiae et Croatiae multum solenniter celebrata, in qua multa fuerunt conscripta capitula. Inter quae siquidem hoc firmatum est et statutum, vt nullus de cetero in lingua *sclauonica* praesumeret diuina mysteria celebrare, nisi tantum in latina, et graeca: nec aliquis eiusdem linguae promoueretur ad sacros ordines. Dicebant enim gothicas litteras a quodam *Methodio haeretico* fuisse repertas, qui multa contra catholicae fidei normam in eadem sclauonica lingua mentiendo conscripsit, quamobrem diuino iudicio repentina dicitur morte fuisse damnatus.

Denique cum hoc statutum fuisset synodali sententia promulgatum, et apostolica auctoritate confirmatum, omnes sacerdotes Sclauorum magno sunt moerore confecti, omnes quippe eorum ecclesiae clausae fuerunt. Ipsi a consuetis officiis siluerunt —

Fejér I. 397. e Thomae archid. historia Salonitana cap. 16.

CLIII.

Siffridus, custos termini Polonici. confert ecclesiae s. Petri Olomucii silvam juxta villam „Koiate" (Kogeljn). 1059.

Siffridus filius comitis Sigehardi, *custos termini polonici et castellanus in Gradech* contulit ecclesie sancti *Petri (in Olomuc)* siluam ad uillam *Koiate* sitam, quam a nobili uiro Lubos emerat, remissa sibi pensione binarum annuatim marcarum de bonis super *Opau.* Aderat *Wratizlaus illustris dux* cum multitudine nobilium terre *Olomucensis.* Anno domini MLVIIII.

Ex eodam fragmento Monsiano. Lit. XI. —

CLIV.

Spitihněw, dux Boemiae, confert monasterio in Ostrow villam „Trebenycyh" 1055 — 1061.

Spitigneus, dux Bohemorum, uillam Trebenycyh pro remedio anime sue, suorumque addidit (monasterio s. Joannis in Ostrow); Hercaz etiam quosdam homines, qui ter in anno scutellas et cetera utensilia soluant.

E diplomate Otakari I. 1205. in archivo Trebonensi — Excusum in Piteri Thesauro abscondito p. 151.

CLV.

Wratislaw, dux Boemiae, Moraviam inter fratres suos Ottonem et Conradum dividit. **1061.**

Anno dominicae incarnationis millesimo LXI. obiit *Spitigneus* dux Bohemorum. Post cuius obitum frater eius *Wratislaus* omnibus Bohemis fauentibus, sublimatur in solium: qui confestim *Morauiae* regnum inter fratres suos diuidit per medium, dans *Ottoni* orientalem plagam, quam ipse prius obtinuerat, quae fuit aptior venatibus, et abundantior piscibus: occidentalem vero, quae est versus Theutonicos, dat *Conrado*, qui et ipse sciebat theutonicam linguam. Regio autem illa est planior et campestris, atque fertilior frugibus.

Cosmas ad annum. Item Hildegardus Gradicen. Ms.

CLVI.

M. praepositus de Raygrad, transcribit Severo, episcopo Pragensi, quid certi constet de vestutate ecclesiae s. Petri Brunae. **1062.**

Reuerendo in Christo patri ac domino nostro *S.(euero) Pragensi episcopo* salutem in eo, qui nos omnes sanguine suo fecit saluos. Ego humilis frater *M. prepositus de Raygrad* uobis hanc paginam iuxta mandatum uestrum et de uoluntate illustris *ducis Chunradi* scribere propriam manum adaptaui. Scribo igitur, quod ueraciter didici legendo in libro quodam, qui est ecclesie sancti *Petri in Bruna* et inscribitur his uerbis: *Incipiunt traditiones et portiones ecclesie sancti Petri in monte* — in cuius initiante charta prima conscriptus est sequens notitie tenor in hunc modum: — *† C †. In nomine patris et filii et spiritus sancti. amen. Anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi DCCCLXXXIIII. consecrata est hec ecclesia in honore beatorum Petri et Pauli principum apostolorum Dei per reueren-*

dissimum in Christo patrem Melodium, archiepiscopum Marauensem, ipso eorundem festi die dicato, ac prima eius dos in Brne et Luze confirmabatur scripti tenore coram Zuatoplch duce glorioso et populo illegibili. Amen in eternum. amen. amen. — Et hic finis. — Aliud uero, quod uetustiora attingeret tempora, neque in libro prefato, neque alibi scriptura testante adnotatum reperi. Illud etiam, quod *Zlaua,* sacerdos ad eandem ecclesiam clamans testabatur, qualiter ecclesia sancti *Petri in Bruna tempore Moymari ducis edificata et dotata, postea incurrente inimico igne conbusta a Zlauimaro tempore Zuatopluk ducis gloriosi de nouo constructa* extiterit litteris mandatum non legi, sed tantummodo ex narratione antiquorum hominum aure percepi, quod quidem ipse Zlaua etiam fatebatur. Et hec habetis, reuerende in Christo pater ac domine, que secundum mandatum uestrum et de uoluntate ducis illustris legendo inquirendoque percepi atque cognoui, necnon in huius pagine ordinem redegi. Pax domini nostri Jesu Christi sit uobiscum. (MLXII.)

Ex eodem fragmento Mousiano. Lit. XII. —

CLVII.

Severus, Pragensis episcopus, cartulam donationum ad s. Petrum Olumucii olim a ducibus Ratiš et Swatopluk factarum transcribit.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Innotescat omnibus Christi cultoribus, qualiter ego *Seuerus* Dei gratia ecclesie *Pragensis episcopus,* uidi quandam cartulam mihi a decano et capellanis sancti *Petri in Olomuc* exhibitam eamque uetustam esse agnoui et perlegi in hec uerba: — *Ratis dux tradidit in die consecrationis ecclesie sancti Petri per uenerabilem fratrem Kyrillum omnes homines castelli et ciuitatis ad ripam usque Maraue fluuii. Zuatoplk uero dux tradidit ad altare sancti Petri in manus sacerdotis ioannis sextam partem omnium, quecunque in supa Olomutici ad castellum proueniunt. Et ego frater syluester scripsi hec feliciter. Amen.* — Quoniam uero hec cartula nimis parua et sigilli incapax existebat, quin immo humore et macerie non modice lesa cernebatur, ego prefatus dei gratia episcopus eandem, vtpote pium et post *uastationem hungarorum unicum superstes monumentum christianitatis cepte propria manu depixi (sic) et Otto, dux Morauiensis,* ad cuius uoluntatem hoc feci paginam meam suo sigillo ipse hilariter roborauit.

Ex eodem fragmento Monsiano. Lit. XIII. —

CLVIII.

Otto, dux Moraviensis, comiti Drzislaw confert bona quaedam in circuitu Gradecensi. Actum in Olomuc XII. Kalendas Januarii, **1062.**

Otto *dux Morauiensis de prouincia Olomuc* concambiui bona quedam terre mee cum nobili comite meo nomine Drisizlau filio Benes, uidelicet dedi eidem uillam *Luche* in circuitu *Gradechensi* cum sex mansis et pocillatore et molente ibidem in *Opau* necnon predium desertum super fluuium *Opa* pro bonis suis, que super flumine *Ozca* habere uidebatur, et hoc factum est sollempniter presentibus fratribus meis *Wratizlao* et *Cunrado* illustribus, uenerabili episcopo *Seuero* et plurimis comitibus de boemia et morauia. Actum in *Olomuc* anno dominice incarnationis MLXII. XII. Kal. Januarii. amen.

Ex eodem fragmento Monsiano. Lit. XIV. — Item e cod. sec. XIII. eccl. Olomuc. cui est titulus: Liber benefactorum, descripsit Friebek.

CLIX.

Wratislaus, Boemorum dux, ad voluntatem fratrum *Ottonis* et *Conradi, ducum Moraviensium,* fundati episcopatus *Olomucensis* dotem confirmat augetque, nec non amplis libertatibus et exemtionibus episcopum et ejus homines donat.

Literae ipsae injuria temporum deletae sunt; ast indices antiquissimi privilegiorum eccl. Olomuc. ad easdem provocant. — Confer diplomata Henrici episcopi a. 1131, et Otakari I. reg. a. 1207, quorum utrumque fundationis literarum mentionem facit.

CLX.

Wratislaw, dux Boemiae, fundato Olomucensi episcopatui castrum Podiwjn cum attinentiis assignat. 1063.

Anno dominice incarnationis MLXIII. priusquam *episcopatus Olomucensis* confirmaretur, huiusmodi concambium consentientibus principibus et sub testimonio multorum nobilium factum est in ipsa ecclesia sancti Petri in Olomuc, videlicet tradite sunt *Pragensi episcopo XII ville* secundum ipsius arbitrium nominande additis centum marcis annuis de camera domini ducis Bohemorum; pro curte, que est in *Morauia Sekyr Kostel* cum suis appendiciis, cum castro ibidem sito media in aqua *Zuuratka* nomine *Podiuin* et uilla que dicitur *Zluinica* cum foro ibidem, que tradite sunt ecclesie sancti *Petri in Olomuc* cum omni iure, quo ad *episcopos quondam Morauienses* pertinebant.

Ex Hildegardi Gradicensis chronico Ms. ad annum. — Confer Cosmam ad annum 1067.

CLXI.

Smil, castellanus Přerowiensis, confert cathedrali ecclesiae s. Petri Olomucii villam Laznik. Actum Olomucii IV. Kal. Julii, 1065.

In nomine domini Jesu Christi. Amen. Anno ab incarnatione MLXV. IV. Kalendas Julii in uigilia beatorum apostolorum sancti Petri et sancti Pauli factum est, quod ego comes *Zmyl,* tunc *castellanus de Preroue* existens, vna cum *Suatohna* coniuge mea, comitante et laudante nos reuerendo in Christo domino et patre *Johanne primo episcopo de Olomuz,* accedi humiliter ad castrum, in quo dominus *Wratizlau,* dux boemorum et domini *Otto* et *Cunradus* duces Morauienses, domini nostri, fraterno amore congregati morabantur in *Olomuz*, et instanter rogaui, quatinus uoto animi mei, quo me sanctis apostolis Petro et Paulo iam dudum adstrictum cognosco, assensum preberent effectiuum. Quibus benigne et fauorabiliter assentientibus, ymmo hortantibus, contuli ecclesie beati *Petri in ciuitate Olomuz* site, que iam de uoluntate prefatorum dominorum nostrorum *mater omnium terre ecclesiarum* predicatur, predium meum *Laznici* cum omnibus suis attinentiis, quemadmodum a beate recordationis duce Brachizlao pro seruitiis meis mihi datum est iure hereditario possidendum. Coniunx mea iam nominata dedit in remedium anime filii nostri Henrici *Nauyezdzi* terram ad duo aratra cum seruitoribus et fabro . . ect. (sic) Et nos Wratizlaus dux boemorum, Otto et Cunradus duces Morauienses, fratres germani, hanc piam donationem comitis nostri Zmyl gratam esse dicentes firmauimus et in priuilegii tenorem conscribi fecimus, quod etiam sigillo ducis Wratizlai munitum in perhenne euum tradidimus domino Johanni, reuerendo episcopo eiusdem ecclesie in presentia multorum clericorum et nobilium de Bohemia et Morauia, quorum nomina sunt: Meinardus . . . . ect. (sic).

E codice sec. XIII. archivi capituli Olomuc. cui est titulus: Liber benefactorum descripsit Friebek.

CLXII.

Otto, dux Olomucensis, restituit episcopo Pragensi castrum Podiwjn et forum in „Sekure" (Kostel). 1068.

Anno dominice incarnationis MLXVIII. *Otto dux* restituit electo Pragensi episcopo pro denegatis eidem per ducem centum marcis annuatim de camera soluendis *castrum Podiuin in Morauia cum foro ciuitatis Sekure adiacentis*, qualiter tempore b. Adalberti ex unione parochiarum cesserat in ius Pragensium. Contradicente postea Johanne episcopo, cuius dos erat ex fundatione et confirmatione; et hinc ille conflictus litigiosus et querele infinite. [Finite autem (1146.) de gratia Wladizlai ducis Bohemorum feliciter amen.]

Ex Hildegardi Gradicen. chronico Ms. ad ann. — Cfr. Cosmam a. 1110.

CLXIII.

Alexander papa II. Wratislaw, Boemiae duci scribit, ut concordiam et pacem cum fratre suo quamprimum ineat, et legatos se missurum spondet. **1071.**

Alexander episcopus, seruus seruorum Dei, carissimo in Christo filio *Wratislao Boemiorum inclyto duci,* salutem et apostolicam benedictionem. Nobilitatis tue cor et animum ex deuotione erga reuerentiam sancte Romane ecclesie institutum esse cognouimus, ut habita in te plena dilectione causis tuis, quotiens ad nos referuntur, quantum iusticia comitante valemus, nostre apostolice auctoritatis curam undique impendere cupiamus. Itaque de lite, que inter te et fratrem tuum episcopum protracta est, et pro qua compescenda iam aliquotiens utrique scripsimus, valde solliciti sumus. Et quamquam officii nostri sit, per uniuersam ecclesiam pacem et concordiam cum Dei adiutorio seminare, tamen inter vos fedus amicitie tanto ardentius conuenire cupimus, quanto germanum odium non modo vestris honoribus, verum etiam saluti periculosius obesse perpendimus, presertim cum utriusque querimonias, et de extinquenda lite vestra deprecatorias meminerimus sepe nos accepisse litteras. Vnde sicut per nuncios tuos te desiderare intelleximus, in partes illas ad hec et cetera negotia pertractanda idoneos mittere legatos destinauimus, quos si opitulante Deo illuc usque venire contigerit, iam nunc te commonitum esse volumus, illorum consiliis ac decretis sic acquiescere, sic fauere, prout nostre erga te beniuolentie debito et exequendis ecclesie Dei utilitatibus congruit. Preterea sicut carissimum filium te ammonemus, ut humane conditionis memor cogites, quam hec uita fragilis est et incerta, quidve in futuro examine districto iudici omnes conscientias tuas perscrutanti, responsurus sis, et hos honores caducos et transitorios ita gerere ac transire studeas, ut pro his incomparabiles diuitias et indeficientem regni Dei gloriam non amittas. Inter omnia vero et pre omnibus hoc hortamur, hoc rogamus, ut ecclesias et monasteria, que in tua potestate sunt posita, ab iniuriis protegas, et ut ii, qui ad sacrosancta mysteria electi sunt, caste et religiose Deo seruiant, quantum possis, studium ac diligenciam habeas. Plura tibi in scriptis miserimus, nisi quod futuros legatos ea melius viua voce indicaturos esse putauimus.

Pez Cod. dipl. pag. 246. — Dobner Ann. V. 411.

CLXIV.

Joannes, episcopus Olomucensis, Wratislaw, duci Boemiae, de contumelia sibi a Gebhardo, episcopo Pragensi, illata queritur. **1071.**

Si contumeliam mihi a fratre tuo Gebhardo inhumanitus illatam aequo animo spectas, fac periculum, ut omnes sciant, non meam hanc esse, sed tuam iniuriam. Quid enim ego deliqui, aut quid merui, qui nil nisi quod placuit tibi, feci. Ecce ego licet indignus, tamen dictus per tuam gratiam episcopus, flagellis caesus praeconis usque ad fastidium, mallem nunquam attigisse pontificale fastigium. Certe aut me meo abbati redde, quamuis tarde, aut mecum aequaniter hanc contumeliam comportando diuide, et me aut nuncium meum ad apostolicam sedem dirige.

Cosmas ad a. 1073. — Rectius Hildegardus Gradicencis Ms. ad a. 1071.

CLXV.

Relatio ad Alexandrum II. pontificem de iniuria episcopo Moraviensi ab episcopo Pragensi illata. **1071.**

Decanus ecclesie Olomucensis nomine uniuersi cleri nec non *prepositi de Raygrad, de s. Johanne et de Zpitignou* domino apostolico latissime referunt, qualiter diocesanus suus a Pragensi episcopo iniuriis, contumeliis, ymmo uerberibus sit male habitus. Anno MLXXI.

Ex Hildegardi Gradic. chronico Ms. ad annum.

CLXVI.

Gregorius papa VII. mandat Wratislaw, duci Boemiae, ut suos legatos adversus fratrem Jaromirum, episcopum Pragensem, tueatur. Dt. Laurenti VIII. Idus Julii, **1073.**

Gregorius episcopus, seruus seruorum Dei, *Wratislao, Boemie duci, et fratribus suis* salutem et apostolicam benedictionem. Quia ob devotionem et reverentiam beatorum Petri et Pauli principum apostolorum legatos nostros, Bernardum videlicet et Gregorium, qui ab hac sancta et apostolica sede ad vestras partes directi sunt, debite caritatis beneuolentia suscepistis, et eos, ut vestram condecet magnificentiam, honorifice tractastis, omnipotenti Deo gratias agimus; proinde nostre beneuolentie vobis vicem rependimus. Quoniam enim antecessorum nostrorum negligentia et patrum vestrorum, qui hoc fieri postulasse debuissent, agente incuria apostolice sedis nuntii ad partes vestras raro missi sunt, quidam vestrorum hoc quasi nouum aliquid existimantes, et non considerantes sententiam Domini dicentis: Qui vos recipit, me recipit, et qui vos spernit, me spernit: legatos nostros contemptui habent, ac proinde dum nullam debitam reuerentiam exhibent, non eos, sed ipsam veritatis sententiam spernunt. Unde, ut clarius luce patet, eius veritatis sententiam ad cumulum sue dampnationis adeo in se exaggerant, ut merito, dum pusillos Domini scandalizant, moles asinarias collo suspensas habentes, in profundum perditionis, nisi resipuerint, prolabantur. Quorum frater vester *Jaromir,* Pragensis episcopus, olim noster amicus, his nostris legatis, Bernardo scilicet et Gregorio, ut auditu percepimus, in tantum rebellis existit, ut, si ita est, sicut dicitur, Simonis magi vestigia contra apostolorum principem imitatus videatur. Quapropter rogamus nobilitatis vestre prudentiam, ut et nostros legatos, et fratrem vestrum predictum episcopum conueniatis, et per vos, et ex parte nostra fratrem vestrum attentius hortemini, quatenus legatorum nostrorum monitis debite obedientie aurem inclinet, et quidquid iustitie sibi suggesserint, vel ex eis preiudicio pregrauari, nulla sibi ab hac ecclesia audientia denegabitur. Si vero neutrum horum facere acquieuerit, et sententiam legatorum nostrorum de suspensione sui officii in eum promulgatam firmabimus, et durius contra eum scilicet usque ad internecionem gladium apostolice indignationis evaginabimus, sicque fiet, ut ipse et per eum plures alii experiantur, quantum huius sedis auctoritas valeat. Inviti enim ad hoc compellimur, neque audemus huiusmodi presumptionem dissimulare. Per Ezechielem namque prophetam sub interminatione nostri interitus impellimur dicentem: Si non annunciaueris iniquo iniquitatem suam, ipse iniquus in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Et alibi: Væ illi, qui prohibet ab eo, qui peccat, et incorrigibilis perseuerat. Vos autem et de his et de aliis sic agite, ut temporalis vobis gloria in domino augeatur, et perpetue beatitudinis abundantiam per interuentum apostolorum perenniter possidere possitis. **Data Laurenti VIII. Idus Julii. Indictione undecima.**

Collectio Concil. Harduini VI. 1208. — Concilia ed. a Coleti 1730. XII. — Dobner Annal V. 422.

CLXVII.

Gregorius papa VII. confirmat Wratislaw, duci Boemiae usum mitrae, et causas in ejus terra vertentes se diffiniturum promittit. **1073.**

Gregorius episcopus, seruus seruorum Dei, *Wratislao, duci Boemie,* salutem et apostolicam benedictionem. Longa iam temporis interualla transacta sunt, ex quo et nobilitas tua beato Petro apostolorum principi non modice deuotionis animum spopondit, et tibi in apostolica sede inter ceteros principes larga benignitas pre multis etiam singularis, et egregia fuit adstricta caritas. Cuius rei fidem et iudicium ex beneuolentia domini et antecessoris nostri, Alexandri pape satis percepisse potes, qui petitionibus tuis non unquam sine sua et filiorum sancte Romane ecclesie sollicitudine et labore condescendit, et ad signum intime dilectionis (quod laice persone tribui non consueuit) mitram, quam postulasti, direxit. Neque uero nos in nostris temporibus tante dilectionis graciam prouidente Deo labefactari volumus. Immo, si quid est, in quo comitante iusticia firmius conglutinari ualeat, hoc nostrum apud Deum sollicitudo impetrare valde desiderat. At te quidem erga apostolicam reuerentiam, quam sis in votis constans, quam in promissis perseuerans, non modo pro dignitate, verum etiam pro salute tua fideliter oportet attendere. Scriptum est enim: Vouete et reddite. Que autem illa vel qualia sunt, a tui ipsius conscientia satis te commonitum esse putamus. Causas vero et negotia, que in partibus tuis ad audientiam discussionemque legatorum nostrorum prolata, peccatis impedientibus congrua determinatione diffiniri non poterant, sicut officii nostri cura nemine nos rogante compellit, ad eum, quem iustitia postulauerit finem adiuuante Domino perducere procurabimus. Porro que ipsi statuerunt, interim donec ad nos negotia perferantur, immota manere volumus, atque apostolica auctoritate precipimus. Deus autem omnipotens, qui bonorum omnium dator est, talem vos in votis vestris et actibus esse faciat, ut cum ante celestes iudices, videlicet Petrum et Paulum, in futuro examine veneritis, nulla vos in illorum oculis, nisi que remuneratione digna sit, conscientia denotare et ostentare valeat. Data Rome XVI. Kal. Januarii, indictione XII.

Harduin. l. c. VI. 1226. — Dobner Annal. V. 425.

CLXVIII.

Sigefridus, Moguntinus archiepiscopus, tuetur controversiam Gebhardi, episcopi Pragensis, adversus Joannem, episcopum Moraviensem. **1073.**

Reuerendissimo patri nouiter sacerdotio prime sedis apostolice infidato Sigefridus, Moguntine dispensator ecclesie, sedulam beneuolentie seruitutem et debitam obedientie subiectionem. Semper quidem desiderio desiderabamus eum apostolice sedis presulem esse, qui uita et moribus, verbis et exemplis ad salutem preesset et prodesset sancte Dei ecclesie. Nunc vero quomodo melliflui facti sunt celi solito dulcius distillantes rorem gracie Dei. Diuina miseratio votis nostris solito cumulatius satisfecit, et eum, quem maxime optabamus, eidem sancte Romane ecclesie prefecit, qui nobis semper dexter stetit in omnibus negotiis, numquam nobis defuit in nostris. Unde totis precordiorum medullis gracias agimus Deo altissimo, qui cathedram Petri, caput scilicet ecclesiarum, vestro mi reuerende pater illustrauit et ornauit sacerdotio, humili supplicatu orantes et deprecantes, ut, qui primitias apostolatus vestri perfudit, oleo letitie pre participibus vestris graciam et pacem multiplicet ecclesie sue cunctis diebus vestris. Optamus autem promereri, ut peculiarem graciam apud vos obtineamus, et a vestra paternitate specialem nobis prouenire clementiam, non solum ea charitate, quam uniuersali debetis ecclesie, sed etiam eo gratie priuilegio, quod semper sacra sedes vestra Moguntine impendit ecclesie, ut pia mater speciali filie. Hac ergo freti gracia in omnibus, que nobis obuiant, ad uos recurrimus, et quidquid nobis aduersatur, ad uos ueluti membra ad caput referimus. Unum humiliter intimamus vestre sanctitati, quod sub antecessore vestro pie recordationis papa Alexandro contigit: nos, ut salua reuerentia dixerimus, iniuste preiudicium pati, et inclementer deturbatos esse ab eo iure, quod sacri canones et patrum scita metropolitanis iubent obseruari. Denique eidem sanctissimo patri de fratre et suffraganeo nostro episcopo Pragensi sinistra relatione suggestum est, et me ignorante ab inimicis apud eum accusatus est: Unum et hactenus insolitum ab eo exiit edictum, ut eundem fratrem et coepiscopum nostrum, nec inter fratres suos canonice prius auditum, nec canonice ad se uocatum, nec inobedientie culpa denotatum, non solum ab officio suo suspenderit, sed etiam rebus et redditibus sue ecclesie omnino spoliauerit et extruserit, ita ut missis nuntiis publice nuntiari fecerit in clero et populo, ut eum qui excommunicatum habentes, nihil quod episcopi esset, vel quererent vel acciperent ab eo. Quod factum si apostolicam deceat mansuetudinem, si decretorum seruet auctoritatem, vestram non preterit sanctitatem. Debuit namque iuxta decreta canonum ad nos primum causa deferri, et ad concilium vocatus intra prouinciam inter fratres suos audiri. Ego vero et fratres mei deberemus ad apostolicam sedem, velut ad caput nostrum referre, si tanta res esset, ut per nos nec posset nec deberet terminari. Nunc autem frater noster et coepiscopus a sede sua vagus et profugus, et ut diximus rebus et redditibus ecclesie sue iniuste spoliatus et extrusus indignum patitur iudicium, et omnibus fratribus et coepiscopis nostris magnum inde prouenit scandalum, et episcopale nomen et officium, quod apud Deum et homines sacrum est, intolerabile patitur obprobrium. Porro ecclesia illa iam multis diebus pastorali caret administratione, et unico pastore uidua episcopali uacat benedictione, in qua episcopus ille, qui expulsionis et perturbationis huius auctor est, eius sibi usurpat officium, et quod omnibus conciliis et decretis maxime cautum est, consecrando et confirmando eundem circuit episcopatum, quod maxime ob hoc periculosum est, quod gens illa catholice fidei novella est plantatio, et nondum radicata et fundata in christianismo, et facile ad antiquum paganismi reuolabit errorem, si inter pastores suos tantam viderit durare dissensionem. Quapropter ego et omnes fratres mei vestigiis vestre sanctitatis affusi oramus et obsecramus primum ecclesie rationes, nec non maligni huius temporis inclamare importunitates.

Dobner Ann. V. 420. ex Eccardi scriptor. II. n. 130.

CLXIX.

Gregorius papa VII. mandat Wratislaw, duci Boemiae, ut Gebhardo, episcopo Pragensi, omnia per apostolicos legatos erepta praedia restitui curet, ut sumtus necessarios habeat ad iter Romam ineundum, quo citatus fuit. Dt. Romae II. Kalendas Februarii, 1074.

Gregorius servus servorum Dei, *Wratislao, duci Boemorum,* salutem et apostolicam benedictionem. Frater tuus *Jaromirus*, Pragensis episcopus conqueritur, se exspoliatum ecclesie sue rebus inopia rerum necessariarum pro reddenda ratione eorum, que sibi intenduntur, apostolicam sedem venire non posse. Quod quanquam eius inobedientia et tergiuersatio ualde promeruit, tamen, ne hanc absentationis seu occasionem pretendere possit, volumus atque precipimus, ut in integrum sibi restituantur, quecumque a legatis nostris, Bernardo videlicet et Gregorio, preter episcopale officium interdicta sunt, et preterea, pro quibus *Joannes Morauiensis* super eum clamat episcopus. Qua in re tuam maxime admonemus prudentiam, ut de consuetis decimis uel redditibus ecclesie nichil ei in tua potestate denegari patiaris aut subtrahi; nec aliquam sibi contrarietatem facias, per quam, ut ad nos uenire non possit, impedimenta sibi obsistere iterum conqueratur. Eo autem tempore, quo ipsi sicut per epistolam nostram commonitus est, apostolicam sedem adire debuerit, te quoque, si fieri posset, presentem fore maxime cuperemus. Quod si rerum aut temporum euentus prohibuerit, nobilitatem vestram multum admonemus, ut episcopum Morauiensem presentiam suam nobis exhibere commoneatis, et preterea de vestris fidelibus tales ad nos dirigatis, cum quibus rerum veritate solerti indagatione perquisita, et quidquid equum fuerit, determinata sententia statuere valeamus. Data Rome II. Kalendas Februarii, indictione XII.

Harduin. l. c. p. 1231. — Coleti l. c. — Dobner Annal. V. 429.

CLXX.

Gregorius papa VII. praecedentis epistolae tenorem transcribit Gebhardo, episcopo Pragensi, et mandat, ut cum Joanne, episcopo Moraviensi, compareat Romae. Dt. Romae II. Kal. Februarii, 1074.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei, *Jaromiro, Pragensi episcopo.* Quanquam inobedientia tua et culpa, quam in contemptu legatorum sancte Romane ecclesie perpetrasti, preces tuas, te absente, et nondum parato satisfacere, recipi non meruit, tamen, ne ex apostolica licet iusta districtione absentationis tue moram vel occasionem diutius defendere possis, necessitatem, qua te urgeri in epistola tua conquestus es, et impedimentum ad nos veniendi remouere decreuimus. Itaque presenti auctoritate tibi restituimus, et tenendo concedimus, quecunque a legatis nostris, Bernardo videlicet et Gregorio, preter episcopale officium tibi interdicta sunt, quoniam te exspoliatum rebus ecclesie tue, inopia rerum necessariarum obedientiam debite satisfactionis non posse exequi, sicut supra diximus, conquerendo excusas. Atque hoc idem fratri tuo *Wratislao duci* per epistolam nostram notificauimus, admonentes eum, ut de consuetis decimis et redditibus ecclesie tue nichil in potestate sua tibi denegari patiatur aut subtrahi. Admonemus igitur et ex parte apostolorum Petri et Pauli et nostra per eos apostolica tibi auctoritate precipimus, ut nullis excusationibus absentiam tuam ulterius defendas, in ramis palmarum apostolica adire limina non pretermittas, cognoscens, fratrem tuum a nobis esse commonitum, ut *Joannem, Morauiensem episcopum,* itidem ad nos uenire commoneat, et ex sua parte tales ad nos nuntios dirigat, quibus in nostra possimus examinatione diffinire dissensionum causas. Interim vero de possessionibus Morauiensis episcopatus nichil te tangere volumus, et precipimus, ne vel ipse aliqua molestiarum excusatione presentiam suam conspectui nostro subtrahat. Prescriptum vero terminum aduentus tui tu ipse ita mature fratri tuo duci indicare curato, ut Morauiensem episcopum et tuos legatos una tecum ad apostolicam sedem dirigere possit. Data Rome secundo Kalendas Februarii, indictione duodecima.

Harduin. l. c. p. 1230. — Coleti l. c. — Dobner Annal. V. 429.

CLXXI.

Gregorius papa VII. admonet Ottonem et Conradum fratres, duces Moraviae, ut ecclesiae Olomucensis jura laedi non patiantur. Dt. Romae XV. Kalendas Aprilis, 1074.

Gregorius seruus seruorum Dei, *Ottoni et Chuonrado, fratribus Wratislai ducis Boemorum,* salutem et apostolicam benedictionem. Meminisse debet nobilitas vestra, quod de *causa Olomucensis ecclesie* iam ante apostolica monita accepistis, ne iusticiam eius aliqua occasione minueritis, neque molestantibus eam aliquod adiutorium preberetis. Nunc vos admonemus, et paterna caritate rogamus, ne aliquam contrarietatem eidem ecclesie faciatis, sed pro reuerentia sancte Romane ecclesie, cuius apostolicis priuilegiis munita est, amorem et pie deuotionis studia erga illam exhibeatis, et quantum vestre potestatis est, iura et pertinentias eius a vobis et vestris inuiolata conseruari studeatis. Hec enim est causa, in qua et diuine remunerationis gloriam, et apostolorum certa presidia, ac nostre dilectionis plenitudinem vobis lucrari, et arctissime possitis adstringere. Sin autem (quod non optamus) aliter feceritis, procul dubio hec eadem vobis corrumpere, et in contrarium, quod absit, vertere poteritis. Data Rome decimo quinto Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

Harduin. l. c. p. 1240. — Coleti l. c. XII. 279. — Dobner Ann. V. 430.

CLXXII.

Gregorius papa VII. vehementer cum Sigefrido, archiepiscopo Moguntino, expostulat, quod causam Gebhardi, Pragensis, et Joannis, Moraviensis episcoporum, judicandam praetenderit. Dt. Romae XV. Kal. Aprilis, **1074.**

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Sigifredo, Moguntino archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem. Peruenit ad aures nostras quedam de te indigna relatio, cui nequaquam fidem adhibuissemus, nisi quod in literis tuis, quas de causa *Jaromiri, Pragensis, et Joannis, Moraviensis* episcoporum, nobis direxisti, idem in animum tuum te induxisse intelleximus, videlicet, ut negotium, quod ipsi habent adinvicem totiens iam ad apostolicam delatum audientiam, a nostro iudicio ad examen tui arbitrii transferretur. Qua in re quoniam evidenter apparet, quam parum consultores tui iura apostolice auctoritatis intelligant vel attendant, fraternitatem tuam, ut nobiscum canonicas traditiones et decreta sanctorum patrum percurrat invitamus, in quibus presumptionis sue fastum denuo recognoscens, culpam in seipsa negligentie pariter deprehendat et ausus. Nam cum primum Johannes, Moraviensis episcopus ecclesie, cui preest, iura defendere volens, multis iniuriis ac contumeliis, flagellis etiam, ut audivimus, afficeretur, et tamen iustitiam non posset consequi, tua religio nullam inde solicitudinem, nullam in discutienda causa fatigationem suscepisse dignoscitur. Verum postquam apostolica sedes accepta prefati episcopi querimonia saepe per epistolas, aliquotiens etiam per legatos causam iusto fine determinare, et litem compescere desudaverat; tunc demum evigilans solertia tua negotium animadvertit, suis hoc discussionibus referendum esse iudicavit: et fratrem per apostolica suffragia ad portum iustitie et quietis enatantem in profundum, credo, renovande contentionis et laborum retrahere voluisti. Quamquam igitur hinc officii tui incuria, illinc suscepta adversus apostolicam sedem accusante te arrogantia merito in te commoveri deberemus; utentes tamen apostolica mansuetudine placido te admonemus affectu, ne ulterius tam inordinata, tam inconsulta presumas, apostolica iudicia non dico tibi, sed nec ulli patriarcharum, aut primatum retractandi licentiam fore existimes, nec contra sanctam Romanam ecclesiam quidquam tibi attribuere vel moliri cogites, sine cuius abundanti clementia, nec in loco quidem tuo, ut tu ipse nosti, subsistere potes. Nos etenim adiuvante Deo, per auctoritatem beati Petri, sicut iamdiu in apostolica sede decretum est, inter prefatos episcopos litem iuste decidere, et Moraviensi ecclesie, que sui iuris sunt, decernere et corroborare procurabimus. Data Rome decimo quinto Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

Coleti Consil. XII. 280.

CLXXIII.

Gregorius papa VII. Wratislaw, duci Boemiae, scribit, quidquid Sigefridus, Moguntinus archiepiscopus, in causa Gebhardi, Pragensis episcopi, adversus ipsum tentaverit, ut nihili ducat. Dt. Romae XV. Kal. Aprilis, **1074.**

Gregorius episcopus, seruus seruorum Dei, *Vratislao, duci Bohemie,* salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam afflatus igne divino studia deuotionis erga sanctam et apostolicam ecclesiam habere cepisti, silere nos caritas in te diffusa non patitur, quia ardorem divine seruitutis de die in diem ferventius te concipere frequenti exhortatione moneamus. Illa etenim vota apud Deum premia merentur et gloriam, que per gradus bonorum operum ad cacumen plenitudinis tendunt, et semper in bono desideria ampliora concipiunt. Quapropter carissime fili in Christo bona, que Deo inspirante mens et devotio tua proposuit, ad effectum perfectionis extendere stude: quatenus apostolica benevolentia nulla tibi labefactata segnitie pro meritis tuis ampliori semper te dilectione comprehendat. De reliquiis et priuilegio, unde nos rogasti, cum nuntius tuus finita et perfecta ecclesia consecrationis consilium a nobis quesierit, voluntati tue satisfacere benigne procurabimus. Sigifredum vero archiepiscopum Moguntinum de presumptione, quam in causa Jaromiri, Pragensis episcopi, habuit, per epistolam nostram duriter increpavimus, interdicentes ei, ne ulterius se huiusmodi inertia et fatuitate occupare incipiat. Attamen, si quid adversum te temerario iudicio fecerit, preventu apostolice auctoritatis tutus atque defensus, donec iterum ad te nostra legatio perferatur, pro nihilo ducas, magisque sibi ad periculum, quam tibi futurum esse non ambigas. De cetero apostolicis benedictionibus semper te munitum esse gaudeas. Data Rome decimoquinto Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

Harduin. l. c. I. 1242. — Coleti Conc. XII. 281. — Dobner Ann. V. 436.

CLXXIV.

Gregorius papa VII. certiorem reddit Wratislaum, ducem Boemiae, qua ratione se Gebhardus, episcopus Pragensis, de violentia episcopo Moraviensi illata purgaverit, nec non causam de controversis fundis episcopalibus ad futuram synodum esse translatam. Datum Romae XVI. Kalendas Maji, 1074.

Gregorius episcopus, seruus seruorum Dei, *Wratislao, Bohemorum duci*, salutem et apostolicam benedictionem. Frater tuus *Jaromirus, Pragensis episcopus*, ad apostolorum limina veniens, conspectui nostro ea, qua oportuit, humilitate se presentauit, et de obiectis quedam confitens congruam inde satisfactionem obtulit, quedam vero denegauit, et in hunc modum se purgando remouit, videlicet: quod ipse *Joannem, Morauiensem episcopum*, non percusserit, neque seruientes eiusdem episcopi decapillari, aut barbas eorum abradi preceperit, aut occasione subterfugiendi synodum inducias per legatum suum petierit. Nostre igitur dilectioni plene reconciliatum, et restituto sibi omni episcopali officio ad propriam sedem cum litteris nostris et cum apostolico eum sigillo remisimus, commendantes eum tue nobilitati, ut omni inter vos odio et inimica emulatione sublata fraterno corde eum diligas, et episcopalem in eo dignitatem, sicut dignum est, veneranter inspicias, et quecunque iuris ecclesie sibi commisse sunt, vel quolibet modo ad eum iuste pertinent, tam tu ipse ei concedas, quam omnes, qui sub tua potestate sunt, sine contradictione sibi reddere facias. De causa vero, que inter eum et Morauiensem episcopum tamdiu protracta est propter illius absentiam, ita statuimus, ut in futura synodo ambo episcopi aut ipsi ad nos veniant, aut tales nuntios mittant, quibus presentibus, et causam ex utraque parte rationabiliter exponentibus, nos sine omni ulterius dilatione puram super hac re iustitie diffinitionem inferre, et contentionem rerum decidere Deo fauente possimus; ubi etiam legatos tuos interesse multum cupimus, quatenus et ipsi tua voce ad indagationem veritatis nos adiuuent, et testes nostre diffinitionis existant. Terram vero, unde inter episcopos lis est, Morauiensem episcopum interim tenere decreuimus. Preter hec supra memoratus frater tuus conqueritur super te, quod *prepositura et castro sancti Vinzlai* debitam sibi potestatem et iustitiam penitus auferas. Unde excellentiam tuam paternis affectibus rogamus et admonemus, ut, si te iniurias ei in hac re irrogare cognosces, respectu diuini timoris, cui rationem de factis tuis in districto iudicio redditurus es, gratuita bonitate tua ad iustitiam redeas, et fratri, que sua sunt, sine omni contrarietate dimittas. Sin vero clamor eius inter vos sedari nequiret, in prefato termino future synodi legatos tuos vel hac de causa ad nos transmittere non pretermittas, quatenus inquisita et percognita veritate ex utraque parte, quod iustum fuerit, valeamus decernere, et aliquando fraterna pace et concordia vos opitulante Deo coniungere. Data Rome decimo sexto Kal. Maii, indictione duodecima.

E Collectione conciliorum Harduini pag. 1254. — Item Concilia edita a Coleti 1730. l. c. — Dobner Annalium T. V. pag. 432.

CLXXV.

Gregorius papa VII. hortatur Wratislaw, ducem Boemiae, ut castrum Podiwjn cum praepositura s. Wenceslai in Moravia ab episcopo Pragensi occupatum episcopo Moraviensi restitui procuret. Dt. X. Kalendas Octobris, 1074.

Gregorius episcopus, seruus seruorum Dei, *Wratislao, duci Bohemorum,* salutem et apostolicam benedictionem. Peruenit ad nos nuncius vester, qui magne deuocionis et fidelitatis vestre exhibitionem nobis retulit, et que beato Petro sub nomine census misistis, videlicet centum marchas argenti ad mensuram vestri ponderis fideliter presentauit, quod quidem gratanter accepimus; sed caritatem vestram multo ardentius amabiliusque quasi quibusdam animi brachiis ad vos usque porrectis amplectimur, qui mentem vestram et desiderium magis ac magis erga reuerentiam apostolice sedis accendi perpendimus. Beatus autem Petrus, quem vos diligitis, et cui celsitudinem potentie vestre humiliatis, copiosa vobis procul dubio retributionis munera preparabit, et suo vos munimine tam in presenti, quam futuro seculo letificabit. De cetero grates vobis habemus, quod obedientes nostris monitis cum fratre vestro *Jaromiro, Pragensi episcopo,* pacem fecistis, quem nos quidem hoc in anno apostolice sedi presentatum longe misericordius, quam sua meretur culpa, tractauimus. Verum ille, indebitam nobis vicem rependens, mox ut domum reuersus est, sicut non dubia relatione cognouimus, de castro quodam et aliis rebus, unde litem habet cum *Joanne, Morauiensi episcopo,* contra interdictum nostrum, et contra sui ipsius in manus nostras datam promissionem, etiam de nobis mentiendo, quasi id sibi concesserimus, se intromittere ausus est. De quo mendacio et fraude, quid et qualiter paucis eum corripiendo preceperimus, in transmisso tibi exemplo litterarum, quas ei direximus, plene cognoscere potes. Unde tuam nobilitatem ex parte beati Petri et nostra apostolica auctoritate rogamus et precipiendo monemus, ut nequaquam eum de tanta deceptione ulterius gaudere sinas, sed nisi ipse, sicut ipse in litteris nostris iussus est, castrum et alia, que in lite sunt, Morauiensi episcopo sine mora reddat, tua eum virtute eiicias, et restitutis omnibus iam dicto Morauiensi episcopo, ipsum et bona ecclesie, cui preest, pro amore Dei et redemptione anime tue ab iniuriis et impiorum hominum oppressione defendas. Hoc autem ea spe et intentione tibi procurandum mittimus, ut omnipotens Deus te et honores tuos diuina virtute defendat, et suffragante beato Petro apostolo a peccatorum suorum te absolutum vinculis ad gaudia eterna perducat. Data Rome X. Kalendas Octobris, indictione XIII.

Harduin. l. c. pag. 1268. — Coleti l. c. XII. 279. — Dobner Ann. V. 439.

CLXXVI.

Gregorius papa VII. inter alia gravissime cum Gebhardo expostulat, quod episcopi Moraviensis terras invaserit, quem ad restitutionem hortatur. Dt. Romae X. Kal. Octobris, 1074.

Gregorius episcopus, seruus seruorum Dei, *Gebhardo, Pragensi episcopo,* quod non meretur, salutem et apostolicam benedictionem. Venientem te hoc anno ad apostolicam sedem apostolica utentes mansuetudine multo benignius, multo mitius, quam facta tua mererentur, te suscepimus atque tractauimus. Sed tu more tuo malum pro bono reddens, contempta nostra caritate et apostolica auctoritate, contra interdictum nostrum de bonis et rebus, unde inter te et *Joannem, episcopum Morauiensem,* lis est, te intromittere ausus es, et quod valde nobis molestum est, nostra concessione te id fecisse mentitus es. Nos quidem meminimus sic decreuisse, ut episcopus Morauiensis terram et alia, de quibus inter vos discordia erat, usque ad futuram synodum cum omni pace et quiete tenere deberet. Hoc in litteris nostris fratri tuo duci expresse significauimus. Hoc tu, ut nullatenus impedires, in manum nostram promittendo firmasti; sed ut verbum inde mutaremus, hoc, cum multum instares, neque precibus neque pretio impetrare potuisti. Porro in nouissimis quasi quasdam nouas querelas super fratre tuo, *Wratislao duce,* quod fraudulenter concludantur, sed per orbem terrarum ad discordiam multarum gentium et te fecisse nunc cognouimus, asserens videlicet *de quodam castro sancti Venzlai et de prepositura* iusticiam tuam tibi contradicere. Hoc tantum effecisti, ut eum in epistola nostra moneremus, quatenus, si se iniuriam tibi fecisse cognosceret, pro nostro, imo amore Dei, quod equum esset, inde faceret. Hac igitur occasione et de nobis mendacium finxisti, et nostra decreta subuertisti. Sed queso non erubescis, aut non times, quod pro talibus causis non solum ordinis tui periculum tibi imminet, sed ex fraterno odio nec christianitatis quidem in te suscepta gratia manet. Precipimus ergo tibi ex parte beati Petri et nostra apostolica auctoritate, ut castrum, quod tam fraudulenter cepisti, et alia omnia, que in lite sunt, prefato Morauiensi episcopo reddas, et tu ad diffiniendam causam, sicut statutum est, aut ipse Romam venias, aut idoneos legatos mittas, atque hoc ita tempestiue Morauiensi episcopo notifices, quatenus et ipse pariter se vel legatos suos ad iter preparare ualeat. Preterea, sicut nobis relatum est, pacem, que inter te et fratrem tuum ducem conuenit, multis modis perturbare non desinis, precipue cum suos absque canonica culpa et legali iudicio excommunicas. Quod quidem tibi maxime periculosum est; quoniam, sicut beatus Gregorius dicit: Qui insontes ligat, sibi ipse potestatem ligandi atque soluendi corrumpit. Unde te monemus, ut anathematis gladium nunquam subito neque temere in aliquem vibrare presumas, sed culpam uniuscuiusque diligenti prius examinatione discutias, et si quid est, quod inter te et homines sepefati fratris tui emerserit, cum eo imprimis, ut suos ad iustitiam compellat, fraterne et amicabiliter agas, et si equitatem tibi denegauerit, aut temeritatem suorum aliqua dissimulatione contra te, quod non credimus, intumescere permiserit, nobis indicare non te pigeat, et prestante Domino huius querele occasionem sollicitis admonitionibus sine mora decidere procurabimus. Data Rome decimo Kalendas Octobris, indictione decima tertia.

Harduin. l. c. pag. 1266. — Coleti l. c. — Dobner Annal. V. 440.

CLXXVII.

Gregorius papa VII. consolatur Joannem, episcopum Moraviensem, hortaturque, ut ereptum a Gebhardo castrum repetat. X. Kal. Octobris, 1074.

Gregorius episcopus, seruus seruorum Dei, *Joanni, Morauiensi episcopo,* salutem et apostolicam benedictionem. Caritatem tuam, frater, erga nos promtam et sinceram esse cognoscentes, debitas tibi grates rependimus, tuisque fatigationibus fraterno corde compassi sumus. Scimus enim, quanta fraude *Pragensis episcopus* te circumuenit: qui tamen non solum ad tuas, sed de nobis mentiendo, et quasi ex nostra concessione rapacitatem suam roborando, ad nostras etiam iniurias patenter erupit. Qua de re quam grauiter commoti sumus, vel quid inde censuerimus, hic nuntius tuus viua voce tibi indicare poterit, et tu ipse in litteris, quas duci, et exemplo litterarum, quas eidem episcopo misimus, pleniter cognoscere potes. Et tu quidem nimis simpliciter egisti, quod nos contra decreta nostra surgere, et sententiam nostram tam leuiter mutasse putasti, qui ea omnia, que inter te et illum in lite sunt, usque ad futuram synodum et totius dissensionis vestre discussionem tuis possessionibus decreuisse presens intellexeras. Nunc igitur apostolica auctoritate iussus atque suffultus castrum, et si que alia prefatus episcopus tibi abstulit, sine mora repetas. Illum namque admonuimus, firmiterque tibi ea omnia sine contradictione reddere precepimus. Ducem vero rogauimus, ut, si episcopus nobis non obediret, eum de castro expelleret, et restitutis tibi omnibus pro amore Dei et bono ecclesie, cui prees, Deo adiuuante defenderet. Hoc indubitanter scias, quia neque in hac neque in alia re ad defensionem iustitie tue apostolica tibi providente Deo sollicitudo deerit vel auctoritas. Omnipotens Deus in tua sacerdotali vigilantia et officio gratum tibi sacrificium, et tibi statuat eterne felicitatis premium. Data Rome decimo Kalendas Octobris, indictione XIII.

Harduin. l. c. pag. 1266. — Coleti l. c. — Dobner Ann. V. 442.

CLXXVIII.

Gregorius papa VII. auctoritate synodi Romanae definitivam fert sententiam in lite ***Pragensis*** *et* ***Moraviensis*** *episcoporum de praediis* ***Moravicis*** *controversis.* ***Dt. Romae VI. Nonas Martii,*** **1075.**

Gregorius episcopus, seruus seruorum Dei. Quoniam ad memoriam semperque dilucidandam causarum negotiorumque veritatem nihil aptius, nihil durabilius quam scripturarum paginas estimamus, qualiter lis et discordia, que inter confratres nostros, videlicet ***Joannem, Moraviensem episcopum,*** *et* ***Gebeoardum Pragensem*** de quibusdam decimis et curtibus diu protracta est, tandem per pactionis conuenientiam in apostolica sede determinata sit, per litteras nostras modo presentibus, sed et futuris notum fieri volumus. Hec enim causa, cum in secundo pontificatus nostri anno residentibus una nobiscum in basilica saluatoris multis fratribus, conuocatis etiam et coram positis supradictis episcopis, ad audientiam nostram et totius ibidem congregati concilii perlata sit, diu et multum inquisita atque rimata, tanta ambiguitate et perplexionibus inuoluta uidebatur, ut ad sinceram veritatis et iustitie explorationem per ea, que tum adhibita sunt iudicia, perduci non posset. Verum ne illorum altercatio absque pacis interuentu diutius aut fraterna odia, aut aliqua periculosa hinc vel illinc studia accenderet, cum consilio fratrum nostrorum causam ita ex equo dirimi constituimus, ut omnia, de quibus inter eos contentio foret, per medium diuiderentur, et hic unam, ille alteram partem interim absque omni inquietudine tenerent, donec si apertiora iudicia siue scripto, aut congruis testibus inuenire possent, diligentissime inuestigarent. Ad quod faciendum, ne forte suscitande litis infinita alterutri daretur occasio, terminum quoque eis decem annorum prefiximus, ut, qui certis approbationibus ad iusticiam se pertingere posse confidit, intra prelibatum terminum proclamandi et consequendi ius ecclesie sue licentiam et potestatem habeat; et si alterum horum vel utrosque, quod non optamus, interim obire contigerit, successores eorum in eadem pactione et constitutione permanere debeant. Ex ea autem parte, qua prefatus terminus aut sub silentio, aut non ostensa veritatis et iusticie, propter quam clamat, approbatione transductus fuerit, nullus deinceps locus, nulla acclamandi occasio, aut super hoc renouande questionis licentia supersit. Hoc igitur modo prenominatos episcopos, in nostra presentia pacificatos, et prescripte diffinitioni gratum, ut uidebatur, adhibentes assensum, ad propria cum apostolica benedictione et fraterna caritate dimisimus. Hoc ab omnibus inuiolatum et perpetuo inconcussum fore, apostolica auctoritate precipimus et sancimus. Data Rome sexto Nonas Martii, indictione decima tertia.

Harduin. l. c. pag. 1302. — Coleti l. c. — Dobner Ann. V. 448.

CLXXIX.

Gregorius papa VII. Wratislaw, ducem Boemiae, hortatur, ut studeat pacem inter Pragensem et Moraviensem episcopos conservare. Dt. Romae XVIII. Kalendas Maji, 1075.

Gregorius episcopus, seruus seruorum Dei, *Wratislao, Boemorum duci,* salutem et apostolicam benedictionem. Fridericus, nepos vester, et Romane ecclesie fidelis, nos humilibus precibus flagitauit, quatenus tue nobilitatis prudentiam rogaremus, ut beneficium, quod sibi pater suus reliquit, eum permitteretis habere et in omni pacis quietudine possidere. Cuius supplicibus orationibus flexi nobilitatis vestre serenitatem obnixe rogamus, ut, si scitis eum habere iustitiam, tum quia os tuum et caro est, ductus propinquitate sanguinis, tum quia ad refugium apostolice miserationis confugit, aut beneficium illud sibi reddatis, aut contracambium tribuatis, quod sit acceptabile, et tui condecet generis dignitatem. Quod si iustitiam non videtur habere, rogamus tamen, ut in caritate et reuerentia beati Petri, apostolorum principis, cuius presidia humiliter postulauit, aliquod sibi beneficium, quo possit honeste viuere, tribuatis. Non pigeat itaque nobilitatem tuam, in hoc nostras preces audire, beatumque Petrum in hoc tibi debitorem facere, quoniam nos parati sumus fauere tibi, in quibus possumus, iustitia duce. Preterea monemus, ut studeatis terram vestram et vestri honoris regimen firmissime pacis federe undique premunire, scilicet ut nullius litis scandalum in tuo regimine versari permittas, precipue *inter te et fratres tuos, et Pragensem et Holomucensem episcopum,* quoniam, sicut qui discordie et litibus vacant, procul dubio diaboli sunt filii, sic qui paci dant operam, filii Dei vocantur, ipsa veritate attestante, que ait: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Omnipotens Deus mentem tuam illuminet, sicque te faciat per bona transire temporalia, ut merearis adipisci eterna. Data Rome decimo octauo Kalendas Maii.

Harduin. l. c. p. 1316. — Coleti l. c. — Dobner Annal. V. 450.

CLXXX.

Gregorius papa VII. nobilibus et populo Boemiae literas commonentes ad Dei amorem, castitatem et decimas praestandas scribit. Dt. Romae XVII. Kalendas Maji, **1075.**

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, universis in Bohemia constitutis maioribus atque minoribus salutem et apostolicam benedictionem. Ex consideratione sedis, cuius licet indigni administrationem gerimus, debitores, sicut scitis, sumus fidelibus et infidelibus; fidelibus, ut quod bene proponunt, preseveranter teneant; infidelibus, ut ad creatorem suum credendo, et preterita facinora puniendo convertantur. Unde, quia relatione episcoporum patrie vestre limina apostolorum visitantium accepimus, quosdam vestrum per viam mandatorum Dei incedere, quosdam vero nonnullis periculis male vivendo subiacere, studuimus vos paterna caritate commonere, quatenus boni meliores fiant, et qui reprehensibiliter vivunt, irreprehensibiles se exhibeant. Primum scilicet vos ex toto corde et ex tota anima et ex omni virtute vestra Deum et proximum sicut vosmetipsos diligere, pacem, sine qua nemo Deum videbit, inter vos constituere, non solum clericos, sed et laicos castitatem servare, decimas Deo, a quo tam vitam, quam vite sustentationem suscipitis, fideliter dare, ecclesiis vestris debitum honorem impendere, eleemosynis atque hospitalitati devote insistere. Hec et his similia, que ad salutem animarum vestrarum pertinent, licet pontifices vestros sufficienter scire ac vobis insinuare non ignoremus, tamen quia verba nostra ex reverentia beati Petri constat vos carius atque avidius recipere, ipsa vestra audiendi aviditas, que ab aliis dari possunt, nos documenta dare compellit, ut tanto solicitius vobis debitum reddamus exhortationis, quanto beatum Petrum in eadem nostra exhortatione devotius attenditis. Vos igitur dilectissimi carnalia desideria fugite, ad celestia et semper duratura patrie celestis gaudia mentes erigite, beatum Petrum, cui a Deo potestas principaliter et in terra ligandi atque solvendi data est, devotissimi servitii fidelitate debitorem facite: quatenus post dissolutionem terrene habitationis vestre, cui quotidie volentes nolentesque propinquatis, nec multo post in vermes et cinerem redigendi, eius prestantissimum ante districtum iudicem patrocinium sentiatis. Data Rome decimo septimo Kalendas Maii, indictione decima tertia.

Balbinus Miscell. dec. I. lib. 8 pag. 2. — **Colcti** l. c. —

CLXXXI.

Sigefridus, archiepiscopus Moguntinus, suffraganeis suis mandatum apostolicum de continentia sacerdotum publicat cc. **1075.**

Sigefridus, Moguntinus archiepiscopus, episcopis et aliis ecclesiarum prelatis in provincia sua constitutis, salutem in eo, sine quo salus esse non potest. Placuit domino pape, ut mitteret quosdam de curia pro reformando ecclesiarum statu, et maxime manifesta cohabitatione mulierum clericis prohibenda. Illi autem diligenter executi, quod eis iniunctum fuerat, quibusdam per suspensionem, aliis per excommunicationem preceperunt, ut concubinas dimitterent, et ulterius non admitterent, sed parum in aliquibus profecerunt. Nos igitur uidentes, quod occasione huius mandati facti sunt plurimi transgressores, scandalumque, quod exinde ortum est et infamiam clericorum, que secuta est, significauimus domino pape. Unde ipse nobis dedit in mandatis, ut quia multitudo est in causa, propter quam detrahendum est seueritati, talibus misericorditer consulamus. Inde est, quod mandamus vobis, qui subditos habetis, ut quemcunque inueneritis cautilitantem conscientiam, eo quod tali uitio laborauerit, et concubinas a se non remouerit, eum ad nostram presentiam transmittatis, ne indigne accedens ad altare Dei iudicium sibi manducet et bibat. Indicimus enim, sicut nobis iniunctum est, cum tali auctoritate apostolica dispensare.

Concilia Germ. III. pag. 175.

CLXXXII.

Otto, dux Olomucensis, et Euphemia conjux ejus fundant et largissime dotant monasterium Gradicense s. Stephani juxta Olomucium, ordinis s. Benedicti. Dt. III. Nonas Februarii, 1078.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. *Otto Dei gratia id. quod est.* Prudentia antiquorum sapientum et consuetudo obtinuit. ut si quisquam cuiuslibet persone in propria patria quid stabilire uelit quidue stabile fore decreuerit. id sub principum et episcoporum atque abbatum omniumque comitum ceterorumque testimonio debeat memorie commendare. et sub huiusmodi cirographo. Quam consuetudinem rationabilem considerans ego dux Otto hoc scriptum fieri postulaui ad recordationem et confirmationem presentis temporis et futuri. Omnibus ergo christianis presentibus. absentibus et futuris notum esse desidero. quod ego pro eterne retributionis munere cum mea mihi grata coniuge. *Erffemia* nomine. monasterium Domino cooperante construxi in honore saluatoris domini nostri Jesu Christi. et sancti protomartyris *Stephani. situm prope urbem Olomucensem*. secundum prefatam consuetudinem. idque utrique dotauimus iuxta nostrum posse. ego ex mea possessione. ipsa vero ex propria dote agris. pascuis. pratis. siluis. aratoribus. uinitoribus. bubus. ouibus. porcis. iumentis. et ceteris subsequentibus necessariis. Hec sunt autem nomina uillarum. quas dedimus sancto Stephano in obsequium ibi Deo seruientium fratrum. Prima que cognominatur *Kisselouici.* secunda *Rochchin.* tertia *Haychin.* quarta *Uyezd Lasene.* que terminatur riuulo *Lodynicha.* Preterea data est curia que nominatur *Vzobren.* cum sibi adiacentibus uillis sub omni tributo et consuetudine sicut antea soluebat sue domine. Data est silua que vocatur *Lubozka.* Datus est etiam in *Olzaua* sextus denarius. et de ponte *Bracizlaue* ciuitatis sextus denarius. De uia vero que ducit ad Poloniam iuxta ciuitatem *Gradech* sextus denarius. et de moneta decimus denarius. Data sunt et duo uiuaria piscium. nomen unius Wydoma et nomen alterius Tekalech. De familia vero Suda cum filio. Tessata cum filio. Milei cum filiis. Krisan cum filio. Busen cum tribus filiis. Miros cum fratre Ostoi. Duo molentes. duo pistores. duo coci. duo stubarum calefactores. duo fabri. duo sutores. duo scutellarum et ciffonum artifices. duo figuli. duo apiarii. Et hoc sciendum est quod ex hiis. quos enumerauimus. alii serui. alii sunt precio introducendi. Quatuor piscatores. septem aratra cum aratoribus. hii omnino introducendi sunt precio. et pro capite singulorum dandum est precium trecentorum denariorum ea conditione. ut si aliquando velit aliquis eorum de seruitute exire reddat precium. quod datum est pro se. et alius ex eo precio introducatur eodem ordine. Date sunt et decem uacce cum bubulco. centum porci cum subulco. ducente oues cum duobus opilionibus et filiis eorum. quatuor uinitores cum filiis suis. quadraginta eque cum emissariis et cum duobus agazonibus. Quod uero remanet in potestate uxoris mee Evffemie in omni substantia et suppellectili et ex sua dote sic vult diuidere: Si fuerit ei filius cum filia que nunc est *Boguzlaua* nomine. post mortem eius mediam partem diuidant inter se. altera uero pars fiat sancto Stephano pro remedio anime sue. si autem filius deerit. quando Boguzlaua uiro tradita fuerit. cum armentis et ouibus et ceteris animalibus eorumque pastoribus et cum uinitoribus et aratoribus et reliquis uariis opibus habeat totum sanctus Stephanus. Vt autem mee concessionis donum sequenti euo permaneat inconuulsum, nominatim attestari feci testimonio aliquorum: *Wratizlao duce. Johanne episcopo. Abbatibus Maynardo. Vito. Capellanis Zuatoboro. Benedicto. Petro. Benedicto. Comitibus Zmilo. Preda. Milota. Bozeporo* et aliorum. quorum nomina commemorare longum est. Istis autem testibus de prenominata facultate testimonium perhibentibus si quis aliquid subtrahere presumpserit. sit anathematizatus Dei omnipotentis anathemate. et sancti protomartyris Stephani et Johannis episcopi eiusdem ecclesie dedicatoris excommunicatione. Data sunt hec anno incarnationis dominice millesimo septuagesimo octauo. epactarum IIII. concurrente VII. indictione I. Hoc autem priuilegium *Johanni primo eiusdem loci abbati* datum est III. nonas Februarii in consecratione ecclesie. amen.

E codice sec. XIII. monasterii Gradicen. descripsit **Friebek.** — Excusum apud **Piter** in Thesauro p. 184. — **Dobner** Annal. V. 473.

CLXXXIII.

Wratislaw, dux Boemorum, confirmat et auget fundationem monasterii s. Stephani Gradicensis. Dt. Nonis Februarii. 1078.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis, patris et filii et spiritus sancti. Gratia Dei dux Boemorum *Wratizlaus* omnibus in Christo fidelibus tam presentibus quam futuris pax. charitas et salus a Deo patre omnipotente et domino Jesu Christo filio eius. et spiritu sancto in perpetuum multipliciter. Promulgandum totius christiane religionis etati in commune omnium notitie tradimus. et ut quod nostris actum sit temporibus non lateat. litteris memorie commendamus. Rogante itaque *Ottone* nostro uidelicet fratre carissimo proprioque germano. Morauie prouincie principe. nos ut eius quam in honore Christi et beati protomartiris Stephani erexerat. dedicationi interessemus ecclesie in suburbio Olomucensis ciuitatis. consensum prebuimus. ibique cum summa fraternitatis diligentia honorifice suscepti et habiti sumus. Vnde eius annuentes precibus per hanc. quam a Deo nobis prouectioris etatis et dignitatis hereditarie datam possidemus potestatem. dominii nostri decreto confirmationem abbatie in iam prefata ecclesia. quam ut diximus ipse tam proprio pro remedio anime. quam coniugis sue dilecte *Euffemie* nominate. construxerat. rebusque optime ex propriis ditauerat. statuimus. Quapropter coram Deo uiuo sub testimonio totius Christi ecclesie. cum ipsius episcopo prouincie Johanne dicto. placita obclusione per apostolici iuris sibi attinentem dignitatem. et tam clericis quam laicis fauentibus. per hunc nostrum principalem tenorem obtestamur omnes nostros successores uel terre primates et vniuersum populum nunc et in posteris retro temporibus nostro principatui subiacentem. nulli eorum quoque modo licere hec. que a nobis sanctione sancte ecclesie concessa sunt. refringere uel in quoquam conuelli. Si quis autem temerator huius rei aut contemptor exstiterit. eternis condempnationibus subiaceat innodatus. et sanctos Dei. quorum reliquie ibidem requiescunt. sibi in presenti et futura uita sciat contrarios. et in inferno inferiori condempnatus suam cum Juda proditore portionem defleat perpetuo. Huius quoque propositi nostri modum supra sanctum dicti ecclesie altare manu scriptum posuimus. spondentes. quod ipsius fraternitate poscente promisimus. cuncta inibi pertinentia sue coniugi et soboli inuiolabiliter perpetuo possidenda seruare. Nos autem ecclesie quantum ex nostra parte addimus uillam. que vocatur *Vyeztes* tria aratra cum aratoribus duobus. decem equos. Rei autem gratia obfirmantes testes adnotauimus. quorum nomina sunt hec: *Suatobor Brunensis. abbas Maynardus. et Vitus abbas. Benedictus. Petrus. Benedictus. Zmil. Preda. Milota. Bozepor* et alii. commemorare nomina quorum longum est. Hec charta scripta est anno dominice incarnationis millesimo septuagesimo octauo. Nonas Februarii.

Ex eodem codice sec. XIII. monast. Gradic. descripsit Friebek. — Excusum dedit Piter in Thesauro p. 186. — Dobner Annal. V. 475.

CLXXXIV.

Mířeta, miles Conradi, ducis Moraviensis, tradit monasterio Raygradensi haereditatem suam in Domašow. **1078.**

In nomine domini Jesu Christi. amen. Ego *Myreta miles illustris Chuonradi ducis Morauiensis* habens pre oculis uite future interminata gaudia. quorum piis operibus in presenti uita participium preparare oportet. contuli pro anima mea ecclesie sancti *Petri in Raygrad* et fratribus in ea domino iugiter famulantibus terram hereditatis mee in *Domasoue* ad duo aratra. Dedi de familia mea seruientes Siffrid cum filio. Gneuon filium Iurate. Lub. cum Zuoy sororino. Et hec traditio facta est in manus *Maynhardi uenerabilis abbatis de Brevnov in ipso cenobio Raygrad.* Sit misericors Deus Myrate retributor benignus. Amen.

E copia sec. XIV. archivi archiepiscop. Olomucii.

CLXXXV.

Otto, dux Olomucensis, confert fundato a se monasterio s. Stephani *Gradicensi* ecclesiam *s. Mauritii,* sitam in ciuitate Olomuc, cum dote sua antiqua et attinentiis.

Ex Hildegardi Gradic. chronico Ms. ad annum. — Item Wekebrod Kirchengeschichte pag. 115.

CLXXXVI.

Wratislaw, dux Boemorum, a Gregorio papa VII. concessionem *ritus Slavici* in sacris expetit. 1079.

Ad has literas fere omnes patrii scriptores provocant.

CLXXXVII.

Gregorius papa VII. ritum Slavicum in sacris a Wratislaw, duce Boemiae, expetitum denegat et interdicit. Dt. Romae IV. Nonas Januarii, 1080.

Gregorius, seruus seruorum Dei, Wratislao, Bohemorum duci, salutem et apostolicam benedictionem. Huiusmodi salutationis nostre consuetudinem, scilicet apostolice benedictionis, eam tibi mittentes non sine hesitatione modo seruauimus, propterea quod videris excommunicatis ipse communicare, quicunque nimirum bona ecclesiarum inuadunt, id est sine certa licentia episcoporum vel abbatum diripiunt, vel ab aliqua persona accipiunt, non solum ab apostolica sede hoc tempore, verum etiam a multis sanctis patribus, sicut in scripturis eorum reperimus. Verum utcunque se res habeat, saluti tue interne prouidere non modo ex antiqua tui dilectione mouemur, verum etiam ex suscepti honoris immo laboris intuitu profecto compellimur, eo magis, quod multorum profectui tua sublimitas esse potest exemplum. Neque enim tibi relinquitur dicere vel cogitare: Meum non est alienam vitam vel mores in spiritualibus exquirere sive distringere: procul dubio namque tantorum reus existis, quantorum vias ab interitus precipitio poteras volens reflectere. Illud quoque vigili mente pertractes oportet, ne honorem tuum diuino honori, siue pecuniam preponas iustitie, neu, quod in te cinerem a subdito tibi consimili fieri non sine graui animaduersione patereris, in creatorem tuum et omnium presumi equanimiter feras. Indubitanter etenim non Dei, sed diaboli membra et falsi christiani conuincuntur, qui suas iniurias persequuntur usque ad sanguinem, et Dei contumelias negligunt usque ad obliuionem. Divitias autem potentia tua quas habet, non ob meritum datas, sed ob solicitudinem putare debet sibi commissas. Denique non tantum secularibus oneri videtur inopia, quantum spirituales viros gravant divitie, simul etiam diffusa potestas. Perpendunt quippe, si ille, cui una ovis sub necis sue conditione committitur, non solum centum eodem pacto non cuperet accipere, verum etiam illa, ne aliquo casu dispereat, haud sine timore solicitus est obseruare, quod sibi tanto sit irremissius vigilandum, magisque timendum quanto super plures curam, seu potestatem acceperit. His ita perspectis ad maiorem te mentis vigilantiam presentis seculi fugacitas inuitat; et cum illud, quod in hac luce magis diligitur, vita scilicet presens, ad occasum furtim festinet, profecto quo magis ad districti examinis diem propinquas, eo amplius ad eterna premeditanda et adipiscenda te sana ratio invitat. Hec itaque nostra monita sive mandata volumus, immo iubemus, ut ante sue mentis oculos excellentia tua sepius ponat, et crebrius legendo, audiendo meditetur, non quod elegantius scripta nequeas in sanctorum paginis invenire, sed quia hec ad te specialiter ex nobis, immo ex beato Petro missa sunt, et ista frequentius recogitando poteris Deo propitiatore ad potiora cognoscenda exsurgere. Quia vero nobilitas tua postulavit, quo secundum Sclavonicam linguam apud vos divinum celebrari annueremus officium, scias nos huic petitioni tue nequaquam posse favere. Ex hoc nempe sepe volventibus liquet, non immerito sacram scripturam omnipotenti Deo placuisse quibusdam locis esse occultam, ne, si ad liquidum cunctis pateret, forte vilesceret, et subiaceret despectui, aut prave intellecta a mediocribus in errorem induceret. Neque enim ad excusationem iuvat, quod quidam religiosi viri hoc, quod simpliciter populus querit, patienter tulerunt, seu incorrectum dimiserunt: cum primitiva ecclesia multa dissimulaverit, que a sanctis patribus postmodum firmata christianitate, et religione crescente subtili examinatione correcta sunt. Unde ne id fiat, quod a vestris imprudenter exposcitur, auctoritate beati Petri inhibemus, teque ad honorem omnipotentis Dei huic vane temeritati viribus totis resistere precipimus. De legato autem nostro, quem mitti ad se tua devotio exposcit: Noveris item nos preces tuas ad presens commode efficere minime potuisse, tamen in hoc anno divina favente clementia tales procurabimus invenire personas, que et negotiis vestris valeant utiliter deputari, et necessitudines vestras plenius cognoscentes ad notitiam nostram deducere. Ut ergo tute possimus ad vos legatos nostros dirigere, necesse arbitramur et volumus, ut filium nostrum Fridericum, et hunc Felicem ad nos iterum studeas aut horum alterum mittere, quatenus ita possint, quo destinabimus, secure venire. Data Rome quarto nonas Januarii, indictione tertia.

Harduini Acta concil. T. VI. p. 1434. ex regesto Gregorii VII.— Dobner Annal. V. pag. 482.

CLXXXVIII.

Cuonradus, dux Brunensis, iura *„supanorum“* (nobilium) provincie *Brunensis et Znoimensis* stabilit.

Hildegardi Gradicensis chronicon Ms. ad annum. — Quorum jurium tenorem invenies in diplomatibus Otakari I., regis Boemiae, sub annis 1222 et 1229.

CLXXXIX.

Otto, dux Olomucensis, ecclesiam s. Petri Brunae . . . quibusdam . . . donat. 1084.

Ego Otto, Dei miserante gratia *dux Olomucensis,* omnibus Christi fidelibus tam presentis quam subsequentis eui in perpetuum. Pium sane est et salutiferum, quatinus de habundanti rerum possessione, quibus in uitam actiuam ingressos benignissimi Dei potentia locupletatos effecit, dum eternam ingredi modo necessum uident, portionem redditum in laudem et honorem summi elargitoris reddant, ut sic gaudia celestis uite, orationibus uiuentium et fructum percipientium adiuti, perfrui mereantur in eternum. Contuli igitur *Z. preposito ecclesie sancti Petri in Brenna* de portione hereditatis . . . .

Fragmentum literar. in codice Ms. sec. XIV. monasterii Tischnovicensis.

CXC.

Epistola Wilhelmi, regis Angliae, in qua fit mentio Wratislaw, ducis Boemiae, cc. 1084.

Henrico imperatori W. Dei gracia rex Anglorum intimo suo dileccionem et ueram amiciciam. De prosperitate atque de liberacione tua scias me gaudere et de aduersitate, quod absit, sicut me ipsum dolere. Audiui a legatis meis atque tuis et *duce Boemiensi,* te in exercitum iturum super inimicos tuos ad presens. Gaudeo plane, quia multos tecum ituros de fidelibus tuis audiui, ita quod facillime poteris eos deuincere Deo auxiliante; modo suggero prudencie tue, si hoc Deus annuerit, quod adimplere possis, quod uelis, uidelicet de exercitu nullo modo dimittas in hoc anno, siue per bellum, siue per placitum, quod ad honorem tuum pertineat, ad finem quin perducas. Quodsi preualueris, scito reuera, maximum impedimentum tibi futuro anno ad hoc conficiendum. Et quando Domino adiuuante ad unguem perduxeris: nullum negocium incipias huius modi, donec super Rudbertum exercitum tuum dirigas, et ego et tu simul loquamur, et habilem locum inueniamus. Uale in Domino et bene agas in seculo, prospera vtriusque uite percipias commoda et quicquid exoptatur in amicicia —

Apographum e codice Udalrici Ms. bibliothecae c. r. Vindobonensis (Jc. 45.) fol. 85. — in analectis Prof. Meinert.

CXCI.

Wratislaw, Boemiae rex, monasterium s. Laurentii Opatowicense, ordinis s. Benedicti fundat, et largis proventibus in Boemia et Moravia dotat.

1086.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego *Wratizlaus, rex Bohemie,* notum facio omnibus, quod mei primatis *Miculecz* cellam, in Gradecensi territorio sitam, Brevnovensi cenobio regulari obedientia subiectam, amodo per se subsistere, et abbatiam uocari et esse decernendo confirmo. Hanc itaque abbaciam prelationis honore sublimatam Andree, capellano nostro professione monacho, scientia literali erudito, preclaris moribus insignito, regendam assigno hoc indissolubili et inuiolabili pacto, ut tam ipse, quam sui successores nullam predicti cenobii personam, sed me meosque successores respiciant, episcopisque suis secundum instituta canonum obedientiam exhibeant. Sed quia quoque secularia considero esse mutabilia et omni modo transitoria, hec mihi inspirante Dei gratia pro incolumінate regnique mei stabilitate meorumque peccatorum remissione, nec non pro parentum meorum atque antecessorum eterna requie, fratribus meis, scilicet episcopo *Gebhardo, Ottone et Cunrado,* et omnibus Bohemie primatibus assistentibus, et communi fauore id ipsum laudantibus, predia et beneficia predicto monasterio sancti *Laurentii,* ipsius sancti ammonitione per reuelationem hoc sacrosancto iure habenda tribuo, ut hec non clericus, non laicus in proprios usus usurpare presumat, sed illa mea congregatio mihi perseuerans in Dei seruitio communiter possideat, et ex possessis communiter viuat. Predia quoque hec sunt: villam Ossicz cum omnibus seruitute mancipatis et vinea, duosque vinitores Seba et Raczen cum posteris suis obtuli. Sciendum quoque est, ut, si quis liber in eorum possessiones transierit, et predictas terras *Opatouicz,* Ossicz possederit, simili seruitute sit adstrictus, et seruilia opera impendat, et absque tributo regis permaneat. Alteram quoque villam Osticz dictam cum uniuersis hospitibus, villam quoque Wissoka dictam, villam quoque Briezi et siluam Drahune et fluuium, qui ipsam circumfluit, siluam et humulum, qui circa flumen Albeam reperitur, Prelusc villam cum hospitibus et humulum et quousque ipsius ville campi protenduntur. Villam quoque Sopercze et circuitionem silue, villam quoque Mokossin cum hospitibus, et villam inter Mokussin et Priluesc, *Opatouicz* dictam, Hilna quoque villam, que dicitur ad ecclesiam ob differentiam alterius ville eodem nomine dicte, et circuitionem silue iuxta eandem villam usque ad flumen Robuchin et usque ad siluam Vribate, et Zdezlai villas. *In Morauia in Brunensi prouincia: Opatow ad refocillationem fratrum, qui mittuntur ad colligenda fora in Vsoburno, Daleticz, Mutinka obtulit.* Hec sunt predia prefati cenobii. Predicte uero ville Opatouicz circuitus est a fluuio Labe usque ad Pirum, a Piro usque ad publicam viam, a publica via usque ad agros eiusdem ville. *Hec uero beneficia per omnes ciuitates Morauie nonum forum et nona septimana et certa collecta seu colligenda, scilicet in Olomuc, Preroue, Bracizlaue, Bruna, na Yuani, Strazince, na Praulouc tributum de ponte, sed non forum, Znoim nonum forum, nona quoque septimana, et de ponte na Hradku, simili modo Rokitnic forum tantum, Rosoczici tributum de via. In Ozlaua nona septimana, in qua eodem modo de ponte concedo domino abbati accipiendum, quod dux et episcopus accipit.* Homines quoque isti eorumque posteritas prefate congregationi debita seruitute seruiant: Posden pistor, Ztracz coquus, Crayata pistor et piscator, Necta sutor sotularium et frater suus Zemek, Premizl, Hostmil pellifices et alii multi diuersorum artificiorum serui. Hec igitur dona meo cenobio a me collata tam presentibus, quam posteris obseruanda nullum inueniant finem, Predictus Mikulecz in Wratislaw terram unius aratri Deo et sancto Laurentio, Tessen

(Telsny), prepositus Gradecensis, terram unius aratri obtulit in Placziz, Bolebudus (Boledadus) abbas dedit eidem monasterio terram Lubczas, Geso (Geto), capellanus meus abbas, Platimucz villam. Ego autem addo ad eandem villam aquam Trenyzam a Rostok usque Prachouicz. Wsebor quoque meus primas dedit eidem ecclesie villam Ludynge. Si quis igitur principum successorum meorum uel quelibet persona his prenominatis nostris institutis obuiauerit et donis, uel irrita fecerit, iram Dei omnipotentis incurrat, et eius calumpnia irritata permaneat. Ego Gebhardus, Dei gratia septimus sancte Pragensis ecclesie episcopus, bannum huic dono appono, ut, quicunque amodo siue princeps, siue episcopus, siue quelibet persona supradictam gloriosissimi regis Wratizlai suorumque primatum huius sancti pacti ordinationem ruperit donumque destruxerit, anathema sit, ut qui institutum ecclesie irritum fecerit, et in die iudicii faciem Domini non videat, cum Juda et Herode, cum dampnatis et reprobis in infernum cum diabolo et angelis eius perpetuo cruciandus descendat. Ut autem hec innouationis seu exampliationis nostre series sortiatur robur perpetue firmitatis, ipsam sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari.

Excusum e transumto Ferdinandi, nuncii apostolici, ab anno 1420. in archivo monialium Aulae s. Mariae Vetero — Brunae, in Piteri Thesauru p. 193. — Collatum cum apographo codicis seculi XIV. quondam in archivo monasterii Gradicensis ad Olomucium.

CXCII.

Henricus, Romanorum imperator, reunit episcopatum Moraviensem Pragensi descriptis latissime finibus dioecesis Moraviensis. Dt. Moguntiae III. Kalendas Maji, 1086.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. *Henricus* tertius, diuina fauente clementia Romanorum imperator augustus. Regio nomini et imperatorie dignitati congruere nouimus, ut ecclesiarum Dei utilitatibus ubique opitulantes damna et iniurias earum quacunque necesse fuerit propulsemus. Quapropter vniuersis Dei nostrique regni fidelibus tam futuris, quam presentibus notum esse volumus, qualiter fidelis noster Pragensis episcopus *Gebhardus* sepe confratribus suis et coepiscopis ceterisque principibus nostris ac nouissime nobis conquestus est, quod Pragensis episcopatus, qui ab initio per totum Boemie ac Morauie ducatum vnus et integer constitutus, et tam a papa Benedicto, quam a primo Ottone imperatore sic confirmatus est, postea antecessorum suorum consensu, sola dominantium potestate subinthronizato intra terminos eius nouo episcopo diuisus esset et imminutus. Qui cum Magontie coram legatis apostolice sedis presentibus nobis ac plerisque regni nostri optimatibus eandem querimoniam intulisset, ab archiepiscopis *Wezlon*e Magontino, *Sigeuino* Coloniensi, *Egilberto* Treueriensi, *Liemaro* Bremensi, ab episcopis quoque *Tiederico* Virdunensi, *Conrado* Traiectensi, *Odalrico* Eistetensi, *Ottone* Ratisponensi, cum assensu laicorum ducis Bohemorum *Wratislai* et fratris eius *Conradi*, ducis *Fridrici*, ducis *Lutoldi* palatini comitis *Rapotonis* et omnium, qui ibidem conuenerant, primitiua illa parochia cum omni terminorum suorum ambitu Pragensi sedi est adiudicata. Termini autem eius occidentem versus hii sunt: Tugast, que tendit ad medium fluminis Chub, Zelza, Zedlica, et Liusena et Dasena, Liutomerici, Lemuzi vsque ad mediam syluam, qua Bohemia limitatur. Deinde ad aquilonalem hii sunt termini: Psouane, Chrouati, et altera Chrouati, Zlasane Trebouane, Boborane, Dedosese vsque ad mediam syluam, qua Milcianorum occurrunt termini. *Inde ad orientem hos fluuios habet terminos: Bug scilicet et Zlir cum Kracouia ciuitate, prouinciaque, cui Wag nomen est, cum omnibus regionibus, ad predictam vrbem pertinentibus, que Krakow est. Inde Vngarorum limitibus additis vsque ad montes, quibus nomen est Tritri (Tatri) dilatata procedit. Deinde in ea parte, que meridiem respicit, addita regione Morauia vsque ad fluuium, cui nomen est Wag, et ad mediam syluam, cui nomen est Mudre (More), et eiusdem montis eadem parochia tendit, qua Bauaria limitatur.* Mediantibus itaque nobis et communi principum aspirante suffragio factum est, ut dux Bohemie *Wratislaus* et frater eius *Conradus* supradicto Pragensi episcopo fratri suo parochiam iudiciario ordine requisitam ex integro reprofiterentur et redderent. Proinde nos rogatu eiusdem episcopi rationabiliter inducti Pragensis episcopatus reintegrationem nostre imperialis auctoritatis edicto illi et successoribus eius confirmamus et stabilimus: inuiolabiliter decernentes, ne vlla posthac cuiuslibet conditionis persona, vel vlla societas hominum Pragensi ecclesie quicquam sui iuris in prenotatis terminis alienare presumat. Cuius reintegrationis et confirmationis auctoritas ut omni euo stabilis et inconuulsa permaneat, hanc cartam inde conscribi, quam, sicut infra apparet, manu propria laborantes impressione signi nostri iussimus insigniri. Data III. Kalendas Maii, anno ab incarnatione domini MLXXXVI. indictione IX. anno autem domini Henrici regni quidem XXXII. imperii vero III.

E Cosmae Pragensis chronico ad annum — in Scriptoribus rerum Bohem.

CXCIII.

Clemens papa Wratislaw, ducem Boemorum, monet de persolvendo censu s. Petri, commendat que quendam ad episcopatum (Moraviensem).

1086.

Clemens episcopus, seruus sernorum Dei, Wratislao, glorioso principi Boemorum, ac dilectissimo filio salutem et apostolicam benedictionem. Tuam dilectissime fili prudentiam credimus nosse, quantis dolis, quantis fraudibus adversarius noster diabolus humanum genus exagitet, quantis versutiis eam, quam inter angelos, et inter Deum, et primum hominem seminavit discordiam, cottidie inter christianos seminare laboret. Ut enim tibi veritatem fateamur, plurima iam sepius nobis de te sunt relata, que adversum dilectionem tuam animum nostrum, quod Deus avertat, incitarent. Sed ipse cordium inspector est testis, nolle nos super tua dignitate aliud, quam deceat, vel credere, vel audire, et quod in omnibus te et desideravimus et desideramus prosperari. Tuus tantum animus, unde dolemus, unde ingemiscimus, non ea se erga nos caritate, ea qua deceret devotione habere videtur, cum nescimus, quo nostro peccato, qua nostra erga tuam dilectionem offensione debitum beati Petri contra omnium predecessorum nostrorum religiosissimam institutionem et exhibitionem tanto tempore detinueris, et multotiens inde a nobis paterna affectione ammonitus vel nos vel nostra mandata parvi pendens prorsus neglexeris. Sed talia tibi forsan sunt relata; est enim hodie terra perversis delatoribus plena, que tue menti sinistram, ut videtur, de nobis iniecere suspicionem, et falsitati credulus tam inlicite retinendi inlicita qualemcunque adeptus es occasionem. Sed Deus novit, qualitercunque te erga nos habueris, nos semper te corde puro dilexisse, et tuam modis omnibus prosperitatem exoptasse. Aufer itaque dilectissime fili omnem de animo tuo, si qua est, contrarietatis rubiginem, et eam, quam nos erga te, tu quoque erga nos habeas dilectionis sinceritatem. Quia vero de sancte Romane ecclesie iniuria cum salute anime nostre silere non possumus, adhuc te paterne admonemus, rogamus etiam et obsecramus, charitative quoque consulimus, ne beati Petri debitam oblationem ulterius retineas, ne videlicet ipsam retinendo eius iram in te exasperes, sine quo aperiente nemo regnum valet intrare celorum. Sed sicut decet, debita eam reverentia dirige, ut ipsum tibi placatum valeas invenire. Preterea non credimus a tua excidisse memoria, quod dilectionem tuam et per literas, et per nuncium tuum plurimum postulavimus. Obnixe rogamus super quodam dilectissimo filio nostro, tibi equidem fidelissimo, et satis noto celsitudinem tuam interpellantes, ut in illa re, quam postulabamus, nostre voluntati assensum preberes. Sed nihil nobis de hac ipsa re postea, unde plurimum miramur, remandasti. Et ipse quidem iam magnifice, sicut dignus est, foret locatus, nisi hic fuisset exspectatione detentus, quo, Deus novit, fideliorem tibi non poteris invenire. Hoc autem tue sit notum dignitati, quod cum domino imperatore karissimo filio nostro de re ista nondum quicquam egimus, quoniam tue certitudinem voluntatis hactenus exspectavimus. De hoc vero certissimus existas, quodsi hoc unum nostri causa, nostro rogatu feceris, quicquid a nobis deinceps me et te dignum petieris, impetrabis. Quicquid igitur de hac re sedet tuo animo, utrum videlicet nostris tam dignis, quod non diffidimus, assentiaris petitionibus, nos quantocyus effice certos. Nolumus enim tantum virum, tam utilem ecclesiastico regimini tali amodo suspendio detineri. Novo quoque sigillo, utpote evidentiori, has literas idcirco insigniri precipimus, ut tua etiam dignitas evidentissimum tue concessionis signum aliquod videlicet admirationis novum in novo, quem petimus episcopo eligendo et constituendo mittere dignetur.

Pez Cod. dipl. pag. 286. — Dobner Ann. V. 524.

CXCIV.

Euphemia, ducissa Olomucensis, in remedium animae mariti sui Ottonis confert eleemosynam Gradicensi et Raygradensi monasteriis. Actum in monasterio Gradicensi. **1087.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. *Euffemia* Dei nutu *relicta Ottonis ducis Morauiensis* . . . . . considerans in dolore, luctu, suspiriis esse pia opera piasque preces uirorum Deo dicatorum leuamen cordi solamenque, intendens quoque pro seminatione momentaneorum in terris messi perfrui perpetuorum in celis has pias feci donationes et salutiferas ob remedium anime mariti mei charissimi, et sospitatem meam meorumque puerorum *Suatopluk, Ottik et Brachizlau* in manus uirorum religiosorum, ut diu noctuque incessanter orationibus suis misericordiam omnipotentis Dei efflagitent, quatinus requiei dilectissimi, mei Ottonis, salutique anime eius et nostre sospitati misericorditer prouidere dignaretur . . . Amen. Donationes sunt hee: Item *monasterio sancti Stephani in suburbio Olomucensi,* quod ambo deuotionis causa construximus et dotauimus, et fratribus inibidem degentibus contuli *in uilla mea iuxta Vsobren,* que nunc locatur, terram ad quatuor aratra cum ministerialibus Lutik cum filiis Janek et Zuest, Ladon cum filiis Vbicest et Ratimir, Lubgost cum filio Gostey, Olota cum filiis Ranos et Suatobor, Jarogneu cum filio Zmyl. Addidi etiam siluam spatiosam ipsi uille adiacentem cum omnibus prouentibus siue in agris locatis ibidem, siue in riuulis, siue mellificiis uel metallo existant. Siboto familiaris noster in uilla sua, quam locauit ibidem, dedit terram unius aratri cum ministeriali Suatobor et filium eius Jutros in remedium anime coniugis sue Bolemile. Item Preda miles noster dilectus dedit *V topolanech* de terra ad duo aratra cum ministerialibus Lubos, Quasik, Zmil et Nacegost. Dominus *Cunradus dux Morauiensis,* de cuius annuentia hec facta sunt, dedit duos mansos in *Brenne.* Item fratribus de *Raygrad* secus Brene contuli in manus Johannis professi eiusdem cenobii curiam in *Boyekouici* cum terra ad quinque aratra et dimidium cum seruitoribus et custode uaccarum;

et hec emeram a comite Myrota. Dominus Cunradus dux dedit curiam in *Raygrad* cum nemore et pratis super Suratka. Et hee deuotionis intuitu et in remedium anime felicis recordationis domini *Ottonis ducis de Olomuz* pie donationes facte sunt in presentia innumerabilis copie tam clericorum quam laycorum de terra nostra et de terra domini ducis Cunradi, fratris domini Ottonis, in die sepulture charissimi mariti mei, in monasterio s. Stephani et litteris mandate et scripte per manus Petri et Benes capellanorum domine Euffemie, sub sigillo quoque domini Cunradi partibus, quas contingunt, extradite. Orate, ut requiescat in pace. Amen. Amen.

E codice sec. XIII. monasterii Gradicensis descripsit Friebek.

CXCV.

Wratislaw, rex Boemiae, Wladislaw, Polonorum regi, rescribit, se ob regni negotia ac intranquillum statum ad convivium non venturum. **1087.**

Glorioso Poloniorum regi Vladislao tam venerando, quam desiderabili Wratislaus gratia Dei, quod est, dilectionem, quam pater unanimi filio, et orationis iuge sacrificium cum intima devotione et servitio. Si cardo rerum vestrarum sub pacis et tranquillitatis versatur iocunditate, nec malignantium improbitas obnubilat animi vestri serenitatem aliqua laesione, gaudemus cum amicis vestris omnibus, et si quid veri de nobis possumus promittere, specialiter etiam prae omnibus. Significatum est autem nobis per legationis vestrae dulcedinem, quasi dominus noster imperator commutasse videatur erga vos affectum animi sui et qualitatem, nec ea serenitate vos arrideat eius clementia, ut possitis sperare de eo consuetae gratiae et saluti viciniora. Hoc equidem ecce coram Deo nec scimus, nec ullo modo persentire possumus. Sed illud sub Christi testimonio liquido confirmamus: quia paucos, aut nullum habet in imperio, quem maiori respiciat gratia et dilectionis privilegio. Unde monemus vestram dilectionem, ut et vos parem ei referatis fidei et veritatis vicissitudinem, apud Deum et homines debitam conservetis ei perseverantiae stabilitatem. Quod autem invitastis nos ad solemne charitatis vestrae tripudium, attulit nobis cum summa gratiarum actione exultationem et gaudium. Sed non sunt ea tranquillitatis tempora, ut vel velint, vel possint nobis carere nostri regni negotia. Si vero visitaverit nos in pacis lenitate oriens ab alto, cum omni devotione veniemus ad vos sub obtentu vestri honoris et Dei servitio. Relatum est etiam nobis, quia colloquium habueritis cum seductoribus illis Saxonum non episcopis, sed vere apostatis, qui simulata pacis conditione conantur infigere aculeum durae deceptionis. Monemus itaque diligentiam vestram, ne in promissione eorum aliquam habeatis certitudinis fiduciam: quia summa amentia est, in eorum verbis spem habere, quorum perfidia totiens deceptus sis. Audivimus quoque, quia inter vos et fratrem vestrum episcopum sit aliqua dissensionis macula: et quantum iocunditatis priorum legatio, tantum tristitiae attulit huius amaritudinis infamia. Rogamus et obsecramus in domino Jesu, ut divino terrore, et nostra ammonitione sopiatur inter vos omne dissensionis scandalum, donec nos sequestra pace aliquod devotionis et studii adhibemus consilium. Faciat et perficiat Deus cepta sua, adaugeat et cumulet in vobis dona sua. Neque enim hoc perficere magnum est omnipotenti dexterae, quae supra, quam petimus aut intelligimus, potens est facere.

Pez Codex dipl. p. 296. — Dobner Ann. V. 527.

CXCVI.

Hartvigus, Magdeburgensis archiepiscopus, Wratislaw, duci Boemiae de acquisita regia dignitate gratulatur. 1087.

Domino Wratislao regi gloriosissimo armis et fide erga imperatorem nostrum, quodque his excellentius est, pietate erga Deum praestantissimo. Hartvigus Dei gratia Magadaburgensis archiepiscopus manu Domini auxiliari, et brachio eius confirmari. Ex quo primum virtutum tuarum notitia tanquam suavissimo odore afflati sumus, semper occasionem quarentes fuimus, qua studium nostrum erga tuum obsequium probaremus. Interim placuit Deo pro earundem virtutum merito adiutorium super potentem ponere, et electum de plebe sua exaltare, et nos revelata diuinitus nobis auricula cum Samuele implevimus cornu nostrum oleo exultationis ad ungendum electum Domini prae participibus suis. Parati quidem fuimus, sed cum non admissi, tractare supervacuum putavimus. Hoc autem pro certo sciat dignitas tua, quia non extremi sumus inter eos, qui fastigium virgae tuae honorant, et qui pro statu regni tui Deum assiduis precibus interpellant. Notum autem facimus excellentiae tuae, Benonem quondam Misinensem episcopum, sed in synodo Moguntina damnatum ad nos venisse, perhibentem se a domino papa reconciliatum esse, cuius verbis intendere indignum duximus, tum quia nullum certae reconciliationis signum a domino apostolico attulerit, tum propter felicem tuum, immo nostrum, qui eius sedi iam canonice successit. Et nunc audivimus eundem Benonem per suos fautores modis omnibus conari de improviso antiquae surrepere sedi. Quapropter tuae sit providentiae conatum eius anticipare, nec dare cornu peccatori, nec eo reprobato, qui ob gratiam tui est inthronizatus, qui iustis ex causis in Mogontina synodo est damnatus. Pistorem, super quo nos rogasti, misimus tibi cum instrumentis suis, et munusculis nostris, quae tuae dignitati quidem non sunt congrua, sed tamen secundum paupertatem nostram pensanda. De cetero pro salute tua et pro stabilitate regni tui levantes orationem ad Dominum dicimus assidue: Domine salvum fac regem, et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Pez Codex dipl. p. 289. — Dobner Ann. V. 535.

CXCVII.

Wratislaw, rex Boemiae, fundat et dotat largissime ecclesiam collegiatam Wissehradensem, cujus collationi etiam Wecel, episcopus Olomucensis, centum homines tributarios adjicit. 1088.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Notum sit cunctis sancte ecclesie filiis, eandem sanctam trinitatem confitentibus, presentibus scilicet quam futuris. Qualiter ego *Wratizlaus* dei gratia princeps et monarcha Boemorum, ob spem remunerationis eternorum premiorum, et ob indulgentiam et absolutionem in hāc vita omnium delictorum, quedam proprie ditionis predia, iure hereditario a fidelibus et nobilibus heredibus concambiata, et absque ullius contradictione taxato pretio in presentia multorum nobilium imo veridicorum testium a me coemta absque solii conterminio, cum omnibus ad hec pertinentibus mansis, cultiferis territoriis, exitibus et reditibus, vectigalibus, venationibus, piscationibus, portibus, saltibus, vineis, pratis, pascuis, cultis et incultis ad ecclesiam sanctorum apostolorum Petri et Pauli sanctique Clementis martyris atque pontificis in ciuitate *Wissegrad* constructam manu potestatiua in manus charissimi et familiaris mei Benedicti, eiusdem ecclesie defensoris et prepositi, voto, fide, maxima deuotione, spe vite eterne contradidi, et sigilli mei impressione insigniui. Hec autem prediorum atque villarum eiusdem ecclesie sunt nomina: Sitinicih tota villa cum vineis et pomeriis, cuius meta a fonte, qui exit de monte Cbin usque ad foralem viam cum vinitoribus VII Wissera, Straz, Martin, Zwaton, Zbil, Necta. Gig. Tinecz villa. Naurutici terra ad duo aratra. Nalessoue de terra nouem manses. Gozteni tota villa preter hospites abbatis breunouensis. Woykouici tota villa preter terram sancti Clementis de Opis. Gogolicih sex manses. Kohouicih de terra ad duo aratra cum coco nomine Koh. Wbelse. Sihlicih de terra ad duo aratra. In alia villa eodem nomine nuncupata terra ad aratrum cum vinitore. Coiaticih ab hospitibus per totam villam decima. Wbolezlauzce Vokouicih VII· manses de terra cum ministerialibus, quorum nomina sunt ista: Radon, Zbor. Cekouicih III manses de terra cum cocis. Bezne de terra ad tria aratra. Jazenice terra ad aratrum cum fabro. Badreh de terra VII manses cum vinitoribus, quorum nomina sunt ista: Radon, Nuzek, Casca, Lubgozt. Inter duo castra, scilicet Grudim et Wratizlau, Janisouicih tota villa. Gruzinauizi terra Hrbok ad duo aratra. Na Kacigore terra ad aratrum cum coco nomine Odol. Scitarih terra ad aratrum cum ministeriali uno nomine Radon. Na nezmine terra ad aratrum cum ministerialibus, quorum nomina sunt ista: Quek, Sobek. Woderadeh terra ad duo aratra cum ministerialibus aquariis, quorum nomina sunt ista: Sbima. Rogsicih terra ad aratrum et vinea cum vinitore Dobrota. In castro Kurim ministeriales qui dicuntur Luse, VI, quorum nomina sunt ista: Bogumil, Straz, Bosa, Tesen, Climata, Martin, ibidem pistor Juan. Hostici VIII manses cum IIII heredibus, quorum nomina sunt ista: Zdoben, Vasura, Slugach. Pzarih terra ad IV manses cum scutellariis IIII, quorum nomina sunt ista: Ratibor, Gostata, Sobata, Krizan. Lazenici terra ad V aratra cum scutellariis. Wirbcaz terra ad aratrum. Gradisci nouem manses cum piscatoribus, quorum nomina sunt ista: Crney, Groznata, Zobon, Premil, Rabec, Budka, Dobros, Bozteh. Naklku Rehen piscator. Bresaz VIII manses. Blagoticih terra ad aratrum cum ministeriali nomine Bisek. Hualan terra ad VI aratra. Dubci terra ad duo aratra cum duobus rusticis, quorum nomina sunt ista: Nezda, Martin. Canaticih terra ad aratrum cum figulo. Wrsovicih terra ad aratrum cum duobus seruis, quorum nomina sunt ista: Malisca cum fratre. Noztuleh, duo serui, quorum nomina sunt ista: Hrapa, Bogumil cum omnibus hortis. Bazci terra ad VII aratra cum duobus cocis, quorum nomina sunt ista: Tehan, Zuoybog. Lobeci terra ad III aratra et tribus piscatoribus, quorum nomina sunt ista: Tehan, Domagost, Vaurata. Na Gorunynce terra ad duo aratra cum piscatore Zbud. Drahlicih Hual pozidlnik cum terra ad aratrum. Kamenemozte terra ad tria aratra cum ministerialibus, quorum nomina sunt ista: Binka, Kuetica, Wrcka. Rasch terra ad aratrum cum ministeriali nomine Mares. Woyaca ministerialis cum terra ad aratrum. Potliscimi terra ad tria aratra cum vinitoribus: Pribisa, Quas, Wiwca. Knouizi XI manses de terra cum ministerialibus, qui vulgariter dicuntur Rudnici: Bicrisan, Ceca. Lubosine de terra sex manses cum vinitoribus Drh, Zbor, Zamen ibidem, Becuar Letona cum terra ad aratrum. Ugercih de terra III aratra cum vinitoribus Piuona, Plac. Degnicih de terra ad II aratra cum tornariis Bogdan, Premil. Knasawezi de terra ad II aratra cum ministerialibus, qui dicuntur Pomici: Hinek, Trebek. Lubucauez Nedan ablutor vestium. Modriluzeh terra ad duo aratra cum campanariis Glupen. Hoiata. Zabehlicih terra ad aratrum cum campanariis: Rasica, Hoten. Tinec terra ad aratrum cum campanariis Vtes cum filiis. Troc, Otrad, Nauoy. Wtetinsce, Nabrode de terra ad II aratra cum piscatoribus Kaka cum fratre. Obrini de terra ad duo aratra cum duobus picariis, qui dicuntur Pkelnici, Seb cum fratre. Ad custodiam, Ueriuic de terra VII manses. Letch de terra ad duo aratra cum campanariis Deca, Lubgost, Ratata. Suhomazleh de terra ad duo aratra cum campanariis Milon, Zlaua, Tronac. Suinarih terra ad aratrum cum porcario, qui slauice dicitur zuinar, nomine Uzdic. Na Zhoue V manses cum piscatoribus Gosce, Lethona, Milgost, Cestina. Plesiuec totus mons usque ad viam ibidem de terra ad duo aratra. Na Brode III manses cum piscatoribus Kata. Sub ipso monte Tetin stagnum, quod slauice dicitur Tona. Mocropzi duos manses cum piscatoribus Modlata, Suma. Nagouicih terra ad aratrum cum piscatoribus Sobata, Prizota cum fratribus. Na Golini terra ad aratrum cum custode ecclesie Cila. Comoraz terra ad aratrum cum piscatore nomine Milka. Branice III manses cum ministerialibus Hual, Ses cum fratribus, Zlusak cum fratribus. Ninonicih terra ad aratrum cum caliciariis, qui slauice dicuntur Casnici. Lubos, Benik, Kayek. Ibidem terra Kolue ad aratrum. Butouicih terra ad aratrum cum caliciario Milon. Na Letni II mansos cum campanariis: Scepan, Wlk. Bubneh VI manses cum custodibus ecclesie Milgost, Luba, Sara, Rados, Janis. In prouincia Boizez Suticih II manses cum plaustrificibus Hostes, Radon. Rastileh V manses cum ministerialibus Duda, Nadey, Mirata, Boza, Gosc. In prouincia Satec Mezica Koselug cum filiis Goten, Zeu, Trebata, Casnik. Modlata ferrarius cum filiis Hotaca. Vaceta, qui soluunt ferramenta quater in anno. Cloumazicih, Pkelnic cum terra ad aratrum. Ugoscas terra ad aratrum cum ministeriali nomine Hualata. Trinouac terra ad aratrum cum piscatore nomine Bozek et filio Budek. In Pragensi suburbio Na Zatone: Quas cum filiis Casca, Bogdal, Ymram. W traunice custodes Kohaca, Bogdal, Dedumil, Kueten. Campanarii Maliska, Lutos, Domamir faber, Odolen caldarius. Custodes Radouan, Zbor, Petrata, Milouy. Sutores Vit, Kraik menci. Celal. Cervisiarii: Sobik, Sesur, Caston. Bucularii Malisa, Zkorac, Drizeci, Zlauic, Ztraneg, Scoroska, Modlibog, Bezded, Bozeta. Fabri Macek, Krec, Waurik, Bogumil. Pistores Radouan, Palicka, Groznata, Bisek, Nesata, Piuona, Wratizir, Rak. Siluas etiam addidi Lubica, Bazci, Resetarih, Chuoyne usque ad viam, et portus tres Na Otauic, Gogolicih, Lunih. Decimam marcam de tributo per totam Bohemiam, etiam Zedlcih, Budisine decima urna. Ultra montem Osec. Decima urna de melle in omni iusticia. Messariorum decima. De salutationibus decima. De pellibus caprinis decima. De porcariis decima. De ceruisiariis decima. Decimus messor, decimus feniseca. In prouincia Wltauensi decimus denarius de venditione. Prahaticih uia in omni iustitia. A villico Pragense de venditione decimus denarius. In prouincia Tetinensi de venditione decimus denarius. In prouincia Kamencensi de venditione decimus denarius. In via Golotilensi de telonio octauus denarius. Na Treztenici de decem lapidibus salis duo lapides, decimus panis, piscis secundus. De omni iustitia partem. Decimo de omulo per totam terram, que pertinet ad ducem. Tertia urna de apibus ductricis ultra montem Ozec. De uno quoque castro ab auia mensale unum, et manuterium unum omni anno. A uillico Pragense de messoribus Netolicensibus et Dudlebensibus preposito decima ouis. In festo Pentecosten ancilla siue sexingenti. In festo sancti Benedicti bos. In festo sanctorum martyrum Georgii et Adalberti bos. In festo sancti Wenceziai ab agazone poledrum. De auena XV modii, de frumento XIX modii, a cellario de melle XVII urne. Zagradnego XVI okou. Super hoc autem *Pragensis* episcopus ducentos homines, et *Olomucensis vero centum* in decima fratribus regis presentibus *Conrado* videlicet et *Otone* eidem ecclesie perpetuo iure deuouerunt. Ut autem dotis ordinatio competentius rata servaretur, equum duxi, fratribus meis prefatis laudabiliter assentientibus, ceterisque tam Bohemie quam *Morauie* principibus, suprамemoratum templum beati Petri principis apostolorum cunctisque sue cathedre successoribus patrocinio muniminique commendare. Propter quod etiam de eadem ecclesia XII marcas singulis annis ad pedes uniuersalis pape a Pascha usque ad ascensionem domini de moneta nostre prouincie statuimus offerendas. Ad huius ergo laudabilis nostri operis supra memorati confirmationem testimonium adhibuimus virorum venerabilium, domini videlicet *Johannis*, Tusculanensis episcopi et cardinalis. Domini etiam *Egilberti* Treuirensis archiepiscopi, a quo simul et unctionem regalis consecrationis accepi. Domini quoque Pragensis episcopi, videlicet *Jaromir;* et domini *Olomucensis episcopi Vecelonis;* et Misnensis episcopi, domini *Bennonis.* Qui authoritate Dei et beati Petri et Pauli principum apostolorum, et sanctorum martyrum Viti, Wenceziai atque Adalberti, nec non et omnium sanctorum iussuque apostolice sedis instructi sub anathematis vinculo quoslibet nostre institutionis quoque modo immutatores siue destructores forte emersuros cum ceteris membris diaboli innodatos dampnauerunt. Amen.

A D. Francisco Palacky desumtum ex autographo, cujus tria exemplaria in archivo Wisschradensi exstant. — Excusum dederunt: Pontanus in Bohemia pia p. 70. fragm. — Hammerschmid in Gloria Wisschr. p. 122; — Berghauer in Protom. Poenit p. 208; — Dobner Annal. IV. 541.

CXCVIII.

Soběn, castellanus Znoimensis confert ecclesiae s. Petri Brunae praedium quoddam „in Manizi“ juxta Brunam civitatem. Actum Brunae, 1088.

Ego *Soben miles castellanus de Znoim* confero inspiratione diuina prouocatus pro salute animarum omnium meorum presentium et futurorum ecclesie sancti *Petri in Brinne* terram ad tria aratra in *Manihi* secus prefatam ciuitatem cum rusticantibus per me pecunia mea redemptis Crina. Grid. Yban. Oley. et Kualata. Contoralis autem mea *Ztrezena* addidit ortulanum Zizna cum orto locando ibidem. Collatio autem hec ordinata est laudante illustri duce meo *Chuonrado* et firmante uenerabili sancte Morauiensis ecclesie episcopo *Veczel.* Actum in *Brinne* coram dominis prefatis adstantibus etiam Heinrico canonico de Olomuc. *Johanne preposito s. Petri in Raygrade.* Treba comite. Zlaua. Mirolub. Kruuoy. Myrota. Zuda. Mizley. Obran. et aliis. Tradita uero sunt in manus *prepositi* eiusdem sancte ecclesie ylariter. amen.

E codice sec. XIV. Ms. quondam monasterii Tischnovic. fol. LXXI.

CXCIX.

Fraternitas quaedam s. Jacobi (monasterii Scotorum Ratisbonae) pollicetur pro defuncto (Boleslaw, duce Olomucensi,) filio regis Wratislaw orationum suffragia. 1089.

Christiane pacis amatori clarissimo W. humillima fraternitas, sub levi iugo Christi infra ecclesiam sancti Jacobi militans, propriam ac devotam orationem, simulque eterni regni participationem. Cupientes per Christi vestigia incedere, cuius vinculis vocatione nostra obligati sumus, cuius precepta sequentes etiam orare pro inimicis conamur, que tamen teste Deo maxime pro vobis solventes die noctuque pro corporis vestri sanitate, atque stabilitate regni vestri, et maxime incolumitate anime Deo omnipotenti supplicare nitimur. Dilectum vero filium vestrum, qui nuper peregrinosam vitam iusto Dei iudicio transmutavit in eternum, quomodo illum a paterna caritate vestra, que inter vos apud Deum in sempiternum servabitur, separare possumus? Vnde pro certo vos scire cupimus, quicquid orationibus, vigiliis, missarum sollemnitatibus, eleemosynarum largitione, et pauperum cura, omnibusque, quibus humana fragilitas creatorem suum potest placare, ad perpetuam salutem sibi partim nobiscum omni tempore implorare. Super hec vero ad sue eterne felicitatis augmentum ex intimo cordis nostri affectu centum missarum sollemnia privatim celebrari, totidemque psalteriorum modulationes fieri in conventu nostro constituimus, ita quoque, ut Deo catervulam nostram incolumem indivisamque servante ante diem natalis Domini hec vota expleamus. Quia igitur omnipotens Deus nostram paupertatem multociens per vos respexit, in quo etiam post Deum omnis spes et salus nostra est posita: qua de spe modo confortati aures tante sublimitatis obnixis precibus titillare presumimus, quatenus thesaurum vestre largitatis levigando nostram necessitatem aperiatis, pii redemptoris memoriam tenendo, qui ait: Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis. Valete, et super Christi pauperes, quibus hoc anno omnia necessaria huius vite omnino desunt misericorditer respicite. Quid plura? Omnem misericordiam et gratiam in vobis speramus. Per ipsam deprecamur vos, ut per domnum Albinum, fidelem vestrum, regali vestro precepto pacifice nostrum nuntium in Poloniam deducere et reducere dignemini.

Pez Codex diplomaticus Austriae pag. 291. — Inde fragmentum in Dobneri Annalium Tomo V. pag. 531 ad annum 1037. — Ad annum 1089. vero literas spectare innuit chronicon Ms. Hildegardi Gradicensis, perhibens, Boleslaum, tunc ducem Olomucensem et filium regis Wratislaw, eodem anno obiisse. —

CC.

Quidam monachus G. spondet Wratislaw regi constantes pro ejus et filii defuncti (Boleslai) anima preces, et ad pacem hortatur. **1089.**

Veteranus ille inclusus G. amiculus gloriosissimi regis Wratislai novos fructus sibi amoris semper et dilectionis. Caritatem, quam a prima vestrae visionis cognitione inter nos Deus coniunxerat, in vobis iam video exstinctam. Cum enim dilecti gnati vestri obitum undique partibus nostris etiam ipso loco, in quo demoror, Deo instigante ad memoriam animae illius per nuntium bene intimare procurastis, mihique ullam amoris ammonitionem mandare dedignastis. Sed tamen anima filii ut vita et anima patris adhaerebit mihi teste Deo, ne videar adulando fallere, quod haec ipsa erga vestram perpetuam salutem ardendo in me succenditur, ita ut vestri memoria cottidie post dominum imperatorem nostrum in conspectu Dei inprimis a me recitetur. Idcirco rogo et obsecro vos, ne parvam ammonitionem, quam iustus iudex vobis digne promerenti intulit, indigne suscipiatis, (nam quem diligit Dominus, castigat) sed semper de parvis maiora vobis appropriare timeatis. Valete, et iam in ultimo aetatis tempore pacem firmate, et vigilate, ut pulsanti Domino possitis aperire.

Pez Codex dipl. p. 291. — Dobner Ann. V. 532.

CCI.

Benedictus, abbas Scotorum Ratisbonae, precatur Wratislaw regi felicem expeditionem Moravicam. **1091.**

Clarissimo regi Wratislao regali diademate adornato Benedictus Christi peregrinorum servus, ceterique omnes, qui sunt Ratisbone peregrini, cuncta presentis vite prospera, et future sine fine mansura premia. Verba legationis tue dulcissime gratanter suscepimus et libenter, que postulasti, implere decrevimus. Semper quidem, ut decet pro tua tuorumque salute votiva ac fida ab omnibus sit oratio. Sed modo cum te in expeditionem cum exercitu exire, gentium quoque feritatem contra te insanire audivimus, super impensum solitum nostre devotionis hoc facere decrevimus: totum psalterium ab omnibus cottidie implere, missam etiam adhoc pertinentem communiter celebrare; sed et crucem cum letania portare, ieiunium quoque ab omnibus preter infirmos tribus diebus in septimana implere. Et hec diligenter fieri decreuimus, donec auxiliante Christo dominus noster victor cum gaudio revertatur in pace. Deum, charissime, qui tibi tribuit honorem, time, atque eius mandata, ut possis, custodi. Judas Machabeus, cum perfecte timebat Dominum, cum paucis superabat gentes. Gedeon quoque tribuens honorem Deo cum tricentis tantum viris Madianitas usque ad internecionem pene prostravit.

Pez Codex dipl. Austriae p. 290. —

CCII.

Ladislaus, Hungarorum rex, jura et possessiones coenobii Benedictinorum s. Adriani de Zala confirmat. Dt. Simigii XIII. Kal. Januarii, 1091.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue vnitatis. Ladislaus, Dei gratia Hungarorum rex, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presentes literas inspecturis, salutem in vero omnium saluatore. Ad vniuersorum serie presentium notitiam volumus peruenire, quod, cum causa deuotionis ecclesiam beati Adriani, pretiosi martyris Christi, de insula Szalad visitare diuertissemus: religiosus vir, abbas Stephanus et fratres eiusdem ecclesie populos suos per diuersos collectarum exactores miserabiliter fuisse aggrauatos, nobis conquerendo significare curauerunt, petentes ob anime nostre salutem, ipsis populis sic aggrauatis et per exactores grauiter afflictis releuationis remedium et debite sollicitudinis officium adhibere dignaremur, litteras quasdam priuilegiales sanctissimi regis Stephani, predecessoris nostri, exhibendo, quarum tenoribus perlectis comperimus euidenter et fide oculata inspeximus in eisdem, primo videlicet: quod idem sanctissimus rex predictam ecclesiam siue monasterium, quod ipse anno millesimo decimo nono ob anime sue remedium et pro stabilitate regni construxerat et fundauerat, et regia largitate ac pietate donationibus, possessionibus et decimationibus copiose et large decorauit et dotauit. Secundo conspeximus et comperimus, quod ex forma indulti eiusdem sanctissimi regis similiter anno domini millesimo vigesimo quarto ipsum monasterium et eius populum ab omni inquietudine deberet esse remotum. Nos igitur eiusdem sanctissimi regis Stephani vestigiis inherentes concessimus in secula sanciendo, vt, quemadmodum a iudicio et potestate ac iurisdictione omnium iudicum, parochialium, seu uice iudicum et curialium comitum eorundem ex forma litterarum priuilegialium, supradictorum expediti sunt penitus et exemti populi monasterii sepe dicti, ita et a vexationibus, molestiis, inquietationibus et grauaminibus, que per collectores tam victualium quam denariorum seu quarumlibet aliarum monetarum possent eis imponi et mandari, predicti abbas et conuentus eorundemque populus expediti habeantur penitus et exempti, ne ipsum monasterium per huiusmodi grauamina ad paupertatem et exinanitionem redactum, quod absit, in eo per substractionem necessariorum aut alimentorum diuine laudis organa suspendantur. Vt igitur presens nostra ordinatio et iam dudum ordinati negotii salubris innouatio robur obtineat perpetue firmitatis, nec per predictos iudices, comites seu rectores comitatuum et collectarum exactores valeat aliquatenus immutare, presentes ipsi monasterio ac suis rectoribus super hoc, ob reuerentiam beati Adriani, in priuilegium firmitatis perpetue concessimus litteras sigilli nostri munimine roborandas. **Datum Simigii** tredecimo **Kalendas Januarii**, anno **Domini MXCI.** regni autem nostri vigesimo secundo.

Fejér Cod. dipl. I. 466.

CCIII.

Conradus, dux Morariensis, una cum conjuge „Hilburg" resarciunt damna in bello a militibus fratris sui monasterio Raygradensi illata, cc. **1092.**

Ego Chvonradus Dei gratia dux Morauiensis omnibus catholice viuentibus nunc et in posterum. Noscat omnium christianorum cetus, quod ego

Chvonradus et dilectissima *Hilburg* socia mei thori coniugalis respicientes grauia dampna et incendia, quibus fratres in Christo de *Raygrad* a militibus fratris nostri propter nostram exigentiam sunt afflicti, ne pro benedictione maledictionem eorundem contrahamus, prefatam iniuriam iusta resarciminis forma adequamus, traditis in restaurationem eorum possessionibus nostri ducatus. Possessiones autem sunt hec. Confirmo ipsis curiam in *Raygrad,* quam ex mea possident donatione addita iam terra vnius aratri cum piscatore. Trado molentem seruitorem nostrum in Raygrad. Trado uenatorem in *Domasoue* cum terra ad vnum aratrum cum fabro ibidem in Domasoue ect.

E copia sec. XIV. in archivo archiepiscopali Olomucii.

CCIV.

Wratislaw, dux et rex Boemiae, monasterium in Ostrow larga exornat donatione. 1061 — 1092.

Wratislaus dux Bohemorum succedens in paternum solium non mediocriter cepit insudare, qualiter locum beati Joannis baptiste, quod est Ostrow, dilataret et ob memoriam sui antecessorumque suorum multa utilia in diuersis locis contulit, id est uillam Chrynany, aliam quoque uillam Wsetycyh, uillam quoque, que dicitur Noue-Sedlo. — Hic Wratislaus postposito nomine ducis rex appellatus, multa ecclesie prefate donaria dedit: casulas et pallia et alium ornamentum in diuersos usus; uillam etiam Stasowyc dedit. Insuper et Zymas terram plus quam ad decem aratra cum silua; qui rex ut prudens homo precauens in futurum, ne quis emulus prosperitate habita hec peruerteret, Jaromiro suo fratri tunc temporis Pragensi episcopo id iniunxit, ut astantibus primatibus Bohemorum, nec non et omni plebe eternali uinculo omnes maliuolos, nec non et destructores ecclesiastice utilitatis innecteret, et cum Juda traditore eterno igne puniendos diabolo committeret. —

E diplomate Otakari I. 1205. cujus autogr. in archivo Trebon. exstat. — Excusum apud Piter in Thes. pag. 153.

CCV.

Conradus, dux Boemiae, confert monasterio Insulano Krawsko in provincia Znoimensi. cc. **1093.**

Post decessum Wratislai bone memorie Bohemorum regis *Conradus* principatum fraternum obtinuit, qui Deo et sancto *Johanni baptiste in Ostrovv* pro adipiscenda eterna requie hec beneficia addidit: *Kravvsco in provincia Znoymensi*, ubi habetur de terra plus, quam ad quadraginta aratra; insuper et siluam addidit. In Bohemia predium Zahoregouici et uillam Chrabergh.

Ex eodem dipl. Otakari I. 1205. — Excusum apud Piter in Thes. p. 153.

CCVI.

Swatopluk, dux Moraviensis, confert monasterio Gradicensi s. Stephani villam Těšetice. cc. **1095.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego *Zuatopluk dux Morauiensis* tradidi fratribus sancti Stephani uillam *Tusatici* cum omnibus suis attinentiis in perpetuum possidendam, quatinus orationibus suis iteratis remedio anime dilecte sororis nostre *Bolezlaue* prouideant. Et hec traditio facta est de uoluntate et assensu karissime matris nostre *Euffemie* illustris ducisse, nec non fratris mei *Ottonis* anathematizante uenerabili episcopo *Andrea.*

E codice sec. XIII. monasterii Gradicensis descripsit Friebek.

CCVII.

Euphemia, ducissa Olomucensis, ecclesiam in Kinic dotat. cc. **1097.**

Illustris matrona *Euffemia (ducissa Olomucensis)* ecclesie sancti Marci apostoli in loco. qui vulgariter *Kninih* nominatur tempore consecrationis per uenerabilem fratrem *H. (enricum) episcopum (Olomucensem)* contulerat dotem et posuit super altari eiusdem sancti. videlicet terram ad duo aratra cum cultore arante.

E literis Joannis, VI. episcopi Olomucensis, ab anno 1113. n. CCXX.

CCVIII.

Bořiwog, dux Boemorum, donat ecclesiae Pragensi Laetam curiam Pragae cum pondere et iudicio ad eam pertinente. cc. **1101.**

Palacky analecta diplom. e Ms. sec. XIV. bibl. capituli Pragensis.

CCIX.

Quidam fratres Godard et Saran cedunt monasterio Gradicensi de iure ipsis in ecclesiam s. Mauritii Olomucii competente. **1105.**

Annales Gradicenses veteres Ms. quorum extractum manu sec. XVI. scriptum asservo.

CCX.

Mslěg miles ecclesiis s. Stephani monasterii Gradicensis et s. Wenceslai Olomucii quasdam possessiones in Topolan et „Gnevolin" (Nebotjn) confert. **1107.**

Notum sit vniuersis Christi cultoribus presentibus et futuris. quod ego *Mzley* filius quondam Prede inualidus corpore. sanus tamen mente desiderans anime mee in remissionem peccaminum consulere. et in remedium patris mei iam nominati matrisque Bogumile. vxoris quoque mee Jarohne. filiarumque Drzene et Jarene animarum. qui mihi in vite future eternitatem beate precesserunt. contuli *B. (ermaro)* abbati sancti Stephani in suburbio Olomucensis ciuitatis de parte prediorum. que charissimo domino meo Ottone ducatum Morauiensem tenente cum supradicto patre meo Preda apud eundem in Vngaria deseruieramus. *Vtopolanech* terram ad duo aratra cum pomerio. et de familia dedi Lubos cum filio Bran. et Zbor cum filiis Zmil et Wracen. Dedi etiam *Vgneuotini* terram ad vnum aratrum. familiamque totam Quasich cum filiis Mut. Sobiteh et Cromes. Dedi etiam *ad opus ecclesie sancti Wencezlai laudante domino Zuatopluk glorioso duce Bohemorum:* Vtopolanech de terra ad vnum aratrum cum ministeriali Juric cum filiis Preda et Tessic Frater meus germanus nomine. Preduoy. addidit in ibidem de terra ad duo aratra et familias Budik cum filio Zuda. et Misleta cum filiis Prizney et Lowich. sancto Stephano et sancto Wencezlao. Dedi etiam X boues et IV equas. et totidem addidit frater meus iam nominatus sancto Wencezlao. Item dedimus duos mansos in Olomuz sancto Wencezlao in perpetuum. quam uero donationem Preduoye frater meus fecit in leuamen meorum suorumque peccatorum. Et hec tam pia donatio facta est adstantibus et annuentibus dominis charissimis nostris. domino *Suatopluk* glorioso duce Bohemorum. et domino *Ottik illustri duce Olomucensi.* in presentia domini *J. (ohannis) episcopi Olomucensis* VI. domini B. abbatis et D. et P. capellanorum ducis Bohemorum. Acta sunt hec in *Olomuz* anno dominice incarnationis millesimo centesimo VII. Indictione XV. Orate ut misericors Deus. quod seminaui in honorem eius. retribuat mihi in die messis eterne. Amen. Et ego predictus dux Suatopluk vna cum fratre meo duce Ottone has pias dilecti militis nostri Mztey fratrisque eius Preduoy firmauimus donationes sub anathemate Johannis episcopi Olomucensis. Nomina testium. qui huic nostre confirmacioni interfuerunt. sunt hec: Zuest. Grdibor. Mutis castellanus de Vzoue. Clen. Domabor. Dragoteh. Jarozlau. Lutobor. Ludik. Chaiek. Lutobran. Grdibor niger. Zden. Olomut. Zbigneu. Crisan. Zcrben. Hual milites. Mylota. Nemota. Slauon. Prostey venatores. et alii quam plures nobiles et milites de Bohemia et Morauia.

E codice sec. XIII. in archivo quondam monasterii Gradicensis descripsit Friebek.

CCXI.

Otto dux (Olomucensis) contulit ad opus ecclesie *b. Wencezlai in castro Olomucensi* laudante id fratre suo Zuatopluk de Boemia duce illustri, terram ad octo mansos super fluuium *Vzablaze* in circuitu, qui dicitur *Naglubcicih*. **1107**.

In analectis Friebekii annotatur hoc summarium diplomatis, cuius apographum in libro benefactorum ecclesiae Olomucensis inscriptum erat.

CCXII.

Suatopluc dux *Namesci (Namešť)* emptum predium a possessore, nomine Cistomir, dedit ecclesie sancti *Wencezlai* in Olomuc. cc. **1107**.

Vide diploma Henrici Zdik episcopi ab anno 1131.

CCXIII.

Swatopluch dei gratia Bohemorum ducatum cum obtinuisset pro absolutione peccaminum Boianovvicih villam contulit Deo et beato Joanni baptiste in Ostrow perpetualiter possidendam. **1107**.

E confirm. Otakari I. anno 1205. — Piter in Thesauro pag. 151.

CCXIV.

Swatopluk, dux Boemorum, confirmat donationem militis sui Domaslaw, factam monasteriis ord. s. Bened. Opatowicensi et Litomyšlensi coram fratre suo Ottone et Joanne, Moraviensi episcopo. **1108**.

In nomine domini. amen. Ego Zuatopluk Dei gratia dux Boemorum notitie omnium Christum profitentium hanc paginam transmitto, quatinus sciant presentes et futuri, qualiter nobilis uir Domazlau, miles meus dilectus, in purgamen peccatorum anime sue fratribus sancti Laurentii contulit predium sue hereditatis in Domasici cum silua spatiosa iuxta fluuium Dezna cum omnibus attinentiis et utilitatibus, et hos adscripsit eisdem ibidem seruientes Vris. Doma. Yutrik. Gnevsa et Ostrata et Zuley custodem. Sobegrid et Agna apiarios nec non uenatorem Karen. Addidit etiam omuleta duo cum cultore eorundem Kueta. Prata uero adtingentia fluuium Dezna ad Cerekuici uillam diuidit hac ratione, ut abbas sancti Laurentii cum fratribus suis teneat illam partem, que a dextra prefati fluuii Dezne per descensum longe protenduntur, (sic) aliam (sic) uero a sinistra descendentem vtatur . . . . . abbas et fratres de *Lutomizl* in perpetuum. amen. Et hec traditio pie elemosine comitis Domazlau facta est in manus abbatis Ones tempore ducis Boriuoy. sed quoniam scripture testimonio perhennante omnino carebat, accedit ad me in loco meo *Lutomizl* existentem dominus *Zulizlav* abbas de sancto Lavrentio atque scripti formatam huius traditionis fieri a me petiit voce rogante, quod et sine cessante dubii mora obtinuit, quando comes Nemoy filius Domazlai talem traditionem factam esse acclamauit. Hoc igitur taliter factum sigilli mei impressione muniui et uenerabilis in Christo pater dominus *Johannes Morauiensis episcopus* anathematis sententia firmauit coram domino *Ottone fratre nostro* et multitudine nobilium et populi ducatus nostri. Indictione I.

E copia sec. XIV. in archivo Gradicen. monasterii, in quo plurimae literae Litomyslensis monasterii asservabantur, descripsit Friebek.

CCXV.

Vlricus et Lupoldus, duces Moravienses, filii Conradi, fundant monasterium s. Mariae *Třebičense* ordinis s. Benedicti. 1109.

Pessina in Marte Moraviae pag. 80.

CCXVI.

Otto, dux Olomucensis, restituit ecclesiae Pragensi forum in villa „Zekyr Kostel.“ Actum in villa Tinecz Kal. Maji, **1110.**

Wladislaus dux Bohemorum et *Otto dux Olomucensis* post Pascha in Kal. Maii conueniunt in villa dicta *Tinecz* super monticulos. Ibi tota die de diuersis causis concionati, datis et acceptis inter se sacramentis sunt reconciliati. Sed quoniam idem Otto nobis interdixerat forum in villa *Zekyr Kostel,* quod pater suus et mater pro remedio animarum suarum Deo et sancto Wenceslao nobis famulantibus perpetuo habendum tradiderant, ego missus ex parte fratrum, coram duce et eius comitibus conquestus sum super Ottone, quod lucernam parentum suorum, quam debuerat accendere, extinguebat. Et ille ego, inquit, lucernam genitorum meorum non extinguo, sed nolo, vt in potestate episcopi sit, quod vobis specialiter datum esse scio. Et nunc non episcopo, non alicui personae, sed Deo et sancto Wenceslao vobis famulantibus praedictum forum restituo.

Cosmas Pragensis ad annum 1110.

CCXVII.

Euphemia, ducissa Olomucensis, confert monasterio Gradicensi villam Kinic cum ecclesia. **1110.**

Quando matrona illustris *Euffemia* uite sue arenam decurrere uidebat. astantibus filiis suis spiritualibus de sancto *Stephano.* beneficia sua culminans addidit uillam *Kninih* in dotem sancti Stephani. in cuius sinu ut cum marito quondam duce *Ottone* reponatur quieti. instituens. ut fratres sancti Stephani a se fundate ecclesie in Kninih prouideant in perpetuum.

Ex diplomate Joannis, VI. episcopi Olomucensis, ab anno 1113. n. CCXX.

CCXVIII.

Joannes episcopus Olomucensis emit ab Ottone (Nigro) duce (Olomucensi) Cromesir *(Cremsirium)* cum tabernariis et teloneo, nec non curiam „iesutborici" *(Šitbořice)* pro CCC marcis. Dt. Olomuc. **1110.**

Chronicon Ms. Hildegardi Gradic. coaevi ad annum. — Wekebrod Kirchengeschichte pag. 137. — Confer literas annorum 1126, 1131 et 1207 ecclesiae Olomucensis.

CCXIX.

Joannes, episcopus Moraviensis, confirmat monasterio Gradicensi collatam quondam a ducissa Euphemia et nunc restitutam a Wladislaw duce villam „Kniniz" (Kinic) cum ecclesia. **1113.**

In nomine domini. amen. Innotescat omnibus in Christo pie uiuentibus tam presentibus quam in eodem posteris. quod coram me *J. (ohanne) morauiensis* ecclesie episcopo dilectus frater *B.* abbas sancti *Stephani* una cum fratre *H.* monacho ibidem. prouocantes Deum et eius sanctos in testes ueritatis sub sacramento edixerunt. qualiter quondam illustris matrona *Euffemia* ecclesie sancti Marci apostoli in loco. qui vulgariter *Kninih* nominatur. tempore consecrationis per uenerabilem fratrem *H. (enricum) episcopum* predecessorem nostrum. contulerat dotem et posuit super altari eiusdem sancti. videlicet terram ad duo aratra cum cultore arante. Quando uero prefata matrona illustris uite sue arenam decurrere uidebat. astantibus filiis suis spiritualibus de sancto Stephano. beneficia sua culminans addidit prenominatam uillam in dotem sancti Stephani. in cuius sinu ut cum marito quondam duce Ottone reponatur quieti. instituens. ut fratres sancti Stephani a se fundate ecclesie in Kninih prouideant in perpetuum. Huius modi canonice prestitum testamentum quum illustri duci Vladizlao acclamabam, ipse prefatam dotem sine more spatio restitui, atque anathematis sub edicto confirmari mandauit. Si quis ergo hanc piam institutionem inclite matrone Euffemie diabolico incitatus consilio peruertere temptauerit cum Juda sit regno inferni deputatus. Amen. MCXIII.

E copia sec. XVII. adnexa sic dictis: Akten über die Patronatsrechte des Klosters Hradisch. Ms. —

CCXX.

Wladislaw, dux Boemiae, fundat et dotat monasterium Kladrubiense, ordinis s. Benedicti, sub testimonio Hermanni, Pragensis et *Joannis, Moraviensis* episcoporum. **1115.**

Orig. in archivo c. r. aulico Vindobonae. — Excusum apud Dobner Annal. VI. pag. 123. — Dobrowsky Magazin 3. St. p. 109.

CCXXI.

Udalricus, episcopus Pataviensis, describit juxta fluvium „Maraha" (Morawa) terminos parochiae Wikeindorf monasterii Medlicensis. IV. Idus Februarii, **1115.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Vdalricus, Pataviensis episcopus. Quia petitionibus religiosarum personarum annuere pium est, insinuamus posteritati fidelium, qualiter anno ab incarnatione domini MCXV. indictione VII., IV. Idus Februarii dedicata est a nobis ecclesia parochie Wikeindorf, petente venerabili Engilschalcko Medilicensis ecclesie abbate, in nomine sancte et indiuidue trinitatis, et in honore sancte Dei genitricis Marie, et omnium sanctorum, et specialiter illorum, quorum reliquie inibi recondite sunt: Petri apostoli, Andree apostoli, Stephani protomartyris, Stephani pape et martyris, Mauritii martyris, Cholomanni martyris, Pangratii martyris, Nicolai episcopi et confessoris, Hilarii episcopi, et Benedicti abbatis, Margarethe virginis et martyris, Clementie virginis, Palladie virginis. Terminum autem decimationis eiusdem parochie, sicut subtilissime investigando et inquirendo ab industrioribus et senissimis comprovincialibus scire potuimus, subternotavimus, et banno confirmavimus. Incipit enim Richersdorff, et campo adiacente, et Rust, et Protechin, et Tallisbrunnen, et Wisinwinchil, usque in *Maraha;* et sic per decensum *Marahe* in Zwerndorff, et Chunendorff, et finit Chressinbrunnen. Ex altera parte finit idem terminus in confinio Sibenbrunnen Meginhardi. Et sicuti inibi terminatur predium Vdalrici, quod pertinet ad Genstribindorf. Tertiam vero partem decimationis eiusdem parochie, que ad ius episcopatus nostri pertinuit, et insuper integram decimationem duarum villarum in Poungarten, et Chunnendorf, tradidimus potestativa manu nostra, et advocati nostri Adalberti predicte ecclesie Medilik de omnibus prediis et agris cultis et colendis, in predicto termino sitis, pro commutatione predii in Grizanstein sita, et alterius in Imminbrukke. Quam commutationem ab abbate Engilschalcho et suo advocato Rodolfo in presentia predicti advocati nostri Adalberti accepimus, et signaculo sigilli nostri, et banno in perpetuo ratam confirmavimus. Huius rei testes sunt: Ekiprecht de Butine. Dietrich de Grizansteine. Mangeolt de Acchispach. Adalram de Vttindorf. Rotprecht de Palsenze.

Huber Austria ex archivis Mellic. pag. 5.

CCXXII.

Adalbertus, archiepiscopus Moguntinus, episcopos Pragensem et Olomucensem ex mandato apostolico ad concilium Frideslariense evocat. cc. **1116.**

Reverendissimo Bambergensi episcopo Adalbertus, Moguntine sedis minister indignus, fraterne dilectionis et orationis inuiolabile pignus. Quod proxime dominus Prenestinus, Romane ecclesie legatus, nobis apostolica auctoritate denuntiaverit, nostra quoque diligentia per omnia Romane auctoritati subdita, sollerter impleverat, denuntians et vobis sub eadem auctoritate et nostra, uti ad concilium Colonie celebrandum vestra veniret presentia; sed quia hoc, nescio qua pretermissum fuit negligentia, eadem quidem, que et ceteris eiusdem concilii neglectoribus, nobis quoque iniuncta esset sententia, scilicet vel diuini officii suspensio, vel a communione corporis et sanguinis dominice formidanda interdictio, nisi nostre petitionis diligentia hoc prevenisset et eximia sanctitatis vestre reverentia, ne id fieret, apud ecclesiam promeruisset. Quibus simul concurrentibus causis et cooperantibus hoc tandem obtinuimus, ne quid seueritatis vestra subiret dilectio, cuius hactenus in ecclesia valuisset deuotio. Dignum nimirum arbitratus sum, in omnibus honori vestro et reuerentie parcendum, et pro posse loco et tempori providere et consulere, cum sanctitatis vestre beata dilectio magno se devote caritatis nobis obligauerat munere. De cetero sicut in mandatum accepimus, denuntiamus, ut ad concilium V. Kalendas Augusti Frideslarie a predicto legato celebrandum indubitanter veniatis, et ne huius etiam mandati neglector effectus austerioris sententie decretum, petitione mea nihil amplius prevalente, vobis inducatis. Preterea ducem F. et C. fratrem eius et G. palatinum et reliquos complices eorum in predicto concilio excommunicatos noveritis. Litteras etiam nostras rogamus, ut fratribus nostris *Pragensi* scilicet et *Moraviensi* episcopis dirigatis.

Concilia Germaniae III. 271.

CCXXIII.

Sobeslaus, dux Boemie, confert ecclesie *Olomucensi* tempore *Johannis* episcopi circuitum *Lubac* cum silva interiacente Cazlauensem et *Brinensem* prouinciam. **1126.**

E grano catalogi Ms. ecclesiae Olomucensis. — Vide confirmationum literas Heinrici episcopi ab anno 1126. Wladislaw, ducis Boemiae, ab anno 1145, et Detleb episcopi ab anno 1180. ejusdem ecclesiae. — Friebek in collectionibus suis ad diploma ipsum provocat.

CCXXIV.

Heinricus Zdik, episcopus Olomucensis, confirmat sub anathemate ecclesiae Olomucensi collatum a Soběslaw, duce Boemiae, circuitum „Lubac" et emtam ab Ottone, duce Olomucensi, villam „Cromezir" (Kremsirium). **1126.**

Notum facimus cunctis fidelibus tam presentibus. quam futuris in Christo pie uiuentibus. quod illustris dux Sobezlaus tempore predecessoris inpresentiarum presidentis presulis Zdykonis, qui nomine Johannes nuncupabatur sancte Olomucensi ecclesie contulerat largam elemosinam. videlicet circuitum Lubac cum sylva interiacente Cazlauensem et brinensem prouinciam. Ipse uero episcopus Johannes sua pecunia emit circuitum Cromezir ab Ottone bone memorie patruo ducis nobilis nostri Wencezlai. eumque solutis trecentis marcis sancte sue ecclesie inpropriauit inperpetuum. A comite uero Lutek emit duas araturas ibidem in Cromezyr. Comes Grdibor niger contulit in sua villa terram ad duo aratra. Presul autem Zdyko presentibus iam dictis dominis ducibus Sobezlao et Wencezlao. utriusque terrarum nobilibus talem anathematis subintulit sententiam: Quod si quis supradictorum violator extiterit. cum Datan et Abyron gehenne deputetur incendio. Amen.

Ex originali archivi capituli Olomucensis. —

CCXXV.

Waceslaw, dux Moraviensis, confert monasterio Gradicensi villam Kygow (Gaja) in remedium animae patrui sui ducis Ottonis. **1126.**

Anno incarnationis dominice MCXXVI. epacta XXV. indictione IIII. concurrente IIII. Kalendas Marcii XII. *Otto, dux Morauie,* paterno nomine nuncupatus, in prelio peremptus est. Cuius fratris filius nomine *Wencezlaus,* amore celestis patrie accensus, quoram omni clero atque primatibus suis pro remedio anime patrui sui Deo militantibus in monasterio sancti Stephani, quod etiam in *Gradis*, forum cum uilla *Kyiov (Kygow)* et duo aratra, duos etiam equos, nec non duas indomitas equas et emissarium dedit, que si quis subtrahere, aut impugnare, aut quocunque inuiolare presumpserit, perpetuo anathemate Jesu Christi dampnetur.

Ex orig. dipl. Otakari II. de anno 1270. monasterio Gradicensi collato in registrat. Gubernii Moravici.

CCXXVI.

Wencezlaus, dux Morauiensis, contulit pro remedio anime patrui sui ducis *Ottonis* ecclesiis s. Petri et Wencezlai *Olomucii*, quidquid ad venatores ducis in *Ninacunicih, Tucapi et Dirnouicih* pertinebat. **1126.**

Vide confirmationis literas ab anno 1131.

CCXXVII.

Lotharius, Romanorum rex, confirmat traditionem praedii in Vndenstorf ad monasterium Frisingense sub testimonio Vdalrici (?), ducis Boemiae. Dt. Ratisbonae **1130.**

Hund metrop. Salisburg. pag. 315.

CCXXVIII.

Sobezlaus . . . Bohemorum *monarcha* renouat et auget fundationem monasterii canonicorum in Wissegrad. **1130.**

Hammershmidt Gloria Wissehraden. pag. 135.

CCXXIX.

Otto, episcopus Bambergensis, Meinhardum, episcopum Pragensem, consolatur, eique consilium praebet, ut sibi praecipue Olomucensem episcopum conciliare studeat. **1131.**

Venerabili Pragiensi episcopo O. Babenbergensis conseruus suus et humilis dei gratia coepiscopus, in caritate non fictam orationem, in humilitate deuotam seruientiam. Propter vnitatem caritatis Christi, que est inter nos, leta sunt nobis omnia, que vobis sunt prospera; in adversis autem quicquid vobis accidit, nobis quoque accidit. Quod autem in presenti vos contrubat, id ipsum grauius nos quoque contristaret, nisi daret nobis consolationis vestre fuduciam, qui dat rectis corde letitiam. Veritas enim ipsa vos liberabit. Quis enim sperauit in domino et derelictus est? Consoletur itaque primos vos conscientia vestre puritas, tanto ab omni timore secura, quanto a crimine obiecto sibi libera est. Consoletur vos, quod a fratribus et coepiscopis vestris bonum meruistis habere testimonium, quod, si ad id ventum fuerit, omnes uno ore loquentur pro uobis. Consoletur et vos, quod in ecclesia Romana ordinatoris vestri auctoritas magna est, qui ante ordinacionem vestram ita diligenter ordinem et libertatem eleccionis vestre examinauit, ut iam amplius ista retractari non oporteat. Miramur et, quomodo nunc sibi contrarii sint illi, qui tunc dato consensu tam ordinacioni quam electioni vestre interfuerunt. In his itaque volumus vos consolari in domino. Consilium autem nostrum est, si iam latius diuulgatum est verbum illud iniuste criminacionis vestre, ut in ipsa ecclesia vestra vos expurgare satagatis, quatinus apud eos nulla de vobis maneat suspicio, inter quos sancta debet esse vestra conuersacio. Ducem insuper et principes terre, precipue *Olomucensem episcopum* conciliare vobis et quascunque personas siue ecclesiasticas siue seculares omni studio placate. Difficile est enim, unum aliquem uel odia uel offensam multorum sustinere. Et nostri officii est coram omnibus humiliare nos, et placare omnes, ut omnibus, si fieri potest, placeamus. Sic rebus domi compositis tum denique in curia Romana rem vestram agite, quia parum extra securitatis est, dum adhuc domus nostra contra nos tumultuatur. Comparato itaque vobis fauore apud ducem et principes et alias quascunque regionis siue ecclesie nostre personas, disponetis nostro consilio, ut nuntius bonus literas archiepiscopi vestri et ducis una cum litteris vestris ad dominum apostolicum deferat, que omnes hanc summam peticionis contineant, ut detur vobis potestas expurgandi vos in regione vestra coram eodem Joanne cardinale, cuius mentionem in litteris vestris habuistis. Interim vobis prouidete ita, ut si necesse fuerit, intrare Italiam non dubitetis. Expedit enim vobis, extrema queuis perpeti, quam inobedientes inueniri.

E codice Udalrici Babenb. in Eccardi scriptoribus II. pag. 370. epist. 364. — Dobner Annal. VI. —

CCXXX.

Adalbertus, Moguntinus archiepiscopus, concedit, ut sedes episcopalis Olomucii ad ecclesiam s. Wenceslai transferatur. **1131.**

A. (dalbertus) dei gratia Magontinus archiepiscopus et apostolice sedis legatus. *H. (einrico)* dilecto in Christo fratri *Morauiensi* episcopo salutem. Translationem illam immo utilem commutationem. quam fraternitas tua facere intendit. pro qua et nos consuluit. idcirco nobis honestam et necessariam assumimus. quia et ratio eam non reprehendit. et canonica auctoritas eam fieri posse non contradicit. Quapropter in Christo dilecte frater pie petitioni tue debite caritatis assensum prebentes. mandamus et mandando consulimus. ut quod fieri oportet. fiat communi assensu fratrum tuorum. et in ecclesia a qua recedendum pro suis angustiis et nimia eius paruitate uidetur. diuini officii celebratio. prout Deo dicato loco expedit. a tua sollicitudine prouideatur.

E codicibus sec. XII. in archivo capit. Olomucensis sub signaturis 202 et 205.

CCXXXI.

Heinricus, episcopus Olomucensis, transfert sedem episcopalem Olomucii ad ecclesiam sancti Wenceslai, eiusque dotem consignari facit. **1131.**

C † In nomine sancte et indiuidue trinitatis. *Heinricus* dei gratia olomucensis ecclesie episcopus omnibus orthodoxis catholice ecclesie filiis. Cum uniuscuiusque fidelis pia erga deum deuotio uigilantis animi desiderio decorem domus dei et locum habitationis glorie sue diligere debeat. cum omnem hominem qui templum dei et habitaculum sancti spiritus esse desiderat ut ei placeat cui se probauit! non que sua sunt sed que Jesu Christi querere diligenter oporteat. non immerito nos eo deuotius eoque studiosius ecclesie dei utilitatibus inuigilare debemus quo celsiorem ex dispensatione diuina in mensa domini regiminis locum suscepimus. ne qui plus ceteris (ut) beatus ait Gregorius in hoc seculo accepisse aliquid cernimur. ab auctore mundi grauius inde iudicemur. Nulli enim nulli dubium est ab eo cui plus committitur plus exigi et donis adauctis donorum rationes adaugeri. Sed quum iuxta uocem apostoli uelle adiacet homini perficere autem bonum non inuenitur. nisi diuine pietatis habundantia que uota supplicum excedit et merita. bonam uoluntatem excitando et perficere concedendo gratiam pro gratia largiatur. Benedictus deus qui sue uirtutis efficatiam in nobis operando ad perficiendum quod deuoto uersabatur in pectore. et uoluntatem nobis attulit. et facultatem non abstulit. Caritate quippe dei que in cordibus fidelium per spiritum sanctum qui datus est nobis diffunditur. nobis in Christo dilectissimus et uere ecclesie catholice filius *dux Uacezlaus* decenter inflammatus ecclesiam beati petri in ciuitate *olomuc* sitam que eiusdem prouincie ecclesiarum mater erat. pro sui paruitate ad capiendum populum confluentem non sufficere conspiciens. eamque que pontificalis sedis fastigio super alias polleret minus aptam esse utpote uerus dei cultor perpendens beati Uacezlai martiris ecclesiam quam in predicta ciuitate pater eius fundauerat. sed morte prepeditus imperfectam reliquerat. communicato nobiscum et cum omnibus terre primatibus consilio.

cum iam egritudine detineretur. cum omnibus appendiciis per nostre humilitatis manus deo omnipotenti hostiam placentem obtulit. eamque ut perficiendam in curam nostram si quid de eo humanitus accidisset susciperemus et perfectam ac episcopalis sedis dignitate decoratam omnium ecclesiarum matrem constituere studeremus humiliter postulauit. quod etiam eius fidei deuotio apud deum cui omnia possibilia sunt sicut uidetur obtinuit. Prefato namque duce religiosissimo uocante domino uiam uniuerse carnis ingresso tam ex eius impensis quam ex ceterorum fidelium oblationibus additis etiam propriis pro posse nostro facultatibus nos eandem dei ecclesiam et perficere et perfectam rebus necessariis ac utilibus exornare quantum diuina annuere dignata est clementia elaborauimus. quam etiam consensu ac permissu domini metropolitani nostri *Adalberti* sancte magontine ecclesie archiepiscopi. assensu etiam ducis *Sobezlai* pontificalis sedis dignitate decoratam ceterarum in eadem prouincia ecclesiarum matrem constituimus. in priori uero ecclesia deo sedula exhibituros obsequia quatuor canonicos ordinauimus. Ut autem hec laudabilis ac uenerabilis egregii ducis largitio et nostre humilitatis ordinatio rata et inuiolabilis inposterum permaneat. auctoritate dei omnipotentis et beati petri apostolorum principis confirmauimus. et ut eandem tam domini universalis pape Innocentii quam domini magontini archiepiscopi auctoritas potestate a deo sibi tradita roboraret. et eiusdem contemptores uinculo anathematis innodaret rogauimus et impetrauimus. Et quoniam priora ecclesie nostre priuilegia partim uetustate consumpta partim bellorum tumultibus aliisue occasionibus amissa sunt. in huius scripti nostri serie que uel predecessorum nostrorum uel nostris sunt acquisita temporibus cuncta que in uillis et possessionibus ad eandem pertinent ecclesiam denotari uolumus. ut ecclesia dei et ea que notata sunt inconcussa deo fauente deinceps possideat. et in his que uel adhuc ei acquiri domino largiente poterunt. uel que necdum ab iniustis possessoribus siqui tales sunt uendicari potuerunt huius scripti preiudicium non sentiat.

He sunt uille ad *olomucensem* ecclesiam pertinentes. *Vduba.* tota uilla. *Biscupici* tota. *Tucapi* tota. *Nemilaz* terra sufficiens uno aratro. *Tasalech.* I. *Virouaz.* II. *Velpridech.* II. *Nenacunicih* tota. *Dirsouicih.* II. *Sarouicih.* II.

Melouicih tota. *Glubocaz* II. *Roslinicih* I. *Nemyiaz* I. *Dedicih* I. *Koualouicih* I. *Izuestouicih* tota. *Wladinicih* I. *Selci dole* I. *Dobrochouicih* I. *Viscoue* II. *Studene dole* III. *Smersicih* III. *Cechah* II. *Ratagih* I. *Lucaz* I. *Napleni* III. *Podiuicih* tota. *Ogrozimi* VI. *Oplocaz* I. *Lazniceh* V. *Vicapeh* VIII. *Strelcih* I. *Guzoue* II. *Mostcaz* VI. *Siratine* III. *Topolaz* III. *Roscitlicih* I. *Beztroycicih* I. *Gluchouo* tota. *Repsine* I. *Vgezdec*. *Smersicih* tota. *Dernouicih* IIII. *et bolezlauenses* III. *Sadlouicih* tota in qua sunt figuli. *Nacholine* III. *Pencicih* dimidia uilla. Et alia integra. *Cladorubech* I. *Slusine* I. *Medli ugezdec*. *Mizlechouicih* XI. *Olsaz* I. *Trebsine* I. *Blanzko cum rayc*. *Namesci* dimidia uilla. *Dobratin* allodium. *Nachorini*. *Koualouicih* XII.

He uille subiecte sunt prepositure sancti *Wencezlai*. *Golesouici* tota. *Nezuestici* tota. *Sebeh* IIII. *Slauonin* tota. *Ganeiouici* tota. *Mladeiouici* tota. *Topolaz* I. *Droznouicih* I. *Cladorubeh* I. *Bukouaz* I. *Uelperdeh* I. *Draseiouicih* I. *Semitesicih* II. *Prosteiouicih* tota. pro hac soluitur prandium. *Soberazi* II. *Gneuotine* III. *Vargosci* I. *Preiazlauici* tota. *Gnoici* tota. *Lusici* tota exceptis duabus. *Mogilnici* tota. *Bobrounici* tres. *Brunouicih* VII. pro hoc allodio soluitur prandium. *Vitonicih* VII. *Lutotine* IIII. *Uncine* tota. *Drozdouicih* II. *Ugricicih* I. et alia decani cum tabernario. pro hac etiam soluitur prandium annuatim. Namesci *Suatopluc* dux emptum predium a possessore nomine *Cistomir* dedit ecclesie sancti *W. (encezlai)*.

He uero ad *prerouensem* ecclesiam pertinent. *Dilgonicih* tota. *Tucapi* I. *Vgezdci* tota. *Moscenica* tota. *Tersaleh* IIII. *Pecotulceh* tota. *Zagnosouih* I. *Probicih* I. *Rosceni* I. *Kostelci* I. *Na telmacoue* I. *Cetisouicih* I. *Otrocouicih* I. *Turouicih* I. *Cladorubeh* I. *Pacezlauicih* I. *Vbreza* I. *Parisouicih* I. *Cuncouicih* I. *Glupcicih* I. *Biscouicih* II. *Lutincicih* I. *Roscitlicih*. *Cerncine* II. *Nezebicih* tota. *Glubocaz* II. *Zerbcih* et *Rogozou*.

Tempore ducis *Ottonis* secundi *Johannes* episcopus a prefato duce emit *Cromesir* cum tabernariis et theloneo quod ad pontem pertinet. nec non et *iesutboricih* curiam cum uillis. He uille *Cromesirensi* curie adiacent. *Lobodici* tota. *Zazane* tota. *Cesici* tota. *Zamrisc* tota. *Nemitci* tota. *Milotici* tota. *Bicouici* tota. *Melici* tota. *Dilgonici*. *Nenacunici*. *Vgezdec* tota. *Zazas*. *Nemitci*. He autem *iesutboricensi*. *Opocen* tota. *Zbizlau* tota. *Sezlauci* tota. *Preloci* tota. *Rogozouicih* II.

Has uillas dominus episcopus *Heinricus* emit et dedit s. *W. (encezlao) Siuanici. Lozici. Crekouicih* allodium sufficiens duobus aratris.

He uille ad *Spiligneuensem* ecclesiam pertinent. *Jarogneuici* tota. *Kostelec* tota. *Sadouici* tota. *Rusou* tota. *Veligrad* tota. *Praxici* tota. *Biscupici* tota. Alia sub eodem nomine *biscupici* tota. Tertia idem nomen retinens *biscupici* tota. *Zablacaz* II. *Nesalicih* I. *Zrebrniceh* I. *Tucapi* tota. *Prestaz* IIII. *Kostelaz. Cetohouicih* II. *Siracouicih* V. *Diuoceh* I. *Sobegribeh* III. *Ognisckouicih* III. *Nalubney* I. *Quasicih* I. *Nabeloue* I. carens cultore. *Hizleh* I. *Vazile. Orechouem* I. *Nabrode* III. *Orechouem* II. *Opalouicih* I. *Mladolici* tota. *Sobnouo* tota. *Vneradici* tota. *Nalubney* I. *Ozcicih* I. *(nomina Kuchar frater eius Zesa. Vles. ostrosec).*

He uille ad *bracizlauensem* ecclesiam pertinent. *Opalouici* tota. *Selidedici* tota. *Strasouici* tota. *Miculcici* tota. *Boleradicih* V. *Crisanouicih* V. *Ostrauaz* VII. *Sobolcouicih* II. *Valeroue* II. *Hraslouicih* II. *Cernicouicih* I. *Prestauelcicih* II. *Caprisce. Rasouicih* III. *Honouici. Sobebruzi. Neradici. Domaboricih* IIII. *Ralisckouicih* III.

He uero ad *brennensem. Modrici* tota. *Biscupici* tota. *Voycouicih* I. *Kororupeh* I. *Blasouicih* I. *Velesouicih* IIII. *Loucicih* II. *Mileiuicih* I. *Tesaz* I. *Veligrad. Salcane* tota. *Bogusouici* tota. *Vgezdec.*

He uille ad *Znoymensem* ecclesiam pertinent. *Biscupici* tota et iacou. *Plesici* tota. *Souolusci* tota. *Sanouici* tota. *In gradec* II. *Martinicih* V. *Grusouaz* III, *Pruzeh* I. *Dobrensco* I. *Cerninoue* I. *Masouicih* II. Allodium nuper acquisitum a duce *Conrado.*

Ex autographo archivi capit. Olom. — Lapidi incis. dedit Richter in: Die ältesten Orig. Urk. der Olm. Kirche. — Excus. mendose in: Wekebrod Kirchengesch. p. 142. et in Serle episc. Olomuc. p. 279·

CCXXXII.

Charta confirmationis Soběslaw, ducis Boemorum, collatorum a duce Wacceslaw bonorum in Nenakunic, Tučap et Drnowic. 1131.

Anno incarnationis dominice millesimo centesimo XXVI. epacta XXV. indictione IIII. concurrente IIII. Kalendas Martii XII. *Otto dux Mora-*

uiensis, paterno nomine nuncupatus, in prelio peremptus est, cuius prouinciam fratris suis filius, *Wenceslaus* nomine, de consensu *Zobezlau* ducis Bohemorum et uoluntate recepit gubernandam. Contulit autem prefatus dux Wencezlaus cuius animam angeli sibi iam insociauerunt, in remedium anime prenominati ducis Ottonis, patrui sui, ecclesie sancti *Petri* et ad opus sancti *Wencezlai* ecclesie quicquid in *Ninacunicih*, in *Tucapi* et in *Dirnouicih* ad uenatores ducis pertinere dinoscebatur. Dux autem Bohemorum illustris Zobezlaus postea tempore translationis famosissime ad sanctum Wencezlaum hanc piam traditionem in manus *Zdikonis* episcopi confirmauit. Et quisquis ausu temerario hoc immutare presumpserit, expers sit christianorum consortio et gaudeat cum Satana et seruis eius euum in eternum. Amen.

Ex originali archivi capituli Olomucensis descripsit Friebek.

CCXXXIII.

Heinricus, episcopus Olomucensis, instituit capitulum cathedralis ecclesiae ad s. Wenceslaum Olomucii. (Dt. Olomucii Nonis Martii,) **1132.**

C ✝ In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Notum sit cunctis fidelibus Christi tam moderni temporis quam futuri quod ego *Heinricus* diuina largiente clementia VII. olomucensium episcopus remissionem peccatorum assequi et in libro uite celestis asscribi deuote super omnia desiderans. et ne in conspectu eius de cuius plenitudine omnes accepimus uacuus apparerem desiderio animi feruentis exestuans inter cetera que ad laudem et gloriam nominis domini ad decus et utilitatem ecclesie dei seu ex fidelium oblationibus seu ex propriis facultatibus Christo largiente acquirere potui. numerum etiam canonicorum qui in ecclesia dei ymnis et orationibus die noctuque decenter insisterent. et tam pro nostra quam pro omnium fidelium anime et corporis salute dei clementiam iugiter exorarent. non ex rebus episcopii diminutis sed ex bonis ecclesie dei nostro tempore deo opitulante iuste acquisitis deuotus augere uolui. et ut eadem dei ecclesia que eiusdem prouincie ecclesiarum mater appellari meruit duodenario canonicorum polleret numero. quatuor scilicet preter hos relictis qui in priori ecclesia sedula deo exhiberent obsequia. sollicite elaboraui. Quod profecto mee deuotionis factum ut ratum et inuiolabile in posterum permaneat. licet communiter ab omnibus christi fidelibus postulare studeam et quod iusto expeto. desiderio facile impetrare debeam ad uos tam specialiter sermo meus dirigitur. uos pre ceteris deuotionis mee affectus deprecatur. qui in hac sancta sede domino dispensante post me sessuri qui ecclesiae dei reginem per succedentia tempora usque in finem seculi estis adepturi. Uos inquam specialiter alloquor uos per caritatem dei deprecor et per amorem proximi obtestor. ut que ad laudem et gloriam nominis dei a me facta cognoueritis. nec recindere nitamini. nec rescindi paciamini. Eorum enim que in domo dei pro posse suo mee humilitatis adauxit deuocio. uobis etiam merces apud deum reputabitur. si vestro fuerint conprobata iuditio. Uos igitur hec que diuini amoris a me gesta sunt diligenter amplecti non respuatis et ne uel predictus canonicorum numerus diminuatur. uel seruitia. que eisdem fratribus seu de curia episcopali. seu a substituto si uestre placuerit discretioni preposito dari constitui aliquatenus eis subtrahantur. sicut boni milites christi prouidere non cessetis. maxime cum et ego ad hec constituenda non res episcopii ut prefatus sum diminuerim. sed tam de prepositura quam de ceteris bonis ecclesie dei meo tempore deo uolente acquisitis hec fieri competenter prouiderim. Omnipotens autem deus septiformis spiritus sui donis sanctitatem uestram repleat. ut per spiritum timoris amori conditoris inherendo. per spiritum pietatis meis petitionibus condescendendo. per spiritum scientie atque consilii ecclesie dei honestati et utilitati diligenter prouideatis per spiritum fortitudinis eandem dei ecclesiam impugnantibus uiriliter resistere non paueatis. per spiritum intellectus ac sapientie nouum hominem qui secundum deum creatus est in iusticia et sanctitate ueritatis induti omnipotenti deo placere ualeatis. Amen.

Autographum exstat in archivo capituli Olomucensis. — Lapidi incisum apud Richter l. c. — Excusum dedit Wekebrod l. c. pag. 142. et Richter in Serie episcoporum Olomucens. pag. 248.

CCXXXIV.

Heinrici, episcopi Olomucensis, — „Ordo: qualiter in sua ecclesia sacri ordines fiunt.“ cc. 1132.

Heinricus dei gratia sancte olomucensis ecclesie humilis minister. Quia sancta mater ecclesia que ex diuersitate gentium in unitatem fidei diuinitus congregata in Christo unum esse desiderat sicut fidei unitatem sic eandem dominicorum preceptorum identitatem per omnia custodit et obseruat. merito ab eiusdem fidei integritate recedentes. merito diuersa atque aduersa inter se sentientes. hereticorum nomine denotatos condempnat. Uerum si pro diuersitate locorum quarundam sanctorum patrum traditionum ordo uariatur. quem tamen fides catholica et religio ecclesiastica alterari patiatur. non dampnat. non respuit. tantum si alteratores in soliditate fidei perseuerare deprehendit. Qua de re nos quoque in sancte ecclesie gremio fideliter persistentes. non sanctorum patrum statutis obuiantes. sed qualiter decentius et competentius diuinum peragatur officium ratione inuestigantes quem in sacrorum ordinum celebratione usum habere consueuerimus subter denotare uolumus. Omnibus itaque qui ordinandi sunt in ecclesia congregatis post introitum et Kyrie et primam orationem communem omnium ordinandorum uocationem facimus. ibique prostrati letaniam choro canente diuine pietatis auxilium et sanctorum omnium suffragium super omnes communiter inuocamus. Quo facto lectionem primam aliquis ordinandorum pronuntiat. qua lecta et dicto Gratias et oratione. ostiariorum uocationem et consecrationem celebramus. post quorum consecrationem nobis ad sedem nostram transeuntibus. secundam lectionem ostiarius ordinatus legit. sic deinceps ante tertiam lectores. ante quartam exorcistas. ante quintam acolitos. ante sextam subdiaconos ordinamus. Post sextam autem lectionem ante euangelium lecturos euangelium diaconus consecramus. Lecto autem a nuper ordinato euangelio. sequitur presbyterorum uocatio. quibus asstantibus Ueni sancte spiritus canitur. dein eorum ordinatio celebratur. Conueniens etenim nobis uisum est. ut unumquemque in ordine suo ante officium quod subiturus est ordinemus. uidelicet ut subdiaconum ante epistolam qui lecturus est epistolam. diaconum ante euangelium. presbyterum ante oblationem sacrificii quod oblaturus est consecremus. Proinde ecclesie nostre usus antiquior obtinebat. ut consecrati eadem die sacerdotes dei si missas ob aliquam causam per se celebrare differrent. calicem quem de manu episcopi cum oblata et uino suscipiunt in manibus tenentes pontifici missam celebranti sollempniter assisterent. et episcopo dominica consecrante mysteria. ipsi quoque tacite calices suos benedicerent. et in fine misse episcopo communicante. ipsi quoque de propriis calicibus quasi pro communione perciperent. Sed quoniam ut quidam diuini tractator testatur eloquii. ubi desunt uerba. non sunt sacrificia. nequaquam dominicum corpus esse suspicamur. quod instituta a sanctis patribus uerborum sollempnitate non consecratur. Conuenientius itaque iudicauimus. ut hi qui missas celebrauerunt. oblatas quas in consecratione dante pontifice in patenis susceperunt. in patena episcopi ante inchoationem sacrificii cum summa reuerentia reponant. et uinum de calicibus propriis uelut primitias oblationis domino in calicem episcopi offerant. et post peracta mysteria episcopo communicante ipsi quoque de manu pontificis corpus et sanguinem domini percepturi deuote accedant. Nec uero generaliter hoc omnibus obseruandum prescribimus. sed ecclesie nostre usum hunc esse significamus. in quo et si ab aliquarum consuetudine ecclesiarum differamus. cum plurimis tamen nos concordare non dubitamus. Cum omnibus uero catholice fidei constantiam et eandem dominicorum preceptorum obseruantiam propiciante domino obseruare elaboramus.

In codicis Ms. sec. XII. archivi capit. Olomucen. sub sign. 202. fol. ultimo.

CCXXXV.

Concambium Olomucensis ecclesiae sancti Mauritii. 1136.

Abbas *Deocarus* et conventus monasterii Gradicensis concambiit cum *Henrico Zdik* episcopo Olomucensi in hunc modum: tradidit videlicet ecclesiam sancti *Mauricii* cum iure patronatus et pertinentiis eius videlicet undecim mansis et tredecim domis in manus episcopi eiusque capituli pro pomerio quodam et horto secus ecclesiam sancti *Stephani* nec non pro ecclesia sancti *Michaelis*.

Annales veteres Gradicenses. — Confer Wekebrod pag. 118.

CCXXXVI.

Innocentius papa II. Heinrico, Moraviensi episcopo, paganos ad fidem convertere volenti, scribit, ut prius Romam veniat. Dt. Laterani II. Idus Aprilis, 1140.

Innocentius episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili fratri *Heinrico*, Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Fraternitatis tue literas benigne suscepimus, et de tua sospitate certiores effecti sumus gauisi. Verum tamen quoniam ex ipsis voluntatem tuam cognouimus, paganis verbum domini predicare, et ad fidem Christi conuertere: opus est, ut ad matrem tuam sanctam Romanam ecclesiam venias, quatinus cognito fructu exinde prouenturo ibidem secundum uniuersalis ecclesie doctrinam assumpta forma docendi ipsius auctoritate, quod faciendum fuerit auxiliante Domino perficere valeas. Datum Laterani II. Idus Aprilis.

E Mss. codicibus a. archivi capituli Olomucensis sec. XIV. sign. CCCLXXIX. b. ecclesiae Litoviensis sec. XV. — c. bibl. capituli Pragensis sign. G. XXXI. — Item ex apographo Pessiniano in bibl. Duchsov.

CCXXXVII.

Innocentius papa II. Heinrico, Moraviensi episcopo, paganis de Prussia praedicare cupienti, indulget licentiam crucem ante se ferendi. Dt. Laterani II. Kalend. Februarii, 1141.

Innocentius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri *Heinrico*, Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Non decet episcopum ad pascendum gregem dominicum constitutum proprias oues ieiunas relinquere et alienis pabula ministrare. Si tamen paganis de *Pruzia* verbum domini predicare, et eos ad fidem Christi conuertere desideras, et fructum ecclesie dei exinde prouenturum existimas: opus est, ut per episcopatum tibi a deo commissum honestas et discretas personas interim constituas, qui corrigenda corrigant, et que statuenda fuerint, ad honorem dei stabiliant, atque ouibus tibi a deo commissis vite pabula sumministrent. Postmodum vero si tantum laborem ecclesie dei utilem cognoueris, tam sanctum opus auxiliante domino studeas adimplere. Crucem quoque ad memoriam dominice passionis, et inimicos Christi conuertendos in terra illius gentis ferendi ante te fraternitati tue licentiam indulgemus. Denunciato eciam genti illi verbo domini ad populum tibi commissum redire non differas. Datum Laterani II. Kalendas Februarii.

E codicibus Mss. modo citatis.

CCXXXVIII.

Innocentius papa II. Heinrico, Moraviensi episcopo, concedit licentiam praedicandi paganis in Prussia, attamen ut populum suum rebellem reformare non negligat. Dt. Laterani Kalendis Aprilis, **1141.**

Innocentius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri *Heinrico,* Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Qui pastoralis officii regimen in ecclesia dei obtinent, et ad aliorum regimina proponuntur, sollicita debent consideratione perpendere, quod non tantum de propriis, sed etiam de subditorum suorum excessibus reddituri sunt supremo iudici rationem. Quamuis itaque, charissime in Christo frater, populus tibi a deo commissus dure ceruicis sit, tibique rebellis et inobediens existat: valde nobis tibi expedire videtur, ut pro ipsius adhuc salute et admonitione attentius debeas laborare, et quantum in te est, ad viam rectitudinis reuocare. Scriptum namque est: „clama, ne cesses, sicut tuba exalta vocem tuam"; et rursus scriptum est: „si dicente me ad impium: morte morieris, non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, ut auertatur a via sua impia, et viuat ipse impius in iniquitate sua, morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram; si autem tu annuntiaueris impio, et ille non fuerit conuersus ab iniquitate sua, morietur, tu autem animam tuam liberasti." Hinc etiam Ephesiis Paulus dicit: „munde sunt hodie manus mee a sanguine omnium vestrum; non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium dei vobis." Mundus ergo a sanguine eorum non esset, si eis dei consilium annuntiare noluisset; quia cum increpare deliquentes noluerit, eos procul dubio tacendo pastor occidit. Ideoque etsi, quod absit, tuis commonitionibus conuerti noluerint, ipsi in impietate sua morientur, tu vero te ipsum de morte ipsorum eripies. Verum si ad paganos, de quibus nobis significasti, transire, iisque verbum dei et fidem christianam annuntiare discretioni tue videtur utile, nobis placet, ita tamen, ut ad commissum tibi populum quam citius redire non negligas. Datum Laterani Kal. Aprilis.

Ex eisdem Mss. codicibus supra citatis.

CCXXXIX.

Innocentius papa II. clerum episcopatus Olomucensis contra prohibitionem episcopi sui divina celebrantem arguit, monetque ad obedientiam et reverentiam sui episcopi. Dt. Laterani Kalendis Aprilis, **1141.**

Innocentius episcopus, seruus seruorum dei, abbatibus, canonicis et clericis per *Olomucensem* episcopatum constitutis. Quod vos de beati Petri et nostra gratia minime salutamus, non nostre seueritati, sed vestre potius inobedientie et presumptioni est adscribendum. Audiuimus enim, quod tamen valde dolemus, vos in tantum insaniam prorupisse, quod contra prohibitionem venerabilis fratris nostri *Heinrici,* episcopi vestri, diuina officia celebrare presumitis et excommunicatos suos recipere et sacramenta ecclesiastica, que dei sunt, cum eis communicare nullatenus formidatis. Quod quam exsecrabile sit, quantumque animarum vestrarum saluti contrarium, sanctorum patrum decreta manifeste declarant. Ait namque Calixtus papa inter cetera: „excommunicatos a sacerdotibus nullus recipiat, nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut consilio communicet, nec aue eis dicat: quia quicumque in hiis vel in aliis prohibitis scienter excommunicatis communicauerit, iuxta apostolorum institutionem et ipse simili excommunicationi subiaceat. Ab his ergo clerici et laici se abstineant, qui eadem pati noluerint. „Item ex Carthaginensi concilio: „Qui communicauerit vel orauerit cum excommunicato, si laicus est, excommunicetur, si clericus, deponatur. Que cum ita sint, per apostolica scripta universitatem vestram monemus et monendo precipimus, ut de tantis excessibus prefato fratri nostro, episcopo vestro, digne satisfaciatis, et ad ipsius obedientiam et reuerentiam cum omni deuotione humiliter redeatis; alioquin excommunicationis vel depositionis sententiam, quam in vos canonica equitate promulgauerit, beati Petri, principis apostolorum, et nostra auctoritate firmabimus. Datum Laterani Kalendis Aprilis.

Ex eisdem Mss. codicibus supra citatis.

CCXL.

Innocentius II. Heinrico, Morauiensi episcopo, Guidonem cardinalem, legatum ad corrigendas cleri enormitates in has partes missum, recommendat rogans, ut ipsi ope et consilio assistat. Dt. Laterani XII. Kal. Septembris, **1142.**

Innocentius, seruus seruorum dei, venerabili fratri *Heinrico,* Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Diu est, quod fraternitatem tuam in exstirpandis vitiis et fouendis virtutibus valde sollicitam esse et pro christiane fidei religione in partibus illis propaganda te instantius laborare cognouimus. Pro magna itaque, quam de persona tua habemus, fiducia dilectum filium nostrum *Guidonem* diaconum cardinalem, prudentem siquidem et honestum virum, quem pro enormitatibus corrigendis ad partes illas de nostro latere destinamus, dilectioni tue attentius commendamus, rogantes, quatinus sibi diligenter assistas, et in hiis, que ad christiane religionis augmentum et morum correptionem spectare cognoueris, opem et consilium prebeas. Datum Laterani XII. Kalendas Septembris.

Ex eisdem Mss. codicibus supra citatis.

CCXLI.

Conradus, Romanorum rex, confirmat monasterio ***Reichersberg****, possessiones sub testimonio* ***Heinrici****, Olomucensis episcopi. Actum in* ***Ratisbona****, dt. XVIII. Kalendas Januarii,* **1142.**

Chuonradus, Romanorum rex, confirmat possessiones coenobii Reicherspergensis siti in ripa Ini fluminis in regione Norica in comitatu Ekkeberti comitis. Actum in ciuitate *Ratisbona in curia celebri,* cui interfuerunt episcopi: Dietuuinus episcopus, cardinalis s. Rufinae, apostolicae sedis legatus. Heinricus Ratisponensis. Imbrico Vuirzeburgensis. Otto Frisingensis. *Heinricus Olomucensis.* Et laici principes: Marchio Dietpoldus. Otto comes palatinus. Comes Gebehardus de Sulzbach. Comes Adalbert de Pogen. Fridericus aduocatus et alii. Datum XVIII. Kal. Januarii anno MCXLII.

Gewold Chron. Reichersperg. p. 176.

CCXLII.

Conventus in ***Praemonstratensi*** *colloquio congregatus* ***Heinrico****, episcopo* ***Moraviensi****, conventum mittendum disponit, eundemque recommendat.*
1143.

Dei dispositione *Moraviensis* ecclesie merito sanctitatis reuerendissimo episcopo humilis conuentus in nomine domini in Premonstratensi colloquio congregatus, sua et omnium suorum fratrum orationes. Iuste ac religiose petitioni vestre a deo, ut credimus, inspirate deuotus assensus prebendus est, ideoque, quod petitis, nullatenus denegandum est. Et quoniam deo annuente iuxta vestrum desiderium conuentum vobis mittere disponimus, precamur vestram sanctitatem, de qua supra abundanter confidimus, quatenus eundem conuentum manuteneatis, diligatis, confoveatis. Enimuero, quia presentiam vestram nostre humilitatis colloquio representare quandoque desideratis, deum totius boni amatorem exoratum habere preoptamus, ut id ipsum adimplere oportune valeatis. Nos autem speramus in adventu tali, tanti pontificis atque tam religiosi spiritus sancti carismatibus sufficienter et affluenter condonari. Et vos, et ea que, diligitis in Christo veleatis.

E codicibus Mss. n. CCXXXVI. citatis. — In Litoviensi deest. — Excusum dedit Pessina in Phosph. p. 560. et Dobner Mon. I. 397.

CCXLIII.

Heinricus, episcopus Olomucensis, literas fundationis et dotationis monasterii in monte Strahow, ordinis Praemonstratensis, conficit. cc. **1143.**

In nomine domini, Amen. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. *Henricus* Dei gratia Olomucensis ecclesie humilis minister, omnibus christicolis, tam moderni, quam futuri temporis. Cum iuxta egregium apostolum omnis, qui in Christo manere desiderat, sicut ille ambulauit, et ipse ambulare debeat, ut per fidem habitatorem Christum in corde suscipiens, ipse quoque templum Dei et habitaculum Spiritus sancti esse valeat; dignum et iustum est, ut, qui summi capitis membra sunt, uite quoque sanctitate et morum honestate suo capiti conformentur, et spirituali conuersatione unus cum Deo spiritus effici glorientur; habet enim unum quodque christiane religionis propositum plurima sanctorum exempla patrum precedentium, ut alii quidem in monte contemplationis charitate speculande ueritatis mente Deo excedant; alii uero necessitatibus proximorum communicantes necessitate eius, qua proximus diligitur, charitatis ab operibus pietatis non recedunt, que dum fideles quoque largiente Deo sectari emulantur, templum ueri Salomonis de lapidibus, in presenti quidem tonsionibus et pressuris expolitis, non in hac Syria, sed in superna illa Jerusalem sine sonitu mallei et securis quotidie edificantur. Hec itaque diligenter mente recolligens et in uia Dei alios sic, alios autem sic ire perpendens ego *Henricus*, Dei gratia Olomucensis ecclesie minister indignus, inter filios Dei computari desiderans, et pro actis in me diuinitus donis, ratione etiam donorum considerans, quis aptior esset uiuendi modus, sollicita cepi meditatione perquirere, ut beatorum sacerdotum, in quorum ordinem, licet peccatorem, uocauit me Deus, uestigiis possem inherere, in qua profecto cogitatione, in qua feruentis animi estuatione diuina sicut spero inspiratione menti occurrit, ut Jerosolymam causa orationis pergerem, sepulchrum Domini gloriosum ceteraque loca sancta uisitare, et in loco, ubi steterunt pedes eius, Dominum meum Jesum adorare. Cumque aspirante Dei gratia eo peruenissem, et in locis sanctis aliquando tempore commoratus fuissem, illud beati Hieronymi non Jerosolymis fuisse, sed Jerosolymis bene uixisse laudabile est, sepissime mecum replicens Deo, a quo bona cuncta procedunt, inspirante proposui ueterem hominem cum actibus suis exuere, nouum, qui secundum Deum creatus est, in iustitia et sanctitate ueritatis induere et sub regula sancti patris Augustini in habitu religiosorum Deo seruire contendens. Intimato itaque tam domino patriarche, quam cunctis fratribus ad sepulchrum nostri redemptoris in eodem regulari habitu Domino famulantibus mentis mee desiderio, quod desiderabam, inueni, et in loco nostre redemptionis habitum sancte conuersationis suscipiens ad propria remeare contendi. Preerat interim Pragensi ecclesie uenerabilis presul Joannes uite sanctitate conspicuus et uenusta morum honestate precipuus. Hic comperto mee uoluntatis desiderio, ut erat uir religiosus, Deo gratias retulit, predia tectaque ad construendam fratrum eius ordinis habitationem necessaria Deo deuotus primus obtulit, cuius quidem uberiorem bone uoluntatis fructum, etsi mors immatura preripuit, ante oculos tamen diuine maiestatis, cui omne cor patet et omnis uoluntas loquitur, meritum eius, sicut confidimus, non minuit. Subtracto itaque breui temporis interstitio ex hac luce tam duce Bohemorum beate recordationis Sobeslao, quam prememorato uenerabili Pragensi episcopo, in locum eorum legitime subrogati inclytus princeps Wladislaus sedem paterni principatus et dominus Otto uir in Christo reuerendus cathedram Pragensis episcopatus susceperunt, qui sancti Spiritus illustrati gratia diuini operis cultum propensius exequi desiderantes, et in diebus suis tam numero, quam merito populum Deo seruientem augeri gratulantes, principali munificentia locum hunc fundare petierunt, ad quem etiam plurima necessaria tum dominus dux et uenerabilis ac Deo deuota domina ducissa, quam dominus episcopus prenominatus largiflua liberalitate contulerunt, et hec omnia imposterum, ne possent ulla machinatione ab eodem loco alienari, dominus dux edicti principalis tenore et dominus episcopus obtentu perpetui anathematis firmauerunt. Et quoniam dignum erat, ut quemadmodum authore Deo religiosorum uirorum illuc augebatur deuotio, sic, imo amplius sancte conuersationis et monastice perfectionis in eo augeri deberet religio, sollicita cepi meditatione perquirere, unde tales eidem loco Domino largiente persone prouiderentur, quorum exemplo et documentis ceteri facilius informarentur. Cum autem de Steinfeldensi cenobio crebro opinio insonuerat, et tam dominum prepositum, quam omnes fratres sub regula beati Augustini Domino ibidem militantes, inter etiam precipuos eiusdem ordinis uiros uelut luminaria in firmamento celi rutilare, nobis notificauerat, ut de eorum beata ac Deo grata societate abbatem cum conuentu mererer habere, desideraui, dominum prepositum rogaui et impetraui, quibus eiusdem loci regimen Domino auctore commendaui, et ut omnis tam terre nomine principum, quam ceterorum Christi fidelium bonorum eidem loco donatio et etiam pretaxata nostre humilitatis ordinatio perpetuo rata fieret, domini nostri sancte apostolice sedis summi pontificis authoritate confirmari et obtentu sempiterni anathematis roborari petii et impetraui. Donatio autem huius ecclesie hec est: Joannes, Pragensis episcopus, dedit patrimonium suum totum, quod habuit in uilla Lochmintz, et quod ibidem emit a cognatis suis Msten et filiis suis et ab aliis cognatis, et terras, quas acquisiuit a pio duce Wladislao et Ugezd, que Kalika dicitur; Lusane tota uilla cum tota silua Messny, et ibidem Vgezd usque ad custodiam, quod uulgariter dicitur strasa, videlicet patrimonium, quod emit ibidem a Benes filio Marci; Cirnoticih, quantum habuit; Rassine totam uillam cum silua; ibidem equas dedit, quas dicimus emissarias; Trebnussy etiam ad aratrum; Gocicih dimidiam uillam Gradisste et siluam Hudonicih, quod habuit, et in eadem uilla Mizlibor et uxor eius dederunt terram ad tria aratra. Idem episcopus Lubuici dedit, quidquid habuit, Janoseuicich totam uillam, Zedelisti terram, Konicich terram Joannis episcopi familia: Mutis, Radol, Janitcha, Ratua, Malana, Manka, Bogumila, Mosna, Milgozt, Branka, Cykta, Agna et septem alii. Hec autem sunt, que dux Wladislaus pius et magnificus institutor clericalis castimonie per totam Bohemiam cum coniuge sua domina Gertrude, pia matr eclericorum, monialium et orphanorum, dedit pro remedio anime sue fratribus et sororibus famulantibus Deo et sancte Dei genitrici sanctoque Augustino ducentos denarios de moneta omni die Sabbathi. Curiam suam Raduniec cum omnibus appenditiis suis, videlicet uillis, suis ancillis et aliis dominiis eo pertinentibus. Nomina uero seruorum hec sunt: Buss, Milon, Bles, Onata, Lesan, Bun, Brugan, Jacob, Bohdan, Oscy pastor equorum, Colek sator, Modlak, Nedoma, Lubata, Radosta faber, Dedon, Wrat torneatores picariorum, qui sunt in eadem uilla, uoluntarie se seruitio subdiderunt, Cira, Bata, Zudar, Bohdan, Bozpor, Gogil hortulanus, Stikon, Bohuta, Zobeslau. Hii uero sunt babulci: Budata ipse est quintus, Peztek ipse quartus, Vteh ipse tertius, Zwak ipse quintus, Luten ipse tertius, Gelissa, Mikec, Bulla ancilla, Nadey, Bohdan. In uilla Strassicih quatuor terre, Nagonicih terra, Griceticih uiginti terre, Sbirne similiter arator et sex terre. Idem etiam dux dedit Cisca uillam pro anima Michaelis et Lassouici serui; dedit etiam Ugonenici cum familia hac: Bel ipse quintus, Kadac, Poztan ipse quintus, Kryssan ipse octauus, Modlibohus ipse quartus, Gropon, Casta, Dobrotag, Bohdan ipse quartus, Bohdana ancilla ipsa tertia, Lizzec ipse quintus, Borek ipse secundus, Vacemil, Dalata ipse quintus, Premil ipse quintus, Beska ipse quartus, Milleiss, Nutil ipse quartus, Pomnen, Krasky ipse quartus; uillam Golonizich et Golossicich cum luco uno, starakonopnic, quas uillas pater eius emit . . .

E copia sec. XVII. in arch. Gradice. — Annal. ord. Praemonstr. II. DLIX.

CCXLIV.

Conradus, Romanorum rex, recipit monasterium Urspergense in suam protectionem sub testimonio Heinrici, Moraviensis episcopi. Act. pridie Nonas Septembris, dt. Vlmae, 1143.

Covnradus, Romanorum rex . . recipit fratres preposture in Ursperg in suam protectionem . . testes Waltherus Augustensis episcopus. Hermannus Constantinus episcopus. *Haeinricus Morabiae episcopus.* Willehalmus Apulie episcopus. Adelbertus abbas Eleuuangensis. Ruopertus abbas Othenbuiron. Gotheshalcus abbas Echenbrunnon. Dux Fridericus filiusque eius Fridericus. Rovdolus comes Brigantinus. Theobaldus comes. Adelbertus comes. Hugo comes ect. . . . Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCXLIII. quinto ordinationis (Conradi regis), indictione VI. pridie Nonarum Septembrium. Data *ulme* per manum arnolphi cancellarii.

Monumenta boica Vol. XXIX. T. I. 280.

CCXLV.

Miroslaw, e primatibus Boemiae, persuadente Heinrico, Moraviae episcopo, fundat et dotat monasterium ord. Cisterciensium Sedlecense. **cc. 1143.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Notum sit omnibus Christi fidelibus tam futuris, quam presentibus, quod regnante domino Vladislao Boemiorum duce serenissimo cum uxore sua nobilissima domina Gertrude quidam de primatibus Boemie Miroslaus nomine diuino monitus partim timore et amore, saluti sue volens consulere, cum sepius et a sapientioribus et etate prouectioribus audiuisset, sine cultu vere religionis nec charitatis unitatem posse subsistere, nec Deo gratum exhiberi seruitium: statuit se religiosas personas diligere, et earum quieti auxiliante domino prouidere. Consideratis ergo sanctorum virorum secundum diuersam professionem variis conuersationibus, ad unius tamen domus celestis patris mansiones tendentibus, delegit de ordine Cisterciensium aliquot fratres mediatores sibi cum Christo procurare. Hoc ergo pio ac sancto voto de die in diem magis ac magis per gratiam sancti Spiritus incalescente de claustro Waltsaxen conuentum fratrum sibi impetrauit committi. Cuius petitioni sancte conuersationis venerabilis abbas Gerlacus acclinatus conuentum fratrum in Bohemiam direxit, quibus sancto desiderio susceptis prefatus dominus Miroslaus consentiente et attestante predicto venerabili duce Boemie Vladislao, et reuerendo Ottone Pragensium episcopo canonica auctoritate confirmante, presuadente etiam et adtestante venerabili domino *Heinrico Morauiensium episcopo*, locum, qui dicitur Sedlecz, cum omnibus, que adtinent, Deo et sancte Dei genitrici Marie in usus fratrum predictorum in perpetuum libere dedit. Inprimis siquidem statuens, ut ordo monachicus secundum beati Benedicti regulam, et patrum Cisterciensium institutionem perpetuis ibi temporibus inuiolabiliter conseruetur. Succedente ergo temporis opportunitate diuina gratia auxiliante fundata est in Sedlecz ecclesia diuino seruitio apta, et ei ordini congrua. Cui a primo fundationis sue exordio possessiones, quarum nomina infra continentur ad usus ipsius ecclesie et fratrum ibidem Deo deseruientium libere sine ullius reclamatione collate sunt: Solnic, Hothouici, Podollani cum omnibus appendiciis suis. Gradische cum aqua, pratis et silua. Sdebudici. In Pobor curia cum terra. Odolen et terra Donati. Bilani, Maleiouici, Lubenici, Glusow et Cacin cum omnibus attinentiis suis usque ad riuulum circa Porram siluam fluentem. Ceterum ut bonum principium finis melior consequatur, prefatus Miroslaus totis visceribus intentus in posterum quoque predicte ecclesie prouidere, cum unicum haberet filium, constituit, ut si hic filius sine filio herede moreretur, vel etiam in posterum deficiente in linea filiorum herede sine cognatorum, vel consanguineorum contradictione tota eius hereditas ad usus ecclesie in Sedlecz reuertatur. Hoc etiam Dersislaus, Miroslai fororis filius, nullum habens filium de sua hereditate constituit. Diuino ergo amore inflammati tam uenerabilis dux, quam reuerendi patres episcopi dominus Otto Pragensis, ac uenerabilis *Heinricus Morauiensium* episcopi, cuius prudenti consilio Boemia decorata regebatur decreuerunt, ut nulli omnino hominum liceat prefatum locum temere perturbare, aut eius possessiones auferre vel minuere, vel etiam ullatenus inuadere, vel ullis vexationibus fatigare; sed omnia integra conseruentur et illibata permaneant, tam ipse locus, quam possessiones et omnia quecunque illius loci ecclesia ab initio libere possedit, aut in futurum concessione pontificum, largitione principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante Domino poterit adipisci. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona predictam ecclesiam, vel eius possessiones inquietare temptauerit, ream se diuino iudicio de perpetrata iniquitate cognoscat. Cunctis autem iam sepe dictam ecclesiam, vel eius possessiones tuentibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructus bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne beatitudinis inueniant. Ut autem hec constitutionis et priuilegii pagina rata permanens omni ambiguitate careat, iam sepius dicti fideles serui Christi dux videlicet et venerabiles patres episcopi sigillorum suorum notis confirmauerunt.

Dobner Annalium T. VI. pag. 284.

CCXLVI.

Guidonis, legati apostolici, relatio ad pontificem de reconciliatione ducum Moraviae cum duce Boemiae, et de correctione cleri per Boemiam et Moraviam. 1143.

Ego Guido, cardinalis diaconus sancte Romane ecclesie et apostolice sedis legatus in Boemiam destinatus, iuxta Boemiam in orientali marchia moram feci, neque volens, neque potens tunc Boemiam ingredi propter guerram, que in ea grassabatur, sub qua non solum pax populorum, sed etiam status ecclesiarum grauiter periclitabatur. *Morauienses* enim, qui sunt sub duce Boemico, propter suam culpam ab episcopo suo canonice fuerant excommunicati. Quia ergo non est opus valentibus medico, sed male habentibus, primo ad Morauienses accessimus, et eis verbum pacis et salutis annuntiare curauimus. Illi vero, quia erant excommunicati, primo absolutionem petierunt et satisfactionem condignam patri suo promiserunt. Nos autem, quia fallere noluimus et falli timuimus, ad excludendas omnes astutias eorum, iuramentum satisfactionis et obedientie ab eis requisiuimus: quod licet inuiti tandem, prout nobis placuit, sacrosanctis euangeliis, sanctorum reliquiis tactis perfecerunt; et sic satisfactione, quam iurauerunt, usque ad presentiam episcopi eorum dilata, Pataniam iuimus et illuc dominum *Olomucensem* episcopum ad nos vocauimus. Et eo deducente Pragam venimus, et ibi Morauiensibus, videlicet *Wratizlao et Cunrado et Ottoni* gratiam ducis acquisiuimus. Hiis itaque peractis et bona voluntate ducis in assensum nostrum prouocata, ad exstirpanda clericorum vitia in quantum valuimus, diuina adiutrice gratia operam dedimus. Et primum in Pragensis ecclesie prepositum Juratam, assistentibus nobis episcopis, adiuvante etiam nos viriliter duce Wladizlao christianissimo, sub testimonio multorum fidelium sententiam depositionis dedimus, et prebendam ei abstulimus, quia sine omni ordine clericali manens adhuc laicus erat, et uxorem habens, eam dimittere noluit nec potuit, quia illa consentire noluit. Similiter eiusdem ecclesie decanum Petrum a decania et archidiaconatu atque omni altaris ministerio in perpetuum alienauimus, atque prebendam ei abstulimus, quia trigamus erat, et simonie multimoda infamia respersus. Sebastiano etiam prebendam abstulimus, quia laicus erat et uxorem habebat; et multos alios in eadem ecclesia, qui infames erant, deposuimus et honoribus ecclesiasticis priuauimus. Wissegradensis ecclesie prepositum Hugonem deposuimus, et ab omni altaris ministerio in perpetuum alienauimus, atque prebendam ei abstulimus, quia bigamam uxorem habens laicus fuit. Magistrum etiam eiusdem ecclesie Heinricum de terra expulimus, quia presbyter erat et uxorem ibi duxerat, et insuper etiam monachus in terra sua fuisse dicebatur, et sine formata in Boemiam venerat. In *Morauia* etiam *Olomucensis* ecclesie decanum *Thomam* et magistrum *Milgost* pro fornicatione deposuimus. In tota etiam Boemia et Morauia bigamos et viduarum ac repudiatarum maritos in clero inuentos deposuimus, et ab omni altaris ministerio semotos permanere statuimus; concubinarios publicos in subdiaconatu, diaconatu, presbyteratu inuentos, ecclesiasticis beneficiis et officiis priuauimus; reliquos etiam altaris ministros incontinentes, videlicet subdiaconos, diaconos, presbyteros a sacri altaris ministerio alienauimus. Ad singula vero sententiarum nostrarum capitula patrum decreta nobis fauentia recitari fecimus, ut, quod agebatur, staret firmius. Ad hec episcopis precepimus, ut in parochiis suis plebales ecclesias distinguant. Preterea quia multos inuenimus illic presbyteros ad nullos certos titulos ordinatos, ac per hoc multas enormitates emersisse agnouimus, precepimus eis, ut sicut in canonibus mandatur, nullus altaris minister absque certo titulo deinceps ordinetur.

E cod. Mss. supra citatis Olomucensi et Pragensi. — In Litoviensi decst.

CCXLVII.

Wladislaw, Boemorum dux, ecclesiae Olomucensi castrum Podiwjn restituit confirmatis juribus et libertatibus super eodem, aliisque additis. **1144.**

C ✝ In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Wladizlavs bohemorum dvx omnibvs christicolis tam moderni quam futuri temporis. Cum omnis potestas que iuxta apostolum non nisi ex deo est. propensiori sollicitudinis uigilantia ad hoc eniti debeat. ut cum omnium tum precipue ecclesiarum dei iura. et integra conseruare. et que conuulsa sunt ad equitatis normam deo auctore reformare ualeat. ut pro amministratione regiminis momentanei potestatum omnium datori merito conplaceat. Nos quoque decorem domus dei et locum habitationis glorie sue diligentes. ecclesiis dei in terra nostre dicionis constitutis sua iura inuiolata conseruari uolumus. et si quid aliquorum malicia uel ignorantia. uel etiam negligentia minus cautum est ad statum iusticie nostris temporibus reduci desideramus. Qua de re etiam sanctam olomucensem ecclesiam super castro **PODIVIN** quod in Morauia situm est. sepe apud predecessores nostros boemorum duces. et quod maius est apud apostolicam sedem querimoniam mouisse cognouimus. et idem castrum ex antiquo iuris sui fuisse. sed postea lite quidem tantummodo contestata sed nullomodo decisa in ius pragensis episcopi nescio qua ratione transisse comperimvs! primum quidem diuine iusticie intuitu. ac deinde uenerabilis uiri domini **HEINRICI** olomucensis episcopi interuentu predictum castrum olomucensi ecclesie restituimus. et ne ulla super hoc pragensi ecclesie posset deinceps oriri reclamatio competens pro libitu domini **OTTONIS** pragensis episcopi concambivm **SELEV** scilicet cum appendiciis suis pragensi ecclesie principali munificentia contulimus. ut et olomucensis ecclesie diuturna querela iusto exitu terminata sopiretur. et ecclesie pragensi nichil super hoc diminutum uideretur. Jura quoque antique institutionis super eodem castro reformare intendentes. monetam ut primo fuit inibi fieri statuimus. insuper liberali munificentia concedentes principali auctoritate roborauimus. ut predicte olomucensis ecclesie homines. siue sint liberi siue serui cuiuscunque conditionis. cuiuscunque etatis aut sexus. tam in domini **WRATIZLAI.** quam domini **CVONRADI.** necnon domini **OTTONIS** terra commorantes. ab eorum successorumque ipsorum **MORAVIE** principum potestate et dominio sequestrati ac penitus religati nullis tributorum. uectigalium. ceterorumque huiusmodi exactionibus grauari debeant. ab omni infestatione et uexatione principum terre illivs liberi permaneant. Nullus eos pro castrorum que in terra illa sita sunt reedificatione. nullus pro ingruenti aliqua expeditione inquietare audeat. sed ab omni prorsus munerum executione liberi. ea tantum que uenerabili patri nostro domino **OLOMVCENSI** episcopo **HEINRICO** qui in presentiarum habetur eiusque successoribus substituendis inperpetuum comoda uisa fuerint exequendi liberam facultatem habeant. Vt autem hoc nostre constitutionis donum amodo et deinceps auctore deo ratum habeatur perpetui anathematis obtentu ab utroque episcopo firmari rogauimus. scriptique presentis tenore. et sigilli nostri impressione. simul etiam nobilium nostrorum ceterorumque testium annotatione roborari fecimus. Quorum nomina sunt hec Otto Pragensis episcopus. Daniel pragensis prepositus. Boguzlau Wissegradensis prepositus. Groznata Melnicensis. Sebastianus Luttomericensis. Heinricus pragensis decanus et Damianus Wissegradensis. Pula prepositus de sacceska. Magnus custos ecclesie sancti Wenceziai. Mahfridus archipresbyter. Ovdalricus archipresbyter. Mladota archipresbyter. Zuac archipresbyter. Perhtoldus archipresbyter. Ippolitus archipresbyter. Paulus archipresbyter. Spitigneu filius ducis boriwoy. Heinricus. Depoldus. et Wladizlau. filius Zobezlai ducis. Comes Dirsizlau. Mirozlau. Casta. Zobezlauec. Cvonradus dapifer. Budizlau pincerna. Roprabt. Beness. Zuoysa. Zlaua cum filio branis. Zbrazlau. Bauor. Ztrezimir. Mztigneu. Marquart de dubraua. Budiss. Zauissa. Nacas. Jurik agaso. Bun cum fratribus Pribran et Bicen. Nemoy. Jarogneu. Hwalek. Wecel. Girdebor. Olen. Zveyzlau. Wilalm. Wacek. Jarogneu de satec. Welizlau filius petri.

Ex originali in archivo archiepisc. Olomucii. — Excusum incorrectius dedit Richter in Serie episcop. p. 289. e cod. sec. XIV. capit. Olomuc. — Item transcriptum est in cod. sec. XIV. in arch. archiepiscopali Cremsirii.

CCXLVIII.

Wladislaw, Boemorum dux, confirmat ecclesiae Olomucensi circuitum „Lubac" cum silva, ejusque terminos et libertates diffinit. **1144.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Wladizlaus dei gracia bohemorum dux. Cum principalis sit prouidentie acta suorum temporum ad suorum successorum memoriam deferre. et ea precipue que libertati prospiciunt ecclesiastice. Nouerint tam presentes quam futuri. quod nos ad petitionem uenerabilis episcopi olomucensis *Heinrici circuitum de Lubac* quem tempore reuerendi Johannis eiusdem ecclesie episcopi dux Zobezlaus bone memorie iam dicte ecclesie contulerat. confirmauimus ei et eius successoribus perpetua pace possidendum. Erat autem circuitus ille datus a prenotato principe cum assignatione cirotece in silua. que interiacet inter Cazlauensem et *Brinensem* prouinciam. in cuius parte habitabant homines. qui vulgo ztras appellantur. quorum erat officium quandam uiam custodire. ne cui per eam sine speciali mandato principis pateret transitus terram bohemie ingrediendo uel exeundo. ita ut hoc obsequio dediti cum aliis hominibus de *Jesulboricensi* circuitu a nullo principe pro castrorum edificatione uel imminenti expeditione inquietarentur. Sed ne posteris eiusdem circuitus mete uenirent in dubium uel alicuius uiolencia predictam ecclesiam super eodem impediret. eas presenti pagina fecimus adnotari. Sunt autem hee: Camenica ex una parte. ex alia uia Lubetina. uersus Morauiam aqua que dicitur *Ozlaua.* in bohemia Palaua. Insuper principali munificentia omnibus hominibus Olomucensis ecclesie in terra bohemie degentibus eandem concessimus libertatem quam habent in aliis priuilegiis nostris expressam. scilicet ut ab omni liberi sint iure vel exactione. quod ad principis spectat utilitatem. Omnes autem possessiones a principibus eidem ecclesie collate uel conferende siue per eiusdem ecclesie antistitem uel eius successores in posterum requirende eadem gaudeant libertate. Vt autem hec nostre confirmationis pagina deinceps non irritetur quolibet ausu temerario. contra eam uenientes tam a pragensi quam ab olomucensi episcopo fecimus excommunicari. et presens scriptum nostro sigillo muniri subscriptorumque testium adnotacione roborari. Quorum nomina sunt hec. Otto Pragensis episcopus. Daniel pragensis prepositus. Boguzlau Wissegradensis perpositus. Groznata Melnicensis. Sebastianus Luttomericensis. Heinricus pragensis decanus et Damianus Wissegradensis. Pula prepositus de sacceska. Magnus custos ecclesie sancti Wencezlai. Mahfridus archipresbyter. Ovdalricus archipresbyter. Mladota archipresbyter. Zuac archipresbyter. Perhtoldus archipresbyter. Ippolitus archipresbyter. Paulus archipresbyter. Spitigneu filius ducis boriwoy. Heinricus. Depoldus. et Wladizlau. filius Zobezlai ducis. Comes Dirsizlau. Mirozlau. Casta. Zobezlauec. Cvonradus dapifer. Budizlau pincerna. Roprabt. Beness. Zuoysa. Zlaua cum filio branis. Zbrazlau. Bauor. Ztrezimir. Mztigneu. Marquart de dubraua. Budiss. Zauissa. Nacas. Jurik agaso. Bun cum fratribus Pribran et Bicen. Nemoy. Jarogneu. Hwalek. Wecel. Girdebor. Olen. Zveyzlau. Wilalm. Wacek. Jarogneu de satec. Welizlau filius petri.

E codd. Mss. sec. XIV. privilegiorum episcopatus Olomucensis, I. capituli Olomuc. et II. archiepiscopali Cremsirii. — Item e confirm. Ludovici regis in archivo archiepisc. Olomucii. — Excusum incorrectius apud Richter in Serie episcop. Olomucensium p. 292.

CCXLIX.

Conradus, Romanorum rex, ecclesiae Olomucensi confirmat restitutum castrum Podiwjn cum libertatibus super eodem. Dt. apud Babenberg.

1144.

C ✝ In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Cuonradus diuina fauente clementia Romanorum rex secundus. Iusticie diffinicio est. constantem ac perpetuam habere uoluntatem tribuendi unicuique. quod sibi iure competit. Quam uirtutem cum omne hominum genus partim a natura. partim institutis legalibus edoctum colere semper et exercere habeat. precipue tamen regie dignitati congruit. talem animi habitum immutabilis induere. eis tamen personis nostra in omni pietatis et equitatis defensione dignacio propensiorem debet adhibere beneuolenciam. que diuinis sincerius sunt mancipate obsequiis et nobis in administracione regni sollicite agentibus et operacionis munere beneficis et ueracis consilio. subsidio et indefessi laboris studio assistunt. Ea propter reuerende pater *Heinrice* Olomucensis presul. quem ob religionis immaculate meritum preceptorem et tanquam mediatorem in hiis. que ad dei cultum principaliter pertinent. pre omnibus regni nostri pontificibus elegimus. per presentis precepti paginam reddimus tibi et per te *Olomucensi* ecclesie tuisque catholicis successoribus in perpetuum confirmamus castellum *Podiuin* cum omnibus suis pertinenciis. cum omni integraliter potestate. vtilitate et fructu qui exinde prouenire nunc et in omne tempus potest ut ecclesie Olomucensis pontifices habeant. possideant libere et absque ullius contradiccione utantur ac disponant. Sane ipsum castellum Podiuin possessionesque et res ad ipsum appendentes antiquo tempore Olomucensis retinuit ecclesia. sed temporum ac rerum perturbacione oborta Pragensis ecclesia predictum castellum occupauit et usque ad nostra tempora tenuit. cum tamen crebris interpellacionibus Olomucensis ecclesia tam aput regni tribunalia. quam aput catholicorum concilia querimoniam uentilasset. Verum cum utrobique causa perspicue cognita lisque decisa et possessio ecclesie Olomucensi adiudicata esset. Pragenses tamen tocius iuris neglecto suffragio iniuria persistebant. Ceterum nostra urgente iussione fidelis noster dux boemie Ladizlaus. facta sufficienti pro hoc et grata commutacione cleri Pragensis et fidelium suorum predium *Seleu* et omnia que ad ipsum pertinent. ut omnis de cetero lis inter episcopos Olomucensem et Pragensem de castello Podiuin penitus sopiretur et ecclesia Olomucensis perpetue in quiete possessionis priuilegio potiretur exclusa in perpetuum omni super eodem castro et bonis ad eum pertinentibus Pragensis ecclesie querimonia. Ad cumulandam uero nostre deuocionis beneuolenciam in eodem castro percussuram monete publice tibi concedimus et confirmamus. super quo regia auctoritate precipimus. ne quis dux aut comes eam interdicere aut corrumpere ullo modo audeat. penam a nostra maiestate debitam suscepturus. qui aduersus nostra instituta uenire ausu temerario temptauerit. Omnem uero episcopii tui familiam siue serui sint siue coloni siue scripticii utriusque videlicet sexus et omnis etatis personas sub tue tuorumque successorum potestatis dominio et ordinacione ac iuridiccione manere decreuimus. ut nullius dignitatis uel conditionis homo a sua eos quiete et immunitate ulla ualeat exaccione uel uiolencia perturbare. Si quis uero. quod absit. hanc nostram confirmacionem infringere temptauerit. C libras auri purissimi componat. quarum partem dimidiam camere nostre. reliquam uero prefate ecclesie Olomucensi persoluat. Vt autem hec pagina firma et inconuulsa omni deinceps tempore permaneat sigilli nostri impressione eam insigniri iussimus. manuque propria ut infra uidetur corroborantes. Qui presentes aderant testes subter notari fecimus. Quorum nomina hec sunt: Fridericus Magdeburgensis archiepiscopus. Bucco Wormaciensis episcopus. Sifridus Spirensis episcopus. Embricho Wirzeburgensis episcopus. Eilbertus Babenbergensis episcopus. Vddo Cicensis episcopus. Otto Frisingensis episcopus. Wicherus Brandenburgensis episcopus. Heinricus Ratisponensis episcopus. Wibaldus Stabulensis abbas. Fridericus dux Sueuorum. Adalbertus marchio de Brandenburch. Cuonradus marchio de Misin. Otto palatinus comes de Witelinesbach. Dietpoldus marchio de Voburch. Geuehardus comes de Sulzebach. Fridericus aduocatus Ratisbonensis. Hermannus comes de Cuich. Adolphus comes de Montibus. Vthelricus comes de Lencebroch. Bertolphus comes de Andessa. Godefridus castellanus de Nurinbergh. (Signum domini Cuonradi Romanorum regis secundi.) Ego Arnoldus cancellarius vice Heinrici Moguntini archiepiscopi et archicancellarii recognoui. Anno dominice incarnationis millesimo centesimo quadragesimo quarto. indictione sexta. regnante Cuonrado Romanorum rege secundo. anno uero regni eius septimo. Data est apud Babenberg in Christo feliciter. Amen.

Ex eisdem fontibus modo citatis. — Excus. apud Richter ibidem.

CCL.

Lucius papa II., Heinricum, Olomucensem episcopum, propter quaedam ecclesiastica negotia Romam evocat. Dt. Laterani VI. Idus Julii, 1144.

Lucius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri *Heinrico,* Olomucensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Fraternitatis tue litteras debita benignitate suscepimus, et super hoc, quod ex ipsarum inspectione de nostra promotione te letari intelleximus, gratum habemus, licet ipsa promotio et officii dignitas nullam nobis quietem vel mentis tranquillitatem conferat, immo curas et sollicitudines, labores quoque et tribulationes nobis quandoque augeat. Nos quidem personam tuam ante hoc officium sincero affectu dileximus, et nunc affectuosius diligere volumus, et in quibus secundum deum possumus, honorare. Tua itaque interest, in hiis, que ad officium tuum pertinent, ita temetipsum laudabiliter exercere, et ad honorem et exaltationem matris tue sancte Romane ecclesie studiose intendere, ut deus exinde honoretur, et eadem Romana ecclesia de tua deuotione letetur. Preterea quoniam in quibusdam negotiis ecclesiasticis tue discretionis opus habemus consilio, per presentia tibi scripta mandamus, ut presentiam tuam quam citius nobis exhibeas. **Datum Laterani VI. Idus Julii.**

E codicibus Mss. n. CCXXVI. citatis. — In Litoviensi deest. — Excusum dedit Pessina in Phosph. p. 560. et Dobner Mon. I. 379.

CCLI.

Lucius papa II. Heinricum, Olomucensem episcopum, iterato Romam evocat. Dt. Romae XIII. Kal. Septembris, 1144.

Lucius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri ***Heinrico,*** Olomucensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Fraternitatis tue litteras debita benignitate suscepimus, et que in eis continebantur, diligenter attendimus. Vnde quemadmodum per alia tibi scripta mandauimus, iterato mandamus, ut quam citius poteris, presentiam tuam nobis exhibeas. Et tunc tam de his, que nobis significasti, quam de aliis, de quibus tecum loqui volumus, per te veritate plenius cognita, quod statuendum fuerit, auctore domino statuemus. **Datum Rome XIII. Kal. Septembris.**

Ex eisdem codicibus Mss. supra citatis.

CCLII.

Lucius papa II. mandat Ottoni episcopo Pragensi, ut monasterium Raygradense adversum Wratislaw, ducem Brunensem, et alios nobiles tuetatur. **1144.**

Lucius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri Ottoni, Pragensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Conquerentes nobis transcripsere litteras dilecti filii . . . abbas et fratres eiusdem de Brevnov, quod sibi per laicas personas videlicet *Wratizlaum* ducem et nonnullos nobiles terre eiusdem rapiendo et detinendo bona monasterii *Raygradensis,* quod eorum esse dinoscitur, non modice iniurie et dampnationes inferantur. Quapropter fraternitatem tuam hortamur ect.

E cop. sec. XIV. in archivo archiepiscopali Olomucii.

CCLIII.

Otto, dux Olomucensis, unacum Heinrico episcopo vitae discrimen elapsus monasterium Litomyšlense, ordinis Praemonstratensis, ab eodem episcopo fundatum villis Pamětice, Wažan et Řicowice aliisque proventibus in Moravia dotat. Actum Litomyšlii mense Februario, **1145.**

In nomine sanctissime trinitatis et indiuidue unitatis. *Otto* dei gratia *dux Olomucensis* notum facimus uniuersis tam presentibus, quam futuris huius scripti tenorem intuentibus imperpetuum. Quum me unacum reuerendo in Christo patre domino *Zdicone, episcopo Morauiensi,* protegente omnipotentis Dei prouidentia et misericordia manus inimicorum nostrorum sanguinolentas uiteque discrimina effugere contigerit, ad altare diui Wenzezlai in ecclesia *Lutomuslensi* genibus prouolutus, gratiis quoque feruentissimis peractis, domino *Joanni* abbati et fratribus suis ibidem servitio diuino mancipatis, et nouissime per eundem dominum episcopum fundatis, largam elemosynam conferre deuoui, hac conditione interposita, ut diu noctuque omnipotenti Deo, qui nos neci inopinate eripere est dignatus, gratias agere profundissimas, eum venerari, laudare, ac pro nostra sospitate exorare non cessent. Contuli itaque de bonis proprietatis mee uillam *Pamyetici* cum terra ad octo aratra et sylua adiacente. Familias dedi Jutrik cum filio Lubos. Janec. Sdata. Bolehna cum filio Vnata. Velik cum filiis Jarohneu et Zbizlau. Deda. Milgost. Dobrata cum filia Zdena. Dedi quoque fabrum nomine Nema. Dedi custodem vaccarum Niney nomine. In villa *Wazane* dedi tres araturas cum decimis ville ibidem et familias Olek cum filiabus. Queta cum filio Samota. Ludek cum filiis Hual et Petro. In *Richouici* dedi terram ad duo aratra. Dedi ibidem seruientes Hual. Ludzlau. Vaurik. Dedi custodem silue, nomine Jan, quam siluam emeram ab Hermanno milite nostro, et eisdem fratribus contuli. Dedi etiam sextum denarium thelonei in *Geuich* et de ponte in *Letouichi;* pro quibus uero nobilis noster Emerammus, filius Bozek, domino abbati in Wazane terram unius aratri, in Richouici ad duo aratra, et in *Sudici* ad duo aratra cum ministerialibus ibidem uice concambii de nostro accedente fauore contulit. Et ego Heinricus, VII. episcopus Morauiensis, tam largam pie liberalitatis donationem illustris domini Ottonis, principis Morauiensis, auctoritate diuina sub anathemate firmaui in eternum. In robur perpetue firmitatis presens pagina sigillis domini ducis Ottonis et domini episcopi est communita. Actum in *Lutomusle* mense Februario, indictione VIII. presentibus testibus, qui sunt hii. Comes Petrus. Comes Preduoy. Emeramus. Suda. Prostey. Slaua. Grabise. Protiuen. Jarey. Lubgost. et alii quam plures. Datum per manus Friderici capellani nostri. Amen.

E copiario Ms. sec. XIII. archivi quondam Gradicensis descr. Friebek.

CCLIV.

Eugenius papa III. suscipit ad preces Heinrici, Moraviensis episcopi, monasterium s. Georgii Pragae in sedis apostolicae protectionem, ejusque possessiones confirmat. Dt. Viterbi III. Kal. Maji, **1145.**

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, dilectis in Christo filiabus Berte abbatisse sancti Georgii, eiusque sororibus tam presentibus quam futuris regularem uitam professis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem prebere consensum, ut fidelis deuotio celerem sortiatur effectum. Eapropter, dilecte in Domino filie, pro his, que de religione et honestate uestra per venerabilem fratrem nostrum *Henricum, Morauiensem episcopum,* religiosum et honestum uirum intelleximus, preces ipsius pro uobis paterna benignitate admittimus, et beati Georgii ecclesiam, que in Pragensi ciuitate sita est, in qua postpositis secularibus et mundi illecebris pro celestis regni desiderio incluse diuino vacatis seruitio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quecunque bona ex dono uel concessione nobilis uiri Wladizlai, Boemorum ducis, in presentiarum iuste et canonice possidetis, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis deo propitio poteritis adipisci, firma uobis uestrisque succedentibus et illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, uel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conseruentur uestris et aliorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, vsibus omnismodis profutura, salua sedis apostolice auctoritate, et Pragensis episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisque persona hanc nostre concessionis paginam sciens temere contra eam uenire, et inclusionem uel quietem uestram perturbare temptauerit, secundo tertioque commonita si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine dei et domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. amen. amen. amen.

(L. M.) Ego Eugenius catholice ecclesie episcopus subscripsi.
† Ego Conradus Sabinensis episcopus ss.
† Ego Theodewinus sancte Rufine episcopus ss.

(L. M.) Ego Gregorius presbyter cardinalis tituli Calixti subscripsi.
† Ego Guido presbyter cardinalis tituli sancti Crisogoni ss.
† Ego Thomas presbyter cardinalis tituli Vestine ss.
† Ego Gregorius diaconus cardinalis ss. Sergii et Bachi ss.
† Ego Otto diaconus card. s. Georgii ad uelum aureum ss.
† Ego Guido diaconus cardinalis ss. Cosme et Damiani ss.
† Ego Octauianus diac. card. s. Nicolai in carcere Tulliano ss.
† Ego Johannes diaconus cardinalis sancti Adriani ss.

Datum Biterbi per manum Roberti sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis et cancellarii IIII. Kalendas Maii. Indict. VIII. Incarnat. dominice anno MCXLV. Pontificatus uero domini Eugenii III. pape anno I.

Originale in arch. c. r. aulico Vindobonae — Excusum fragm. dedit Hammerschmidt in Historia s. Georgii p. 64.

CCLV.

Eugenius papa III. mandat episcopo Pragensi et duci Boemorum, ut Conradum, Wratislaw, et Theobaldum duces eorumque complices excommunicatos ad satisfactionem episcopo Moraviensi compellant. Dt. Viterbi Nonis Junii, 1145.

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri Ottoni, Pragensis episcopo, et dilecto in Christo filio *Wladizlao,* illustri Boemorum duci, salutem et apostolicam benedictionem. A sede apostolica statutum est, ut si quis suadente dyabolo huius sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathemati subiaceat, et nullus episcoporum illum presumat absoluere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui presentetur, et eius mandatum suscipiat. Peruenit ad nos, quod quidam parochiani venerabilis fratris nostri *Heinrici,* Morauiensis episcopi, dyabolico instinctu, dum ad sanctam Romanam veniret ecclesiam, personam suam ausu sacrilego inuaserunt. et bona sua auferre nullatenus timuerunt. Vnde nos, quorum precipue interest, tantum sacrilegium et tam grauem excessum impunitum non pretermittere, eosdem sacrilegos, videlicet *Conradum, Wratizlaum, Depoldum. Juratam, Domazlaum, Slauibor, Vgonem, Crnonem, Micul, Groznatam, Rodmilum (alibi Rodnik), Bogdan* in preterita solempnitate penthecostes astante populi multitudine excommunicationis vinculo innodauimus, et ab omnium fidelium consortio sequestrauimus. Ideoque per apostolica vobis scripta mandamus atque precipimus, quatenus tu, frater episcope, eandem excommunicationem publice denuncies et facias obseruari. Tu vero, fili Wladizlae dux, iuxta potentiam tuam tibi a deo collatam eos coherceas, donec fratri nostro de tam graui iniuria satisfaciant, et quidam ex ipsis iuxta mandatum et consilium ipsius pro se et pro aliis ad nostram presentiam veniant, sicut in supra dicto decreto continetur, de tam graui sacrilegio mandatum nostrum accipiant. Datum Viterbi Nonis Junii.

E codd. Mss. Olomucensi et Litoviensi jam saepius citatis.

CCLVI.

Eugenius papa III. mandat abbatibus Gradicensi et Trebičensi nec non Ottoni, duci Moraviensi, ut una cum duce Boemorum Conradum, Wratislaw et Theobaldum duces et eorum complices ad satisfactionem episcopo Moraviensi compellant. Dt. Viterbii Nonis Iunii, **1145.**

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, dilectis filiis . . abbatibus de Gradis et de Trebech et dilecto in Christo filio *Ottoni,* illustri Morauiensi duci salutem et apostolicam benedictionem. Peruenit ad nos, quod quidam parochiani venerabilis fratris nostri *Heinrici,* Morauiensis episcopi, diabolico instinctu, dum ad sanctam Romanam tecum, fili dilecte dux Otto, veniret ecclesiam, personam suam ausu sacrilego inuaserunt, et bona sua auferre nullatenus timuerunt. Vnde nos, quorum precipue interest, tantum sacrilegium et tam grauem excessum impunitum non pretermittere, eosdem sacrilegos, videlicet *Conradum, Wratizlaum, Depoldum, Juratam, Domazlaum, Slauibor, Vgonem, Cunonem, Micul, Groznatam, Radmilum, Bogdan* in preterita solempnitate pentecostes, astante populi multitudine, excommunicationis vinculo innodauimus, et ab omnium fidelium consortio sequestrauimus. Ideoque per apostolica vobis scripta mandamus atque precipimus, quatenus vos filii . . abbates eandem excommunicationem publice denuntietis. Tu vero, fili Otto dux, iuxta potentiam tuam, tibi a deo collatam, iunctis viribus una cum dilecto filio Wladizlao, Boemorum duce, eos coherceas, donec fratri nostro de tam graui iniuria satisfaciant, et quidam ex ipsis iuxta mandatum et consilium pro se et aliis ad nostram presentiam veniant, et de tam graui sacrilegio mandatum nostrum suscipiant. Datum Viterbii Nonas Junii. —

E. cod. Ms. Litoviensi supra citato; — in Olomucensi deest.

CCLVII.

Eugenius papa III. suscipit ad preces Heinrici, Moraviensis episcopi, monasterium Litomyšlense in sedis apostolicae protectionem, ejusque possessiones confirmat. Dt. Viterbii VI. Idus Junii, **1145.**

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, dilectis filiis . . . abbati monasterii in *Lutomizl* ordinis premonstratensis eiusque fratribus salutem et apostolicam benedictionem. Fidelem deuotionem uenerabilis fratris nostri *Heinrici,* Morauiensis episcopi, grato attendentes animo, eiusque iustis petitionibus, quibus pro uobis intercessit instanter, hilarem prebentes assensum et effectum, paterna, qua decet, benignitate inclinati ecclesiam sancte Marie una cum loco, in quo uestrum monasterium cernitur esse constructum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quecunque bona ex larga concessione nobilium uirorum *Brecizlai* et *Sobezlai,* quondam Bohemorum ducum, necnon *Wladizlai* ducis et *Heinrici* fratris eius, *Ottonis,* Morauiensis ducis, et ipsius fratris nostri prefati *Heinrici* aliorumque uestra ecclesia iuste et canonice possidet, aut in futurum ex concessione pontificum, largitione principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis deo propitio poterit adipisci, firma et illibata permaneant nunc et in posterum euum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre paginam confirmationis et protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Viterbii VI. Idus Junii.

E copia in archivo ejusdem monasterii, quod intextum archivo Gradicensi in registratura c. r. Gubernii Moravici asservatur.

CCLVIII.

Eugenius papa III. intercedit apud Heinricum, Moraviensem episcopum, pro fratribus, qui e monasterio in monte Strahow sine licentia discesserunt. Dt. Viterbii XI. Kal. Decembris, **1145.**

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri *Heinrico,* Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Latores presentium ad nos venientes significarunt nobis, quod a quibusdam fratribus seducti a religioso loco, qui dicitur *Montis Syon,* a tua deuotione fundato, absque tua, abbatis quoque et fratrum suorum licentia discesserunt. Tandem vero ad locum ipsum redeuntes fratres ipsi eos recipere noluerunt. Quia igitur dignum est, ut sicut debita nostra cupimus a domino relaxari, ita fratribus nostris etiam in nos delinquentibus misericorditer condonemus, per apostolica scripta dilectioni vestre rogando mandamus, quatenus pro amore dei et nostro, si fratribus ipsis tolerabiles sunt, intuitu caritatis et misericordie eos in eodem loco recipi facias. Dt. Viterbi XI. Kal. Decembris.

E codicibus Mss. Olomucensi et Litoviensi saepius citatis.

CCLIX.

Eugenius papa III. remittit et commendat Conrado, Romanorum regi, Heinricum, Moraviensem episcopum. Dt. Viterbii II. Kal. Januarii, **1145.**

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, karissimo in Christo filio, Conrado, illustri Romanorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Pro dilecto filio nostro C. Babenbergensi electo, nobilitatis tue et multorum religiosorum ac discretorum virorum litteras et preces recepimus et diligenter attendimus. Et quamuis Babenbergensem ecclesiam tamquam specialem sedis apostolice filiam et personam ipsam pro scientia et honestate sua plurimum diligamus, vestris precibus tamen et persone commendationibus incitati spiritus sancti gratia inuocata, propriis tamquam beati Petri manibus in eiusdem ecclesie episcopum consecrauimus, atque hiis, que de dignitate ecclesie sue a predecessoribus nostris statuta sunt, innouatis, ipsum cum gratia sedis apostolice et litterarum nostrarum prosecutione ad ecclesiam suam remisimus. De duce vero Polonico, unde similiter preces tuas recepimus, dilectionem tuam scire volumus, quod nos proxima mediante XL ipsius nuncios exspectamus. Et si tunc venerint, nos rei veritate diligentius inquisita, quod cum honore dei facere potuerimus, pro amore tuo libenter faciemus, sicut qui personam tuam, tanquam specialem beati Petri militem, vera in domino caritate diligimus, et preces tuas secundum deum volumus exaudire. Preterea venerabilem fratrem nostrum *Heinricum*, Morauiensem episcopum, pro ipsius religione et honestate et tua etiam commendatione paterna benignitate recepimus. Et quamuis ipsum tanquam religiosum et deo amabilem virum nobiscum aliquamdiu in maximo honore et dilectione libentissime teneremus: tamen, quoniam tibi necessarium nouimus, ipsum tue nobilitati duximus remittendum. Versa itaque vice eum dilectioni tue propensius commendamus. Rogamus, ut eum pro nostro amore de caro cariorem habeas; et ipsius salubribus ammonitionibus humiliter acquiescas. Datum Viterbii II. Kal. Januarii.

E codicibus Mss. Olomucensi et Litoviensi saepius citatis.

CCLX.

Conradus, Romanorum rex, confirmat Corbejensi monasterio restitutam piscationem apud Houcrar, sub testimonio Heinrici, episcopi Olomucensis. Dl. apud Corbejam, 1145.

Cunradus, Romanorum rex secundus, ... *apud Corbiam, solennem curiam celebrans* . . confirmat monasterio Corbeiensi restitutam piscationem apud Houcvvar. Testes . . Theodowinus sanctae Rufinae episcopus apostolicae sedis legatus. Thomas sanctae Romanae ecclesiae cardinalis. Bernardus Paderbornensis episcopus. Rodolphus Halberstadensis. et Bernardus Hildesheimensis. Philippus Osnabrugensis. Henricus Mindensis. Fridericus Magadaburgensis. Thietmarus Ferdensis. Anselmus Havelbergensis. *Heinricus Olomucensis.* Wibaldus abbas. Heinricus dux Saxoniae. Adalbertus marchio. Fridericus comes palatinus. Comes Hermannus. Comes de Wincenburg et frater eius Heinricus . . . . . Anno dominicae incarnationis MCXLV. indictione VIII. . . . data apud Corbeiam.

Lunig Spicilegium ecclesiasticum Tom. III. pag. 89.

CCLXI.

Eugenius papa III. scribit Heinrico, episcopo Moraviensi, de quodam negotio pacis seminandae eidem commisso. Dt. Sutrii X. Kalendas Martii, 1146.

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, *Heinrico,* Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Cum sit apostolice dignitatis, cui, licet indigni, presidemus officium regni concordiam diligere, informare et corroborare, et quotidiano totius ecclesie in domino profectui sollicite inuigilare; statuimus, utile esse semper, quatenus et tibi carissimo, fideli nostro coadiutori, aliquem vel paruum laborem pro necessitate et utilitate ecclesie ferendum partiremur. Commisimus itaque tue sollicitudini verbum pacis, verbum salutare, ut tanquam prudens dispensator dominici tritici in terra bona, in terra fertilitatis semen seminares, unde et nobis ex tui laboris fructu et tibi pro diuine legis cultu et amore corona iustitie succresceret. Si igitur semen verbi ab apostolice auctoritatis reuerentia susceptum fideli terre, que reddat fructum temporibus suis, fideliter dispensauerit, et siquidem eo aluerit, ut ortum fecerit fructum, siue si nondum fecerit, si non aliquanto tempore sit adhuc exspectandus, ex dilectione tua certificari optamus. Datum Sutrii X. Kalendas Martii.

E codicibus Mss. Olomucensi et Litovicensi saepius citatis.

CCLXII.

Eugenius papa III. Galliae populum ad subsidium terrae sanctae ferendum excitat. Dt. trans Tiberim Kal. Martii, **1146.**

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei. Vniuersis dei fidelibus per Galliam constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Quantum predecessores nostri Romani pontifices pro liberatione orientalis ecclesie laborauerunt, antiquorum relatione dedicimus, et in gestis eorum scriptum reperimus. Predecessor etenim noster felicis memorie Vrbanus tanquam tuba celestis insonuit, et ad ipsius liberationem sancte Romane ecclesie filios de diuersi mundi partibus sollicitare curauit. Ad ipsius siquidem vocem ultramontani et precipue Francorum regni fortissimi et strenui bellatores, et illi etiam caritatis ardore succensi conuenerunt, et maximo congregato exercitu non sine magna proprii sanguinis effusione diuino eos auxilio comitante ciuitatem illam, in qua pro nobis saluator noster pati voluit, et gloriosum ipsius sepulcrum, quod passionis sue nobis memoriale dimisit, et quam plures alias, que prolixitatem vitantes memorare supersedimus, a paganorum spurcitia liberauit. Que per gratiam dei et patrum nostrorum studium, qui per interualla temporis eas defensare, et christianum nomen in partibus illis dilatare pro viribus studuerunt, usque ad nostra tempora a christianis detente sunt, et alie urbes infidelium ab ipsis viriliter expugnate. Nunc autem nostris et ipsius populi peccatis exigentibus, quod sine magno dolore et gemitu proferre non possumus, Edessa ciuitas, que nostra Roais dicitur, que etiam, ut fertur, quondam in oriente, cum tota terra a paganis detineretur, ipsa sola sub christianorum potestate domino seruiebat, ab inimicis crucis Christi capta est, et multa castella christianorum ab ipsis occupata. Ipsius quoque ciuitatis archiepiscopus cum clericis suis, et multi alii christiani ibidem interfecti sunt, et sanctorum relique in infidelium conculcationem date sunt et disperse. In quo quantum ecclesie dei et toti christianitati periculum immineat, et nos cognoscimus, et prudentiam vestram latere non credimus. Maximum namque nobilitatis et probitatis indicium fore cognoscitur, si ea, que patrum strenuitas acquisiuit, a bonis filiis strenue defendatur. Verumtamen si, quod absit, secus contigerit, patrum fortitudo in filiis immutata esse probatur. Vniuersitatem itaque vestram in domino commonemus, rogamus atque precipimus, atque in peccatorum remissionem iniungimus, ut, qui dei sunt et maxime potentiores et nobiles, viriliter accingantur, et infidelium multitudini, que fere semper victoria super nos adepta letatur, sic occurrere, et ecclesiam orientalem, tanta patrum nostrorum, ut prediximus, sanguinis effusione ab eorum tyrannide liberatam, ita defensare, et multa captiuorum milia confratrum nostrorum de ipsorum manibus eripere studeatis, ut christiani nominis dignitas nostro tempore augeatur, et vestra fortitudo, que per uniuersum mundum laudatur, integra et illibata seruetur. Sit vobis in exemplum etiam bonus ille Mathatias, qui pro paternis legibus conseruandis se ipsum cum filiis et parentibus suis morti exponere, et quidquid in mundo possidebat, relinquere nullatenus dubitauit, atque tandem diuino cooperante auxilio per multos tamen labores de inimicis tam ipse, quam sua progenies viriliter triumphauit. Nos autem vestrorum quieti, et eiusdem ecclesie destitutioni paterna sollicitudine prouidentes, illis, qui tam sanctum tamque pernecessarium opus et laborem deuotionis intuitu suscipere et perficere decreuerint, illam peccatorum remissionem, quam prefatus predecessor noster papa Vrbanus instituit, auctoritate nobis a deo concessa concedimus et confirmamus, atque uxores et filios eorum, bona quoque et possessiones sub sancte ecclesie, nostra etiam et archiepiscoporum, episcoporum et aliorum prelatorum ecclesie dei protectione manere decernimus. Auctoritate etiam apostolica prohibemus, ut de omnibus, que illi, qui crucem acceperint, quiete possiderint, nulla deinceps questio moueatur, donec ipsius reditus vel obitus certissime cognoscatur. Preterea quum illi, qui domino militant, nequaquam in vestibus pretiosis, nec cultu forme, nec canibus, vel accipitribus vel aliis, que portendant lasciuiam, debent intendere, prudentiam vestram in domino commonemus, ut, qui tam sanctum opus incipere decreuerint, nullatenus in vestibus variis aut grisiis, siue in armis aureis vel argenteis intendant, sed in talibus armis, equis et ceteris, quibus vehementius infideles expugnent, totis viribus studium et diligentiam suam adhibeant.

Quicunque vero ere premuntur alieno, et tam sanctum iter puro corde inceperint, de preterito usuras non soluant, et si ipsi vel alii pro eis occasione usurarum constricti sunt sacramento vel fide, apostolica eos auctoritate absoluimus. Liceat enim eis, terras siue ceteras possessiones suas, postquam commoniti propinqui siue domini, ad quorum feudum pertinent, pecuniam commodare aut noluerint, aut non valuerint, ecclesiis vel personis ecclesiasticis vel aliis quoque fidelibus libere et sine ulla reclamatione impignorare. Peccatorum remissionem et absolutionem iuxta prefati predecessoris nostri institutionem omnipotentis dei et beati Petri, apostolorum principis, auctoritate nobis a deo concessa talem concedimus, ut qui tam sanctum iter deuote inceperit et prefecerit, siue ibidem mortuus fuerit, de omnibus peccatis suis, quibus corde contrito et humiliato confessionem susceperit, absolutionem obtineat, et sempiterne retributionis fructum ab omnium bonorum remuneratore percipiat. Datum Transtiberim Kal. Martii.

E codice membr. sec. XIV. in 4. in archivo capit. Olomucensis, cujus est titulus: Epistolae b. Bernardi Claravallensis ect. sign. CXXVI.

CCLXIII.

Eugenius papa III. Heinrico, Moraviensi episcopo, de reditu populi ad obedientiam gratulatur. Dt. Viterbi Kal. Martii, **1145.**

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili ***Heinrico,*** Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Cum de statu fraternitatis tue sollicitudinem gereremus, ... nuncium tuum recepimus, qui te molestia corporis a deo visitatum, et populum, qui se a tua subiectione subtraxerat, ad obedientiam tuam redisse nunciauit. Nos vero pro salute tua dominum deprecantes in hiis, que prospere tibi succedunt, fraternitati tue paterno congaudemus affectu. Per presentia itaque scripta dilectioni tue mandamus, quatenus populo tibi commisso preesse ita studeas et prodesse, ut cum ipso gaudia eterna domino auxiliante percipere merearis. Preterea statum tuum, quem semper prosperum esse optamus, litteris tuis nobis frequenter notifices. Datum Viterbi Kalendas Martii.

E codicibus Mss. Olomucensi et Litoviensi saepius citatis.

CCLXIV.

Eugenius papa III. Heinrico, Moraviensi episcopo, quendam recommendat. Dt. Viterbi VIII. Kal. Aprilis, 1145.

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, *Heinrico,* Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Lator presentium pro negotiis suis ad partes illas venire disposuit. Quia igitur de prudentia tua et honestate valde confidimus, dilectioni tue rogando mandamus, quatenus ipsum pro beati Petri et nostri reuerentia commendatum habeas, et aput ducem salua nostra et tua honestate ipsum iuuare studeas. Datum Viterbi VIII. Kalendas Aprilis.

E codicibus Mss. Olomucensi et Litoviensi saepius citatis.

CCLXV.

Eugenius papa III. populos ad expeditionem sacram adversus Slavos in Pomerania excitat. Dt. in territorio Tricensi III. Idus Aprilis, 1146.

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, uniuersis dei fidelibus salutem et apostolicam benedictionem. Diuini dispensatione consilii factum credimus, quod tanta multitudo fidelium de diuersis mundi partibus ad infidelium expugnationem accingitur, et fere tota christianorum terra pro tam laudabili opere commouetur. Inter alios enim principes et potentes ipsi reges, qui ceteris nationibus dominantur, signo vivifice crucis assumpto, ad deliberationem orientalis ecclesie preparant, et crucis Christi inimicos, qui peccatis exigentibus in partibus illis fratres nostros aput Edessam et in aliis multis locis crudeliter trucidarunt, cum dei auxilio potenter expugnare disponunt. Rex quoque Ispaniarum contra Saracenos de partibus illis potenter armatur, de quibus iam per dei gratiam sepius triumphauit. Quidam etiam ex vobis tam sancti laboris et premii participes fieri cupientes contra Sclauos ceterosque paganos habitantes versus aquilonem ire, et eos christiane religioni subiugare domino auxiliante intendunt. Quorum nos deuotionem attendentes, omnibus illis, qui crucem eandem Iherosolimam non acceperunt, et contra Sclauos ire, et in ipsa expeditione, sicut statutum est, deuotionis intuitu manere decreuerunt, illam remissionem peccatorum, quam predecessor noster felicis memorie papa Vrbanus Iherosolimam transeuntibus instituit, omnipotentis dei et beati Petri, apostolorum principis, auctoritate nobis a deo concessa concedimus eadem auctoritate sub excommunicatione prohibentes, ut nullus de paganis ipsis, quos christiane fidei poterit subiugare, pecuniam vel aliam redemptionem accipiat, ut eos in sua perfidia remanere permittat. Preterea quia expedire cognoscimus, ut aliqua religiosa, discreta, litterata persona sit inter vos, que paci et tranquillitati vestre prouideat, et unitatem inter vos conseruet, et vos de promouenda christiana religione commoneat, venerabilidem fratrem nostrum A. Hauegelbergensem episcopum, religiosum, discretum et litteratum virum ad hoc prouidemus, et hanc ei sollicitudinem iniunximus. Quocirca per apostolica vobis scripta precipimus, ut eum pro reuerentia beati Petri et nostra, et omnium vestrum salute diligatis et honoretis, eiusque salubribus consiliis et ammonitionibus et preceptis humiliter pareatis, ut deus exinde honoretur, atque concordia et fraterna dilectio domino auctore et ipsius studio annuente inter vos conseruetur. Illos autem, qui ad tam sanctam expeditionem crucem acceperint, et bona eorum sub beati Petri et nostra protectione manere decernimus. Datum in territorio T . . censi tertio Idus Aprilis; pontificatus ect.

Ex eodem codice capituli Olomucensis. — Vide n. CCLXII.

CCLXVI.

Eugenius papa III. mandat Heinrico, Moraviensi episcopo, ut Wladislaw, ducem Poloniae, ab excommunicatione absolvat. Dt. Viterbi V. Nonas Maji, 1146.

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri *Heinrico,* Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Sicut ad vestram credimus notitiam peruenisse, L. dux Polonie, collecta Saracenorum multitudine, quod nostris temporibus inauditum et inhumanum est, terram christianorum inuasit, et multa mala, innumera etiam et execrabilia in ea temerario ausu commisit. Vnde frater noster L. bone memorie Gneznensis ecclesie archiepiscopus, zelo iustitie succensus, ipsum excommunicationis vinculo innodauit. Nunc autem, quoniam ipse archiepiscopus viam uniuerse carnis ingressus est, et ipse dux per nuntios suos a nobis absolui postulat, et satisfactionem promittit, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus eodem duce ante presentiam vestram euocato, congruo loco eum conueniatis, et si in presentia vestra propria manu iuramentum prestiterit, quod de causa, pro qua excommunicatus est, mandatum nostrum, quod per nosmet ipsos, siue per litteras, seu per nuntium nostrum ei faciemus, suscipiat et obseruet, eum ab eadem excommunicatione absoluatis. Hoc autem ab eo iuramento suscepto causam excommunicationis et damna ab ipso et per illum illata et totius rei veritatem, et quid ipse dux exinde sustinere possit, vestris nobis litteris significetis, et nos rei veritate cognita, quod inde statuendum fuerit, auctore domino statuemus. Datum Viterbi V. Nonas Maii.

E codd. Mss. Olomucensi sign. CCCLXXIX et Litoviensi.

CCLXVII.

Eugenius papa III. Theobaldum ducem ab excommunicatione absolutum transmittit Heinrico, Moraviensi episcopo, cui etiam Wratislaw ducem ab excommunicatione absolvendi concedit facultatem. Dt. Viterbii VIII. Kal. Junii, 1146.

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri *Heinrico,* Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Tribulationibus et angustiis, quas ab infidelibus illis te iam diu passum esse cognoscimus, paterno affectu compatimur, quamuis et nos permittente domino multis tribulationibus fatigemur. Verumtamen non ignorat tua discretio, quod omnes, qui volunt pie viuere in Christo Jesu, expedit huius seculi tribulationes sustinere. Ipse etenim dominus noster Jesus Christus non ad mundi gaudia, sed ad passiones et mortem etiam pro nobis tolerandam a patre missus est. Ipsum itaque caput nostrum imitari debemus, quod si pro ipso persecutiones patimur, certi de promisso eius beati erimus. Confortare ergo, karissime in Christo frater, et viriliter age, quod saluator noster suos usque in finem non derelinquet, et nos, in quibus secundum deum possumus, opem et consilium tibi impendere parati sumus. *Tebaldum,* fratrem dilecti filii nostri *Wladizlai,* illustris Boemorum ducis, qui personam tuam et illos, qui tecum erant, inuasit, quemadmodum nos litteris tuis rogasti, cum quibusdam sociis suis recepimus, et accepto ab eo iuramento, ut de tanto excessu iuxta mandata nostra satisfaceret, absolui fecimus. Post absolutionem vero ei precepimus, ut clericum vel monachum de cetero non capiat, nec capiendi assensum prebeat. Deinde autem condigna sibi iniuncta penitentia ipsum ad tuam discretionem remisimus, ut secundum quod deuotionem et compunctionem ipsius cognoueris, cum eo misericorditer agas. Precepimus etiam ei, ut tam deuotum et humilem se tibi exhibeat, ut de tanta offensa a domino et a te indulgentiam mereatur. *Wratizlaum* vero pro hac eadem offensa a nobis excommunicatum, quod paralisi eum percussum a te cognouimus, et idcirco ad presentiam nostram eum venire non posse intelleximus, discretioni tue, sicut nos rogasti, eum committimus et absoluendi, et condignam ei penitentiam iniungendi tibi concedimus facultatem. Preterea beati Gregorii de inobedientibus mandatis sedis apostolice sententiam prosequentes tres presumptuosos sacerdotes, videlicet Bolemil, Bogumil, Sirih, qui, ut nobis significatum est, in terra *Cunradi,* a nobis excommunicati nostra auctoritate a diuinis officiis, interdicta diuina officia celebrare presumunt, ab officio omnino deponimus, et beneficium ecclesiasticum eis interdicimus. Ad hec quoniam religiosis et discretis personis opus habemus, per apostolica tibi scripta mandamus, quando tibi oportunum fuerit, quam citius presentiam tuam nobis exhibeas, et tunc de negotio, quod per dilectum filium nostrum *Danielem,* Pragensem prepositum, nobis significasti, tibi plenius respondere curabimus. Datum Viterbii VIII. Kalendas Junii.

E codd. Mss. Olomucensi sign. CCCLXXIX. et Litoviensi.

CCLXVIII.

Eugenius papa III. Moraviensi et Pragensi episcopis, nec non Wladislaw, duci Boemiae, gratias refert, quod Guidoni, legato apostolico, in cleri correctione viriliter astiterint, et hortatur, ut ejusdem praecepta observari faciant. Dt. Viterbi IV. Nonas Junii, **1146.**

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, venerabilibus fratribus *Heinrico,* Morauiensi, *Ottoni,* Pragensi episcopis, dilectis in Christo filiis *Wladizlao,* illustri duci, et uniuerso clero et populo per Boemiam et Morauiam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis administratio, cui domino disponente deseruimus indigni, tam vicinis, quam longe positis nos effecit debitores. Quod predecessor noster felicis memorie, papa Innocentius, intelligens, et de vobis paterna sollicitudine curam gerens, dilectum filium nostrum Guidonem, dyaconum cardinalem, ad partes illas direxit, et ea, que de incontinentiis clericorum et sacerdotum, et aliis enormitatibus in generali concilio promulgauit, per eum vobis annuntiauit, et firmiter obseruanda precepit, in quibus quod vos, fratres episcopi, et tu, dilecte in Christo fili Wladizlae, sicut ipso refferente didicimus, ei viriliter astitistis, gratum habemus et deuotionem vestram in domino collaudamus. Verum quoniam non incepisse tantum, sed perfecisse virtutis est, uniuersitatem vestram rogamus et hortamur in domino, atque in peccatorum vestrorum remissionem iniungimus, ut vos, quibus in terra illa potestas omnis a deo commissa est, que a prefato cardinali iam dicti predecessoris nostri auctoritate tam de clericorum incontinentia et aliis enormitatibus ibidem vestro consilio et auxilio nuntiata et precepta sunt, obseruetis, et a subditis vestris firmiter obseruare faciatis; contemptores vero iuxta discretionem vobis a deo concessam, et sanctorum patrum statuta debita animaduersione coherceatis. De fidelitate quoque et deuotione vestra, quam erga beatum Petrum et nos ipsos geritis, et de frequenti visitatione, per dilectum filium nostrum *Danielem,* pragensem prepositum, quem vobis fidelem, et vestri honoris amatorem esse cognouimus, predecessoribus nostris et nobis transmissa dilectioni vestre grates refferimus. Datum Viterbi IIII. Nonas Junii.

E codicibus Mss. Olomucensi et Litoviensi saepius citatis.

CCLXIX.

Eugenius papa III. Wladislaw, ducem Boemiae, a religione et studio in exstirpandis cleri et populi vitiis laudat, hortaturque, ut in proposito perseveret, eique Heinricum, Moraviensem episcopum, commendat. Dt. Viterbi IV. Nonas Junii, 1146.

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, dilecto in Christo filio *Wladizlao,* illustri Boemorum duci, salutem et apostolicam benedictionem. Si iuxta sacre scripture testimonium particeps mercedis existit, qui bonorum operum adiutorem se prebet, ampliori dignus est merito, qui non tantum adiutor, sed etiam actor existit. Ideoque gratum nobis est, quod, sicut venerabili fratre nostro *Heinrico,* Morauiensi episcopo, et dilectis filiis nostris *Guidone,* dyacono cardinali, et *Daniele,* Pragensi preposito, refferentibus accepimus, ecclesias et ecclesiasticas personas, et maxime religiosas diligis et honoras, atque religionem et cetera, que ad honorem dei spectare noscuntur, in terra tibi a deo commissa niteris propagare, enormitates vero illius populi, que peccatis exigentibus plurimum excreuerunt, et precipue clericorum incontinentias, que deo abhominabiles sunt, non solum de capella tua, verum de tota terra tua exstirpare viriliter elaboras. Cum enim ipsi clerici templum dei, vasa domini, sacrarium spiritus sancti esse debeant, indignum valde est, eos cubilibus et impudicitiis deseruire. In hoc quoque deuotionem tuam in domino collaudamus, quod, cum gens illa praua et antiqua consuetudine nimium potioni et ebrietati dedita sit, ipse sobrietatem vitio illi contrariam diligis, atque tam istis, quam aliis eorum enormitatibus tanquam katholicus princeps et deum timens virilis animi constantia contradicis. Quia igitur non incipienti tantum, sed perseueranti corona promittitur, nobilitatem tuam rogamus, et exhortamur in domino, atque in peccatorum remissionem iniungimus, quatenus in bono proposito firmiter perseueres, ut et in presenti preoperante domino feliciter viuas, et in futuro sempiterne retributionis fructum percipias. Dilectam vero filiam nostram *Gertrudim* ducissam, uxorem tuam, salutamus et benedicimus, et ut in dilectione dei et amore religionis iuxta bonum initium perseueret, in domino commonemus. Ad ultimum vero prefatum Morauiensem episcopum et prepositum, prudentes siquidem et discretos viros, personas vestras et vestrum honorem sincero affectu diligentes, tue et ipsius nobilitati attentius commendamus, et de visitatione vestra predecessoribus nostris et nobis frequenter exhibita dilectioni tue grates refferimus. Nos quidem personas vestras vera in domino caritate diligimus, et in quibus secundum deum possumus, honorare et exaudire volumus. Datum Viterbi IIII. Nonas Junii.

E codicibus Mss. Olomucensi et Litoviensi saepius citatis.

CCLXX.

Eugenius papa III. mandat Heinrico, Moraviensi episcopo, ut Wladislaw, ducem Boemiae, ad satisfaciendum pro illatis ecclesiae Ratisbonensi damnis commoneat. Dt. Viterbii VI. Nonas Julii, 1146.

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri *Heinrico,* Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Quanto amplius de prudentia, religione et honestate tua confidimus, tanto ea, que diligimus, vel odio habemus, tibi fiducialius notificamus, sperantes te ea, que diligimus, pari affectu diligere, et que odimus, odio, nichilominus zelo caritatis, habere. Vastitatem et contritionem Ratisponensis ecclesie, que per ducem *Henricum, ducem Boemicum, Fridricum* aduocatum, palatinum comitem, filios prefecti, et alios complices eorum more tyrannico facta est, ad tuam iam credimus peruenisse notitiam. Vnde venerabiles fratres nostri C. Salizburgensis archiepiscopus, et . . . . Ratisponensis episcopus, tanquam zelum dei et amorem iustitie habentes, in prefatos incendiarios et malefactores excommunicationis sententiam protulerunt, et nos eam, que in parochianos suos ab eisdem fratribus nostris canonice promulgata est, auctoritate apostolica confirmamus. Et quoniam ducem Boemie pro vobis affectione paterna diligimus, et nullum ei grauamen inferri volumus, per apostolica scripta fraternitati tue mandamus, ut ex nostra et tua parte ipsum studiose conuenias, et districte commoneas, ut omnes, qui per ipsum vel suos in eiusdem sceleris atrocitate in raptionem ducti sunt, liberos abire permittat, de tantis sacrilegiis satisfaciat, et ab eiusdem ecclesie perturbatione desistat. Datum Viterbii VI. Nonas Julii.

E codd. Mss. Olomucensi sign. CCCLXXIX. et Litoviensi.

CCLXXI.

Eugenius papa III. mandat Heinrico, episcopo Moraviensi, ut (Guidoni) legato suo in Poloniam misso ope et consilio assistat. Dt. Aparmae Idus Septembris, **1146.**

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri *Heinrico,* Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Qui de fratrum suorum caritate confidit, et mandare, que agenda fuerint, non recusat. Quia igitur de persona tua valde confidimus, per presentia tibi scripta mandamus, quatenus dilecto filio nostro G. dyacono cardinali, prudenti siquidem et honesto viro, cui in Polonie partibus vices nostras commisimus, in hiis, que sibi agenda incumbunt tam in Polonia, quam in alia terra illa, que nouiter luce christiane fidei est perfusa, tanquam apostolice sedis vicario, diligenter assistas, ipsique opem et consilium studeas exhiberi; ut, dum per discretionis, tue solatium vel fauorem subsidium fuerit assecutus, quanto circa Romam ecclesiam caritatis vinculo sis astrictus, euidentius manifestes, et illico deo grata et hominibus fructuosa per ipsius misericordiam operetur. Datum Aparme Idibus Septembris.

E codd. Mss. Olomucensi sign. CCCLXXIX. et Litoviensi.

CCLXXII.

Wratislaw, dux Moraviensis, injuste a se occupatum circuitum Domašow monasterio Raygradensi restituit. **1146.**

Ego Wratizlaus dux morauiensis omnibus, qui piorum consortio in celis adscribi concupiscunt, presentibus et futuris, innotescere volo, qualiter inspiratione mala malorum circuitum *Domasoue* violenter a monasterio in *Raigrad* detrahendo retinui potenter atque iniuste in annum fere tertium. Nunc vero corporis valetudine in lectum prostratus, ultionis diuine manum sensibiliter agnosco, et in remissionem dilectorum, si tamen remitti possunt, quia grauia sunt, veracis intuitu penitentie, quecunque non sunt hominis, non retinere, sed ipsi Christo, cuius sunt hereditas eterna, aucta reddere sincere mente promitto. Restituo itaque vobis fratres dilecti de Raygrad prefatum circuitum Domasoue in omni sua substantia, qualiter in prima vestra fundatione et in litteris militis Myrate determinatum et denominatum esse didici. Ne autem ex occupatione et iniusta detentione mea dampni vestri computus sine resarcimine existat addidi vobis siluam meam eodem circuitu circumclusam et curiam meam in Domasoue, que ex iusta estimatione dampnum vestrum decies et ultra pretio excedit. Rogaui insuper venerabilem in Christo patrem dominum *Zdikonem*, quatinus auctoritate sua episcopali restitutionem huiusmodi et collationem confirmaret, quod et se facturum presens mihi promisit.

E copia sec. XIV. in arch. archiepiscopali Olomucii.

CCLXXIII.

Heinricus, Olomucensis episcopus, confirmat collatam a se anno praecedente servientibus ecclesiae Sobino et filio ejus Bolebud villam „Lubine." Dt. post expugnationem castri „Rokiczen," **1146.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. *Heinricus* dei gratia Olomucensis ecclesie episcopus omnibus Christi fidelibus salutem in eodem saluatore. Equum est et rationabile. ut qui erga personam nostram in necessitate nostra et uite discrimine fideliores pre ceteris extiterunt. ymmo pro nobis proprie uite discrimen sunt ingressi. a nobis quoque pre aliis amoris et gratie cumulatiuo quodam foueantur resarcimine. Hinc est quod nos fidelibus Sobino et Bolebud filio eius. hominibus de familia ecclesie nostre propter grate et incessanter impensa seruitia uillam quandam nomine *Lubine.* a domino Tvrdisc comite proprio ere emptam. cum omnibus suis pertinentiis et utilitatibus. ab ipsis et suis successoribus possidendam et tenendam nomine ecclesie nostre Olomucensis in perpetuum contulimus. Sed quia elapso anno precedentis curriculo hec collatio a nobis oretenus solummodo facta extitit. et quia apud successores meritorum et seruitiorum. que ipsorum personam numquam attigerunt. nulla scientia nec recordatio esse solet. ad iustam prefatorum fidelium nostrorum petitionem grato animo annuentes talem donationem utpote eque et rationabiliter factam iterantes scripture permanentis moninento fecimus perhennare. Quicunque hanc nostram collationem quocunque modo infringere presumpserit uinculo canonice sit innodatus sententie anathematis. Testes huius rei sunt. dominus *Otto* illustris dux Olomucensis. dominus *Zuatopluk* frater eius. dominus *Bolezlau* filius quondam ducis *Boriuoy.* Comes Tvrdisa. Haul. Mztygneu. Onso. Drzlau de Gradec. Wecemil. Slaua. Micul. Bogdan. Cuno. et alii quam plurimi. Datum *post expugnationem castri Rokiczen.* anno ab incarnatione domini MCXLVI.

E confirm. Brunonis episcopi ab a. 1277 in archivo archiepi. Cremsirii.

CCLXXIV.

Bernardus, abbas Claravallensis, ad expeditionem in terram sanctam omnes christianos invitans designat festum ss. Petri et Pauli, quo cenvenirent apud Magdeburg. **1147.**

Dominis et patribus reuerendis archiepiscopis ceterisque episcopis et principibus et uniuersis fidelibus dei *B. (ernardus),* Claraualliensis vocatus abbas, spiritum fortitudinis et salutis. Non dubito, quin auditum sit in terra vestra, et celebri sermone vulgatum, quomodo suscitauerit spiritum regum deus et principum ad faciendam vindictam in nationibus, et exstirpandas de terra christiani nominis magnum bonum magna diuine miserationis ubertas. Verumptamen videt hoc malignus et inuidet more suo, frendet dentibus et thabescit, multos ammittit ex hiis, quos variis criminibus et sceleribus obligatos tenebat, perditissimi quique conuertuntur declinantes a malo, parati facere bonum. Sed aliud dampnum veretur longe amplius de conuersione gentium, quum audiuit plenitudinem earum introituram, et omnem quoque Israhel fore saluandum. Hoc ei nunc tempus imminere videtur, et tota fraude sathagit versuta malitia, quemadmodum obuiet tanto bono. Suscitauit proinde semen nequam filios sceleratos paganos, quos, ut pace vestra dixerim, nimis diu sustinuit christianorum fortitudo perniciose insidiantes dissimulans calcaneo suo, nec conterens capita venenata. Sed quia dicit scriptura: Ante ruinam exaltabitur cor; fiet ergo deo volente, ut eorum superbia citius humilietur, et non propter hoc impediatur via Iherosolymitana; quia enim verbum hoc crucis paruitati nostre dominus euangelizandum commisit, consilio domini regis et episcoporum et principum, qui conuenerant Frankonouort, denunciamus, armari christianorum robur aduersus illos, et ad delendas penitus, aut certe conuertendas nationes illas signum salutare suscipere, eandem eis promittentes indulgentiam peccatorum, quam et hiis, qui versus Iherosolimam sunt profecti. Et multi quidem signati sunt ipso loco, ceteros autem ad opus simile prouocauimus, ut qui ex christianis needum signati sunt ad viam Iherosolimam, nouerint eandem sese indulgentiam hac adepturos expeditione, si tamen prestiterint in ea pro consilio episcoporum et principum. Illud enim omnimodis interdicimus, ne qua ratione ineant fedus cum eis, neque pro pecunia neque pro tributo, donec auxiliante deo aut ritus ipse aut natio deleatur. Vobis sane loquimur archiepiscopis et coepiscopis vestris, opponite omnino, ut maximam super hiis geratis sollicitudinem, et quantumcumque potestis, studium adhibeatis et diligentiam, ut viriliter fiat, et secundum deum ministri Christi estis, et idcirco fiducialius a vobis exigitur, ut negotio eius, quod ad vos spectat, inuigiletis. Nos quoque plurimum id rogamus et obsecramus in domino. Erit autem huius exercitus et in vestibus et in armis et faleris ceterisque omnibus eadem, que et alterius exercitus obseruatio, quippe quos eadem retributio munit. Placuit autem omnibus in Frankeneuort congregatis, quatenus exemplar istarum litterarum ubique portaretur, et episcopi atque presbyteri populo dei annunciarent, et eos contra hostes crucis Christi, qui sunt ultra albi signo sancte crucis consignarent et armarent, qui nimirum omnes in festo apostolorum Petri et Pauli aput Magdeburg conuenire debent.

E cod. Ms. membr. sec. XIV. in arch. capituli Olomucensis sign. CXXVI.

CCLXXV.

Bernhardus, abbas Claravallensis, Wladislaw ducem et populum Boemiae ad expeditionem Hierosolymitanam invitat, idemque negotium episcopo Moraviensi ibidem commendat. **1147.**

Duci *Wladizlao* ceterisque nobilibus et uniuerso populo Boemie *Bernhardus* clareuallensis abbas uocatus, salutem in Christo. Est mihi sermo ad vos de negotio Christi, in quo est etiam salus vera. Quod loquor, ut indignitatem persone scribentis excuset aput vos auctoritas domini, excuset consideratio utilitatis vestre, excuset, que in nobis est intentio caritatis. Modicus quidem sum, sed non modice cupio omnes vos in visceribus Jesu Christi. Hic zelus urget, ut scribam, quod libentius viua voce cordibus vestris inscribere laborarem, si, ut voluntas non deest, suppeteret et facultas. Sed spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Obtemperare non potest corruptibile corpus anime desiderio, nec spiritus velocitatem moles terrena valet comitare; sed quod hinc querimur, abest a vobis portio nostri; sed que vilior est, cor nostrum usque ad vos dilatum est, et si corpus onerosum terrarum intercapedo detineat. Audiat ergo uniuersitas vestra verbum bonum, audiat verbum salutis, et oblatam indulgentie copiam deuotis quibusdam anime brachiis amplectatur. Neque enim simile est tempus istud ceteris, que huc usque preteriere, temporibus; noua venit e celo diuine miserationis ubertas, beati, quos superstites inuenit animus placabilis domino, annus remissionis, annus utique iubileus, dico vobis non fecit dominus taliter omni retro generationi, nec tam copiosam in patres nostros gratie munus effudit. Videte, quo artificio utitur ad soluandum vos, considerate pietatis abissum, et obstupescite peccatores. Necessitatem se habere facit, aut facit, aut simulat, dum vestris necessitatibus subuenire de celo venit, consilium hoc nec ab homine est, sed a corde pietatis diuine processit. Commota est et contremuit terra, quia dominus fecit perdere terram suam. Suam, inquam, visus est et annis plusquam XXX homo inter homines conuersatus. Suam, quam honorauit natiuitate sua, illustrauit miraculis, dedicauit sanguine, sepultura ditauit. Suam, in qua vox turturis audita est, cum virginis filius castitatis studium commendaret. Suam, in qua primi apparuerunt flores resurrectionis. Hanc repromissionis terram ceperunt occupare maligni, et nisi fuerit, qui resistat, ad ipsum inhiant nostre religionis sacrarium lectumque ipsum maculare conantur, in quo propter nos obdormiunt vita nostra in morte, et prophanare loca sanctorum, loca dico agni immaculati purpurata cruore. Audite amplius aliquid, quod mouere debeat quamlibet durum pectus hominis christiani. Accusatur proditionis rex noster, imponitur ei, quod non sit deus, sed falso simulauerit, quod non erat. Quis in vobis est fidelis eius, surgat, defendat dominum suum ab imposite proditionis infamia, securum conflictum ineat, ubi sit et vincere gloria et mori lucrum. Quid moramini serui crucis, quid dissimulatis vos, quibus nec robur corporum, nec terrena substantia deest. Suscipite signum crucis, et omnium, de quibus corde contrito confessionem feceritis, plenam indulgentiam delictorum hanc vobis summus pontifex offert vicarius eius, cui dictum est: Quodcunque solueris super terra, erit solutum et in celo. Suscipite munus oblatum, et ad irrecuperabilem indulgentie facultatem alter alterum preuenire festinet. Rogo et consulo, ne propria quisque negotia christi negotio velit preferenda, nec propter ea, que temporibus aliis potuerunt vel poterunt exerceri, illud obmittat, quod recuperari ultra non possit. Et ut noueritis, quando, qua, quomodo sit eundem, paucis audite: In proximo pascha profecturus est exercitus domini et pars non modica per Vngariam ire proposuit. Illud quoque statutum est, ne quis aut variis aut grisiis, seu etiam sericis utatur vestibus, sed neque in equorum faleris auri vel argenti quippiam apponatur, tantum in scutis et ligno sellarum, quibus utentur, cum ad bella procedent aurum vel argentum apponi licebit hiis, qui voluerint, ut refulgeat sol in eis et terrore dissipetur gentium fortitudo, copiosius hec et latius prosequi oportuerat, nisi quod habetis aput vos dominum Morauiensem episcopum, virum sanctum et doctum, quem exoratum volumus esse, ut secundum sapientiam, que data ei a domino, diligentius super hoc uniuersitatem vestram studeat exhortari. Exemplar quoque literarum domini pape misimus, cuius admonitionem intentissima debetis aure percipere et eius obseruare decreta. Valete.

E eodem codice Ms. Olomucensi sign. CXXVI.

CCLXXVI.

Eugenius papa III. Heinrico, Moraviensi episcopo, mandat, ut Conradum, Romanorum regem, exhortetur ad intendendum unioni Constantinopolitanae ecclesiae cum Romana. Dt. Altissiodori Idibus Julii, **1147.**

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri *Heinrico,* Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Sicut tua nouit fraternitas, pro karissimis filiis nostris *Conrado* Romanorum, *Ludeuico,* Francorum illustrissimis regibus, exercitibus quoque, qui cum eis sunt, paterno affectu solliciti, venerabiles fratres nostros, *Theodewinum,* sancte Ruffine episcopum, et *Guidonem,* presbyterum cardinalem sancti Crisogoni, prudentes siquidem et honestos viros, de latere nostro dirigimus, qui eos in concordia et dilectione custodiant, et tam in spiritualibus, quam in temporalibus domino auctore saluti eorum prouideant. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, et rogando mandamus, quatenus eos tamquam de sinu matris tue sancte Romane ecclesie missos pro beati Petri et eiusdem ecclesie reuerentia diligas et honores, eisque in hiis, que ad honorem dei et ecclesie sue spectare cognoueris, consilium et auxilium prebeas. Et quoniam de tua plurimum dilectione confidimus, et regis consilium in tua maximum prudentia et dispositione consistere nouimus, sollicitudini tue mandamus, quatenus regem adhortari, monere modis omnibus studeas, ut ad honorem et exaltationem matris sue, sancte Romane ecclesie, intendat, et Constantinopolitanensem ecclesiam ei unire, sicut olim fuisse cognoscitur, iuxta potentiam a deo sibi concessam fideliter elaboret. Quod si tuo annuente studio ad effectum domino auxiliante peruenerit, persone tue dilectionem et gratiam apostolice sedis augebit, et ecclesie tue honoris incrementum prestabit. Datum Altissiodori Idibus Julii.

E codd. Mss. Olomucensi sign. CCCLXXIX. et Litoviensi.

CCLXXVII.

Eugenius papa III. scribit Heinrico, Moraviensi episcopo, gratius sibi fuisse, si potius in terram sanctam, quam adversus Slavos in Pomerania profectus fuisset. **1147.**

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri *Heinrico,* Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Propositum tuum una cum ducibus Morauiensibus *Ottone, Zuatopluk* et *Wratizla* contra Sclauos ceterosque paganos habitantes versus aquilonem eundi, et ipsos christiane religioni subiugandi non minus nobis gratum et acceptum erat, quam negotium tuum, chare frater, quo illustrem Boemorum ducem cum fratribus deo propitio ad assumendam crucem et ad expeditionem in terram sanctam proficiscendum inspirauisti. Sane quidem acriori pungerer stimulo letitie, quando ex nuncio tuo audiuissem, tue persone prudentiam sagaxque tuum ingenium in corde Romanorum regis seminaturum semen, ex quo Constantinopolitane ecclesie unio tamquam fructus excreuerit mihi et matri omnium Romane ecclesie longe fecundissimus. Ex quo vero te a regis latere remotum cognoui, de prosperando in tali negotio omnis diffido. Sed res erat certe ardua; sapientissime vero a te dispositam non laudare non possum. Proficiscere igitur cum Christi et sedis apostolice benedictione, tueque fraternitatis sospitatem in oratione mea quotidiana scias esse inclusam. De progressu talis expeditionis certiorem me reddere minime omittas. Vale in Christo.

E codice Litoviensi saepius citato; in Olomucensi deest.

CCLXXVIII.

Eugenius papa III. Heinricum, episcopum Moraviensem, provocat ad concilium Trevirense, eique Johannem legatum suum commendat. Dt. Altissiodori V. Idus Octobris, **1147.**

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri *Heinrico,* Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. De tua dilectione et fidelitate valde confidimus, quod iam in Romane ecclesie negotiis eam per experientiam nouimus. Quoniam pro multis, que increuerunt, enormitatibus propellendis, et que deo placitura sunt, confirmandis proxima dominica, qua cantatur: Letare Jerusalem, aput Treuerim in fiducia spiritus sancti concilium celebrare decreuimus, fratres nostros archiepiscopos, episcopos et alios ecclesiarum prelatos de diuersis mundi partibus duximus conuocandos. Ideoque per apostolica scripta et dilectum filium nostrum Johannem, sancte Romane ecclesie subdyaconum, fraternitati tue precipiendo mandamus, quatenus illuc eodem termino remota omni actione ad nostram presentiam venias, ut freti auxilio atque consilio errata corrigere, et que statuenda fuerint, valeamus sancto cooperante spiritu stabilire. Preterea memoratum filium nostrum Johannem tibi attentius commendamus, rogantes, ut eidem filio nostro in pertractanda inter ducem expulsum et germanos eius concordia et conponenda, si fieri potest, diligenter assistas, atque opem et consilium prebeas. Datum Altissiodori V. Idus Octobris.

E codd. Mss. Olomucensi sign. CCCLXXIX. et Litoviensi.

CCLXXIX.

Eugenius papa III. Heinricum, Moraviensem episcopum, a vocatione concilii Treverensis absolvit. Dt. apud Treverim XV. Kal. Januarii, **1147.**

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri *Heinrico,* Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Quantus erga nos et sanctam Romanam ecclesiam tue sit caritatis affectus, iam dudum preteritorum exhibitione cognouimus, unde personam tuam vera in domino caritate diligimus, et in quibus secundum deum possumus, tanquam religionis amatorem volumus honorare. Ceterum dilectus filius noster *Daniel*, Pragensis prepositus, ex tua parte nos suppliciter exorauit, ut pro multis tibi instantibus negotiis vocationem ad concilium, quod mediante XL. auctore domino celebrabimus, tibi pietatis gratia relaxemus. Quia igitur, licet tuam habere presentiam exoptemus, tamen consueta sedis apostolice benignitate tuis postulationibus clementem volumus aditum indulgere, fraternitatem tuam a iam dicti concilii vocatione absoluimus. Preterea quod de discretione tua indigemus, placet nobis, ut, quam tibi citius expedierit, presentiam tuam desiderabilem nobis exhibeas, quatenus mutuis et dulcibus colloquiis ad inuicem perfruamur. Rogamus etiam, ut nostri memoriam, sicut et facis, in tuis orationibus facias, et ita mutuis nos aput deum iuuemus intercessionibus, quatenus hic in Christo connexa caritas unam et communem nobis in regno patris nostri ipso prestante sedem preparet et letitiam. Datum aput Treuerim XV. Kalendas Januarii.

E codd. Mss. Olomucensi sign. CCCLXXIX. et Litoviensi.

CCLXXX.

Conradus, Romanorum rex, confert monasterio Zwellensi saltum quendam ad fluvium Champ sub testimonio Heinrici, Olomucensis episcopi.

1148.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Chunradus, secundus Romanorum rex semper augustus. Ad honorem nostri et ad seruitium sancte et perpetue virginis Marie, rogante fratre nostro Hainrico, Bauarico duce, tradidimus saltum ecclesie dei et fratribus regulariter subsistentibus in loco, qui dicitur Zwetel. Predicta autem sylua his confiniis et tractibus notatur, scilicet ex uno latere habens fluuium, qui dicitur Champ, ex altero vero concluditur via, cunctis accolis loci illius notissima. Huius rei testes sunt:

Hainricus, Ratisponensis episcopus, Otto Frisingensis episcopus. Anshelmus, Hamelburgensis episcopus. Altmannus, Tridentinus episcopus. *Hainricus,' Olomucensis episcopus.* Hartmannus, Brixinensis episcopus. Hainricus, dux Bawarie. Engelbertus marchio. Liutoldus comes. Datum anno domini MCXLVIII. indictione XIIII.

Linck Annales Claravallenses I. p. 156.

CCLXXXI.

Eugenius papa III. dolet de Heinrici, Moraviensis episcopi, valetudine, eumque consolatur. Dt. Tusculani IX. Kal. Novembris, cc. **1150.**

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei, venerabili fratri *Heinrico,* Morauiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Litteras fraternitatis tue debita benignitate recepimus, et sicut qui te tanquam deuotissimum sancte Romane ecclesie filium speciali affectu diligimus, et inter ceteros karissimos fratres nostros brachiis amplexamur. Deuotionem etenim tuam, quam erga matrem tuam Romanam ecclesiam semper habuisti, ad memoriam reuocantes pro tua sumus incolumitate solliciti, eamque maximo desiderio frequenter audire optamus. Gratum autem nobis est, quod pro commisso tibi grege sollicitus per semitas iustitie eum ducere sathagis, et ipsum equitatis ecclesiastice norma dirigere. Super hiis itaque, de quibus nos dilectio tua consuluit, iuxta predecessorum nostrorum statuta tibi respondere decreuimus. Clerici, qui sunt culpis suis exigentibus degradati, nec post vite conuersionem pristinis ordinibus restitui debent. Ille vero, qui nullo recepto ordine missam cantare presumpsit, tanquam laicus principi terre puniendus tradatur. Nulli autem uxorem sororii sui post mortem ipsius licet habere. Et quoniam sacri canones crimina semel obiecta indiscussa non transeunt, causam ipsius clerici, qui bigamus dicitur, diligenter inquiras, et si canonice conuictus fuerit, deponatur. Sin autem septima manu sui ordinis ab hac nota eum facias expurgari. Quod si facere non poterit, deponatur. Quod tuum itaque, frater karissime, spectat officium, verbo et exemplo, quibus prees, ita proficere, ut ad vitam una cum grege tibi credito peruenias sempiternam. Graue autem nobis est, quod confectus senio de longa vita, quam tibi valde cupimus, non confidis. Speramus autem in domino, quod faciem tuam adhuc eo auxiliante videbimus. Si vero nobis superstitibus te de hoc mundo dispositio diuina vocauerit, cure nobis erit, pro te tamquam pro karissimo fratre nostro ad deum preces effundere, et in nostris orationibus tui memores frequenter existere. Preterea quoniam de statu nostro te nouimus esse sollicitum, dilectioni tue ipsum duximus intimandum. Nos siquidem, licet corporis inualitudine et fratrum nostrorum morte aliisque aduersitatibus fuerimus hoc anno grauati, tamen ad pacis tranquillitatem domino auxiliante reuersi sumus incolumes. Pro infirmitate tua tibi bonum electuarium destinamus. Datum Tusculani VIIII. Kalendas Nouembris.

E codicibus Mss. Olomucensi et Litoviensi saepius citatis.

CCLXXXII.

Heinricus, episcopus Olomucensis, infirmus commendat se precibus Gottschalci, abbatis et fratrum monasterii Siloensis. **1151.**

Gotschalco domino et fratri venerabili de Syloa abbati, ***Henricus*** miser et infirmus in manus vestras commendo spiritum meum, quia iuxta voluntatem diuinam vehementi infirmitate afflicti morti nos appropinguasse cognoscimus. Fraternitatem vestram, quam erga quosque humanitatis officia impendere non ignoramus humiliter et obnixe petimus, ut etiam iugem nostre peccatricis anime memoriam in orationibus vestris faciatis.

E chronico Siloensi apud Dobner Mon. I, 105.

CCLXXXIII.

Heinricus, episcopus Olomucensis, infirmus Gottschalci, abbatis fratrumque monasterii Siloensis, denuo efflagitat preces. **1151.**

Domino Gotschalco Siloensi venerabili abbati ceterisque fratribus in Christo dilectis Henricus miser et infirmus, si quid valet miseri et infirmi oratio: quoniam diuine Maiestatis pietas secundum sue propitiationis clementiam carnem nostram sue visitationis flagello castigans castigauit, nec tamen adhuc morti tradidit, vestre sanctitati, in vobis pro ceteris mortalibus anime nostre plurimum spei habentes, significare non distulimus. Et quia ex apostolico eloquio, quem diliget pater, corripit, flagellat autem omnem hominem, quem recipit, humilitati nostre non modicum solatii subintrat, siue pristine incolumitati restituamur, siue secundum celestis voluntatis, cui nemo resistere potest, placitum separemur a corpore, ut in sanctitatis vestre orationibus memoriam nostri licet peccatoris habere non abnuatis, suppliciter et obnixe deposcimus.

E chronico Siloensi apud Dobner Mon. I. 105.

CCLXXXIV.

Otto, dux Olomucensis, confert monasterio Gradicensi in remedium anime filie sue *Suataue* villas *Rusca* et *Wresouici.* **1151.**

Ex Annalibus Ms. monasterii Gradicensis. — Confer diploma Wladislai ab anno 1160.

CCLXXXV.

Otto, dux Olomucensis, ecclesie Olomucensi villam *Cromezir,* quam iniuste detinuerat, restituit. **1152.**

Granum catalogi Ms. — Wekebrod Kirchengeschichte p. 159.

CCLXXXVI.

Gottschalcus, abbas Siloensis, Joanni, episcopo Olomucensi, scribit de anniversariis parentum quondam Heinrici Zdik episcopi. cc. **1152.**

Venerabili in Christo patri domino *J.(ohanni)* episcopo Olomucensi *G.(ottschalcus)* abbas minimus cum salutis precatione certitudinem transmittimus, in nostra ecclesia iam exinde a primordio fundationis eiusdem parentum venerabilis domini *Heinrici,* beate memorie, paternitatis vestre predecessoris, fundatoris nostri et benefactoris memorias singulis annis celebrari, videlicet genitricis eius X. Kal. Februarii, genitorisque XII. Kal. Nouembris. Quod igitur vestre paternitati innotescere cupimus, ut sciatis, tale opus pium a nobis ex ipsa gratitudine nostra iam dudum institutum fuisse.

E copia sec. XIV. in archivo archiepiscopali Olomucii.

CCLXXXVII.

Eugenius papa III. moniales ad s. Georgium Pragae de obitu Heinrici, episcopi Olomucensis, ipsarum maximi benefactoris, consolatur, gratiasque agit pro ornamentis missis. Dt. Ferentini XVII. Kalendas Maji, **1152.**

Eugenius episcopus, seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus B. abbatisse sancti Georgii et eius sororibus, salutem et apostolicam benedictionem. Obitus venerabilis fratris nostri *Henrici,* bone memorie *Morauiensis episcopi,* benigni patroni et benefactoris vestri animum nostrum plurimum contristauit. Cuius nimirum commendabilis vita nobis gaudium, et vobis in vestris necessitatibus opportunum solatium conferebat. Contra consolationem in eo recipere possumus, quia miserie temporali subtractus, ad eternam beatitudinem est translatus. Inter hec autem illud omnino debemus intendere, ut si quid ei carnalis adhesit, pulueris miserante domino relaxetur, et ipse pro nobis apud conditorem nostrum familiarius intercedat. Maiora quippe de ipso auxilia, maiora solatia modo speranda sunt, quam cum nobiscum corporali presentia morabatur. Nos vero anime ipsius inter missarum solempnia immemores esse non possumus, nec debemus, qui non solum, dum viueret, apostolice sedi ac nobis deuotus extitit, et suis nos exeniis visitauit, sed positus in extremis illa idonea ornamenta, que per instructas et peritas manus vestras ad altaris ministerium studiosius operari fecit, pia nobis cum deuotione obtulit, et ad nos deferri precepit. Que nos benignitate debita suscipientes et pro eius anima diuinam maiestatem attentius exoramus, et de labore et exercitio vestro vobis multimodas gratiarum actiones referimus, monentes vos, ut in proposito professionis vestre iuxta mandatum et doctrinam predicti patris vestri attentius perduretis, quatenus interuenientibus beatorum Petri et Pauli meritis ad eterne beatitudinis gaudia largiente domino feliciter peruenire possitis. Datum Ferentini XVII. Kalendas Maii.

Originale in archivo c. r. aulico Vindobonae. — Excusum apud Hammerschmid in Hist. s. Georgii p. 66.

CCLXXXVIII.

Hadrianus papa IV. confirmat monasterio Gradicensi, ordinis Praemonstratensis, jura et possessiones. **1155.**

Hadrianus papa IV. ad petitionem *Ottonis,* ducis Olomucensis, confirmat monasterio Gradicensi, ordinis Premonstratensis, omnes possessiones et libertates, addens: „Ne futuris perpetuis temporibus ulli omnino hominum liceat ecclesie Gradicensis possessiones, a domino fundatore illi appropriatas, perturbare, violare, temerare, auferre, vel ablatas retinere, aut quocunque alio modo diuexare. Si quis sciens contra hanc ecclesiam temere quid temptauerit, sciat se reatu diuino innodatum existere, et a sacratissimo corpore et sanguine domini nostri Jesu Christi alienum esse, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat, et cum impiis, qui non resurgent, in iudicio reputetur; omnipotentis iram in hac adhuc vita et in futura furorem contra se sentiat; fiat habitatio eius deserta, et in tabernaculis eius non sit, qui inhabitet; fiant filii eius orphani et uxor eius vidua, commotus moueatur ipse, et filii eius mendicent et eiiciantur de habitationibus suis; scrutetur fenerator omnem substantiam eius, et diripiant alieni labores eius; orbis terrarum pugnet contra eos, ac omnia elementa sanctorumque merita sint eis contraria eosque confundant, et apertam vindictam in hac adhuc vita super eos ostendant. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax domini nostri Jesu Christi, et fructum huius benedictionis percipiant, et ad districtum iudicem eterne patrie premia sempiterna largientem gloriamque eternam secure ac feliciter perueniant. amen."

Fragmentum in Annalibus Ms. monasterii Gradic. — Excusum in Ruebneri: Memoriali seculorum p. 64.

CCLXXXIX.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium Lutrense in suam suscipit protectionem, eiusque priuilegia confirmat. Testes . . Humbertus Bisuntinus archiepiscopus. Eberhardus archidiaconus. Matheus dux Lotharingie. Bertoldus dux de Zeringen. *Debaldus de Bohemia.* Vdalricus comes de Lucenburch. Hugo comes de Gagensburch. **1157.**

Lunig Reichsarchiv XIX. 969.

CCXC.

Fridericus, Romanorum imperator, villam Merdingen in Sueuia a rege Conrado secundo ecclesiae Patauiensi iniuste ablatam, ex sententia principum eidem ecclesiae restituit, atque confirmat. Testes. Eberhardus, Babembergensis episcopus. Gebehardus, Wirziburgensis episcopus. Hertwicus, Ratisponensis episcopus. Cunradus, Eistetensis episcopus. *Daniel, Bragensis* episcopus. *Wadezlaus, dux Boemiae*, et frater eius *Dipaldus*. Heinricus, dux haustriae. Fridericus dux, filius Cuonradi regis. Otto patatinus comes, et frater eius Fridericus ect. Dt. Babemberg 4. Julii, 1157.

Monumenta Boica Vol. XXIX. T. I. pag. 344.

CCXCI.

Fridericus, Romanorum imperator, concedit Wladislaw, duci Boemiae, usum regalis circuli imponendi ab episcopis Pragensi vel Olomucensi. Dt. Ratisbonae XV. Kalendas Februarii, 1158.

C † In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Fridericus diuina fauente clementia imperator Romanorum augustus. Cum tam lege nature quam scripta bonum operari moneamur ad omnes. precipue eos qui in aministratione Imperii et rei publice ueraci consilio. et indefesso laboris studio nobis assistunt. et pro gloria Imperii propaganda. strennuissime decertando. omnibus inimicorum incursibus et quibuslibet periculis sese obiciunt. specialis prerogatiua honoris sublimare. dignum duximus. ut de uirtutum premiis et gloria corone diffidere non debeant. qui legitime certauerint. Nouerit igitur omnium Christi Imperiique nostri fidelium. tam presens etas quam successura posteritas. qualiter nos *Wadizlao* illustri et strennuissimo duci boemorum ob insignia seruicii ac deuotionis tam eius quam omnium boemorum merita. honoris insigne quo auus et ceteri progenitores eius duces boemie beneficio Imperialis excellentie ceteris ducibus preminebat. circulum uidelicet gestandi concessimus. et per eum omnibus successoribus suis in perpetuum. Decernimus itaque et inrefragabili lege statuimus. ut liceat prefato duci boemie Wadizlao illis temporibus quibus nos coronam et diadema glorie portamus. in natiuitate domini uidelicet. et in pascha. et in penthecosten. circulum portare. et amplius. in festiuitate uidelicet sancti Venzelai. et sancti Adelberti. eo quod illas sollempnitates propter patronos suos maiori reuerentia et celebritate tota boemia ueneretur. Sicut itaque celebratio et impositio corone nostre non debet fieri nisi per manus archiepiscoporum et episcoporum. ita prefato duci boemie a nullo hominum circulus imponatur. nisi a dilecto nostro

Daniele venerabili pragense episcopo. *Johanne olomucense* episcopo. eorumque successoribus. Quod si forte olomucensis defuerit. nichilominus pragensis pro sede et dignitate excellentiori uices compleat amborum. Similiter autem olomucensis. si forte pragensis defuerit. Adhec predicto duci boemie et successoribus eius addimus et concedimus censum de terra polonie. quem antecessores eius duces boemie a polonia retro temporibus accipere solebant. Vt autem hec nostra donatio et constitutio supranominato duci Wadizlao karissimo nostro eiusque successoribus omni tempore rata et inconuulsa permaneat. presentem inde paginam conscribi et sigillo nostro insigniri iussimus adhibitis ydoneis testibus quorum nomina hec sunt. Eberhardus salzburgensis archiepiscopus. Wicmannus magdeburgensis archiepiscopus. Hertwicus ratisbonensis episcopus. Eberhardus bambergensis episcopus. Cuonradus patauiensis episcopus. Heinricus dux austrie. Fridericus dux sueuorum. Ludewicus lantgrauius duringie. Adebertus marchio saxonie. Otto marchio missenensis. Otto et Fridericus palatini comites. Signum domini Friderici Romanorum Imperatoris inuictissimi. Ego Rainaldus cancellarius uice Arnaldi magontini archiepiscopi et archicancellari recognoui. Dat. Ratisbone XV. Kal. Febr. Indictione V. anno dominice incarnationis MCLVII. Regnante domino Friderícho Rom. Imperatore gloriosissimo. anno regni eius VI. Imperii uero III.

Ex originali cum sigil. appresso laeso in arch. c. r. aulico Vindobonae descr. d. Palacky. — Excusum in Balbini Misc. lib. VIII. Vol. I. p. 3. — Dobner Annal. VI. p. 379.

CCLXXV.

Wladislaw, Boemorum rex, fundat hospitale fratrum s. Joannis Hierosolymitani Pragae, et possessionibus in Boemia et Moravia dotat.

cc. 1159.

Notum sit omnibus Christi fidelibus, quod ego Wladizlaus, dei gratia rex Boemorum, attendens deuotionem et religiosissimum propositum fidelissimorum meorum, scilicet Geruasii cancellarii mei et Martini subcancellarii, in quales sanctos uidelicet usus conuertere uellent et impendere omnia illa, que uel circa me suo fidelissimo seruitio promeruerant in possessionibus, siue mobilibus quibuslibet, uel que aliunde iustis emptionibus, aut aliis legitimis modis adquisierant, uel etiam ecclesiasticis beneficiis reseruauerant. Attendens, inquam, quod ecclesiam uellent inde edificare in honorem beate Marie uirginis, tante deuotionis tanteque mercedis una cum illis me participem constituere uolens ad edificandam ecclesiam et hospitale, atque instituendam congregationem religiosorum communis uite virorum terram quandam ad coronam regni mei pertinentem Prage iuxta pontem secus aquam in quatuor vias dedi, ipsamque aquam a superiore parte inferioris insule usque ad pontem cum piscatione et omnibus aliis commodis, que inibi possunt haberi, eidem ecclesie perpetuo iure possidendam. Addo etiam et confirmo eidem loco pro salute mea ac liberorum meorum et omnium predecessorum meorum uillam, que uocatur Letegh, que fuit Bore, qui Prage suspensus est, cum uinea et omnibus pertinentiis aliis. Addo insuper prope eandem uillam agrum unum ad coronam meam pertinentem nomine Ostruzen. Ad incrementum quoque eiusdem nouelle plantationis, ecclesie scilicet edificande, addo et confirmo possessiones, que fuerunt Heinrici filii Hartmanni, et etiam eas dedit post decessum uxoris iure perpetuo possidendas, quando se commisit in possessionem coram multis nobilibus Boemis. Confirmo etiam possessiones, quas alias iustis sibi acquisierunt modis, quemadmodum Cozarouici cum omnibus circuitionibus siluarum, siue riuulorum aut agrorum, quos uel quas habent in prouincia Boysez; Bresinaues et dimidiam partem silue, que uocatur Lediuy. Concedo quoque et confirmo eidem ecclesie terram ad unum aratrum in uilla, que uocatur Neuremic, quam terram cum silua et pomerio et transitu, qui est super fluuium Msee ad uillam, que uocatur Radotin emerunt a Lube et aliis pluribus militibus pro XXVIII marcis. Adiciens his et uillas in *Morauia* et eidem confirmans ecclesie, scilicet *Pacizlawiz*, quam ab antiquo *Geruasio* dederam, et *Grusouan*, cuius partem dominus *Cunradus Martino* dederat, et alteram ab aliis militibus pecunia et concambio acquisierant. Hec ergo omnia, sicut superius adnotata sunt, prefate ecclesie sancte Marie iure perpetuo inuiolabiliter possidenda concedo et confirmo, ac sigilli mei regalis impressione corroboro et communio. Et si quis donationem meam infringere presumpserit, in presenti rerum sufferat pericula, et in futura uita cum Dathan et Abiron traditore pari pena puniatur. Amen.

E copia vidimata in Museo Moravico. — Excusum apud Dobner in Annal. VI. pag. 363.

CCXCIII.

Wladislaw, Boemorum rex, confirmat adaugetque possessiones et libertates monasterii Gradicensis, ordinis Praemonstratensis. Dt. Pragae XVI. Kal. Julii, 1160.

Anno dominice incarnationis millesimo centesimo sexagesimo. epactarum XI. concurrentium V. indictionis VIII. Ego Wladizlaus dei gratia secundus rex Boemorum. Diuina propitiante clementia cognoscens ministros ecclesie. que est secus urbem Olomuc edificata in nomine sancte et indiuidue trinitatis. et in honore beati protomartyris *Stephani* dedicata. nocte dieque in dei laudibus iugiter insudare. et tantorum dei athletarum orationum particeps cupiens fieri corde et animo humiliter cepi excogitare. qua ratione mee celebritas memorie apud illos posset haberi in secula sine fine. Vnde omnipotentis dei inspirante gratia ac institutione ammonitus canonica a uenerabili eiusdem ecclesie abbate domino *Blasio.* meo occurrente ac fauente desiderio fratrum protomartyris Stephani precibus me subdidi. atque ut eorum orationum particeps sine fine fierem deuotus munus communionis suscepi. At ego ne fratres meos in Christo dilectissimos gratuito michi fraternitate concessa aliquo modo aggrauare uidear. in signum hoc sacratissimi pacti inter nos habiti. in retributionem pro mea regnique mei incoluminate ac stabilitate. unaque pro germanorum meorum tam *Theobaldi* quam *Heinrici* nec non filii mei *Friderici.* meorumque remissione peccatorum. quicquid illis propinquorum. uidelicet aui mei primi regis Boemorum *Wratizlai.* ac primi ducis Morauiensium senioris *Ottonis.* et prudens discretio ad usum in nomine domini studuit deputare. nec non et omnium principum Morauiensium ea sic se habere et gaudeo et laudo. insuper et regie potestatis auctoritate ac consensu omnium primatum Boemie confirmo. Et ne hoc posteros latere queat sub testimonio scripture meo sigillo munite usquequaque ratum esse commendo. Villarum autem nomina que in obsequio eorum in priuilegiis patrum scripta reperiuntur sunt hec: *Kiseleuici. Rochin. Gaicin. Vugezd* in Boemia que nominatur Vlipi. Preterea data est curia que nominatur *Vsobren.* cum suis adiacentibus uillis sub omni tributo et consuetudine sicut ante soluebat domine sue. data est silua que uocatur *Lubochca.* in Boemia due uille quas dedit rex primus Wratizlaus ecclesie *Vgerzco. Nedamirice. Nakel* ea conditione ut qui eam inhabitare deliberant cum tributo beato Stephano decimas soluant. Ceteris uero ad imperium ducis bella exercentibus. siue urbem aut pontem reparantibus. seu sub qualibet necessitate laborantibus. non aliud quam quod prefatus pater cenobii iusserit faciant. *Vgezd Lasane. Lubos. Popouici. Selechouici. Sadlouici. Gradcane. Tusatici. Zlobici. Bezmirow. Obidcouici. Bunouici. Tasalci. Vstin ad III aratra. Stichouici ad unum aratrum. Sarouici ad unum aratrum. Celcici ad II aratra. Prusi ad II aratra. Suhsici ad II aratra. Topolaz ad II aratra. Sirouici ad unum aratrum. Gneuotine ad unum aratrum. Vnatici cum omni consuetudine terre. Wacezlaus dux Morauie pro remedio anime patrui sui Ottonis dedit uillam Kyiow cum omni utilitate sua. Otto dux iunior dedit duas uillas Rusca. Wrezouici. pro anima filie sue Suataue. Datus est etiam de Olzaua VI. denarius. et de ponte Bracizlaue ciuitatis VI. denarius. de uia uero. que ducit ad Poloniam iuxta ciuitatem Gradec VI. denarius. et de moneta decimus denarius. Data sunt et duo uiuaria piscium. nomen unius Widoma. et nomen alterius Tecalech.* Et multa familia habetur. Hec autem scripta quicunque cognoscant fideles sub testamento domini nostri Jesu Christi et totius ecclesie. nec non et harum personarum: *Danielis Pragensis episcopi. et Johannis morauiensis episcopi. et Theobaldi ducis Boemorum. et heinrici germani regis. Friderici filii regis. Cunradi principis Morauiensium. et Gezonis abbatis de monte Syon. Petri abbatis de Breunov. Petri abbatis de Insula. Siluestri abbatis de Zasauua. Wilhelmi abbatis de Wilhelmov. Godescalci abbatis de Selevv. Deocari abbatis de Lutomizle. Hugonis abbatis de Podelashih. et Mizlochonis de*

Opatouich. Nadei abbatis de Trebech. nec non Vdelrici prepositi Pragensis. Pauli decani. Jeronimi magistri. Petri prepositi Bolezlauensis. Jurate prepositi melnicensis. Alberti prepositi Zachensis. Et Nemoi camerarii regis. Cochan dapiferi regis. Wecellonis pincerne regis. Woizlai agazonis. Dirsizlai urbis prefecti Pilzenne. Jarogneui prefecti Satcensis. Heinrici Wissegradensis prefecti. et omnium primatum Boemie. Ad hec quoque ut hec mea predicta confirmatio rata et fixa in perpetuum permaneat ex canonica et apostolica auctoritate maledictionem in huius decreti mei preuaricatores subscribi uolui. Igitur ego Daniel dei gratia sancte Pragensis ecclesie XIII. episcopus. et Johannes sancte Olomucensis ecclesie VIIII. episcopus tali decreto bannum apponimus. ut si quis temerator huius rei aut contemptor extiterit perpetuis condempnationibus subiaceat innodatus. et sanctorum dei quorum ibi reliquie requiescunt meritis et orationibus duplici contritione conteratur. ut laborando sine intermissione angustia et tribulatione. dolore et amaritudine in fine mundi cum Juda traditore saluatoris omnibusque membris diaboli in inferno inferiori sine fine crucietur. amen. Amantibus hec et laudantibus pro posse quoque augentibus et defendentibus sit salus et protectio. pax et exultatio et sancte trinitatis eiusdemque indiuidue unitatis benedictio nunc et in euum. amen. Data Prage per manum Geruasii cancellarii et prepositi Wissegradensis. eiusdem anni XVI. Kalendas Julii.

E cod. sec. XIII. monasterii Gradicensis descr. Friebek. — Excusum dedit Piter in Thes. p. 187. — Dobner Annal. VI. p.

CCXCIV.

Fridericus, Romanorum imperator, Pisanis privilegium confert sub testimonio ducis *Depoldi*, et ducis *Vlrici* de Bohemia. Dt. Papiae VIII. Idus Aprilis, 1161.

Lunig Codex Italiae dipl. I. 1050. 1054.

CCXCV.

Wladislaus, Boemorum rex, confirmat iura et possessiones ecclesie *Olomucensis.* Dt. Olomuc feria III. hebdomade sancte. **1160.**

Wekebrod Kirchengeschichte pag. 277.

CCXCVI.

Fridericus, Romanorum imperator, restituit Ottoni, Bellunensi episcopo, episcopatum sub testimonio *Tipoldi,* ducis Bohemorum. Datum. in territorio Mediolan. apud Landrianam Kal. Septembris, **1161.**

Vghelli Italia sacra. VI. pag. 153.

CCXCVII.

Friderici I. imperatoris diploma sub testimonio Udalrici, ducis Bohemici. Dt. Papiae V. Kalendas Martii, **1162.**

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium Clavatense in protectionem suam suscipit. Testes: Rainaldus, Coloniensis archiepiscopus. Cindius, Lugdunensis archiepiscopus. Heinricus, Leodiensis episcopus. Ordibonus, Basiliensis episcopus. Henricus, Constanciensis episcopus. Fridericus, dux Suevorum. Cunradus, palatinus comes Rheni. Marchio Otto. Marchio Theodorus. Marchio Albertus. Comes Teto. Comes Rudulfus de Phulender. Comes Valricus de Lhemburch. Willelmus, marchio Montisferrati. Wido, comes Blandratensis. *Dux Vdalricus.* Marquardus, comes de Runibach. Gebeardus, comes de Luggenburch, et frater eius Marquardus. Ulricus de Hunighem. Acta MCLXII. Indictione X. Datum Papie post *destructionem Mediolani* V. Kalendas Martii.

Muratori Antiquitates. Italiae VI. pag. 259.

CCXCVIII.

Friderici, Romanorum imperatoris, privilegium pro ecclesia Gebennensi sub testimonio Theobaldi, ducis Boemiae. Dt. apud Pontem Laonem VII. Idus Septembris, 1162.

Fridericus, Romanor umimperator, Ardicium, Gebennensem episcopum, contra Bertholdum, ducem de Zaringen, et Amadeum, comitem Gebennensem, regalia et possessiones illius ecclesie occupantes, tuetur, eique omnia restituenda decernit. Testes: Conradus, archiepiscopus Moguntinus. Raynaldus, Coloniensis archiepiscopus. Vlricus, Aquileyensis patriarcha. Scerachius, Lugdunensis primas et archiepiscopus. Stephanus, Viennensis archiepiscopus. Waltherus, Visuntinus archiepiscopus. Narchuntus, Bremensis archiepiscopus. Wilelmus, Ebredunensis archiepiscopus. Guido, Ravennas archiepiscopus. Henricus, Wirziburgensis episcopus. Girardus, Bambergensis episcopus. Henricus, Leodiensis episcopus. Hermannus, Constanciensis episcopus. Conradus, Wormacensis episcopus. Gotefredus, Tryectensis episcopus. Gero, Alverstadensis episcopus. Hermannus, Hildevesemensis episcopus. Evergisus, Paderbornensis episcopus. Johannes, Merseburgensis episcopus. Udo, Cicensis episcopus. *Daniel, Pragensis episcopus.* Brandeburgensis episcopus. Havelbergensis episcopus. Mambruggensis episcopus. Ysirus, Papiensis episcopus. Cremonensis episcopus. Clycardus, Parmiensis episcopus. Anselmus, Astensis episcopus. Vercellensis episcopus. Novariensis episcopus. Pergamensis episcopus. Aquensis episcopus. Albensis episcopus. Terdonensis episcopus. Concordiensis episcopus. Garsendonius, Mantua episcopus. Henricus, Cumanus episcopus. Gratianopolitanus episcopus. Vipicensis episcopus. Vivariensis episcopus. Avinionensis episcopus. Hermannus, Herferdensis abbas. Augiensis abbas. Erlebaldus, abbas Stabulensis. Abbas s. Galli. Salsensis abbas. Virzeburgensis abbas. Laurisamensis abbas. Henricus dux Bavarie et Saxonie. Marchio Albertus. Fredericus, dux Suevorum. Ludovicus landgravius. Otto, palatinus comes de Uuythelisboch et fratres eius. Fredericus et Otto marchio. Otto Misniensis. Marchio Theodericus. Comes Theto. *Dipoldus, dux Boemie.* Albertus, palatinus de Sumassabrunn. Hermannus, dux Karinthie. Gotefridus, dux Lovanie. Ludwicus, comes Lonensis. Gotefridus, comes Durachiensis. Comes Albertus. Comes Cunradus. Willelmus, marchio Montisferrati. Opizo, marchio Malaspina, et fratres eius. Wido, comes Blandratensis, et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCLXII. indictione X. regnante Frederico anno regni X, imperii VII. In archiepiscopatu Bisuntino apud Pontem Laone super Senam VII. Idus Septembris.

Muratori Antiquitates Italiae VI. pag. 57.

CCXCIX.

Fridericus, Romanorum imperator, de aquaeductu Rheni in Nieda decidit sub testimonio Vlrici, ducis de Boemia. **1165.**

Fridericus, Romanorum imperator, decernit de faciendo aquae ductu fluuii Rheni in terra Nieda. Testes: Heimannus, Ferdensis episcopus. Everardus Ratisponensis electus. Philippus, decanus maioris ecclesiae in Colonia. Arnoldus, praepositus ecclesiae sancti Andreae. Adiolus, Godslariensis praepositus. Reignardus, praepositus. *Vlricus, dux de Boemia.* Marquardus de Grumbach. Comes Emicho de Linningen. Comes Folckmarus de Sarewarde. Henricus marschalcus de Papenheim ect. . . . Christianus, Moguntinae sedis eiectus . . recognouit . . Acta sunt haec . . MCLXV. Indictione XIII. anno regni XIII. imperii XI.

Lunig Reichsarchiv IV. pag. 127.

CCC.

Fridericus, Romanorum imperator, investit Pisanos de insula Sardinia sub testimonio Vlderici, ducis Boemiae. Dt. Franchfurti XV. Kalendas Maii, **1165.**

Lunig Codex Italiae dipl. I. 1058.

CCCI.

Wladislaw, rex Boemorum, monasterium Waldsassense dotat sub testimonio ducum Theobaldi, Heinrici, Wladislaw, Friderici et Swatopluk. Dt. Wallsahs IIII. Kal. Julii, **1165.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. *Wladizlaus* dei gratia secundus rex Boemorum transitoriis ex dei dispensatione bonis habundans. et temporalium incrementis honorum salutem anime pensans congruum esse credidit ex consilio apostoli presentia pro futuris. terrena pro celestibus commutare. Quapropter in orationibus pauperum Christi. qui sunt in ecclesia Walthsesensi in nomine domini congregati. plurimum confidens pro amore Christi et salute anime sue ac pro eorum petitionis obtentu in silua ultra prouinciam Sedlec ambitum. quod sclauonice vgezd dicitur. a fonte riui. qui vulgo dicitur Helstre inferius. usque in riuum. qui vulgo iwinbach. et ab hoc riuo usque in fontem. uocatum iwinbuorne. itemque a predicti riui fonte Helstre nominati usque ad fontem. qui vulgo uocatur remotior Luboce. sicut more siluarum consignatum est quod vulgo gelachiet nuncupatur. et sicut ab exteriori parte predictum riuum Luboce fontes influunt. addens etiam in prouincia Satcensi uillam nomine Dudlebei cum latissimo campo nomine Preulaca. et cum aqua Egre tante longitudinis spatio terminata. quanto est predicto agro continuata. in perpetuum hereditario iure possidenda prenotate ecclesiae contradidit. spiritualia cum seruis dei commercia sagaci corde pertractans. quatenus et illorum inopia ex eius habundantia suppleatur, et suis excessibus desiderata ex eorum orationibus prestetur uenia et consolatio. Ut autem hec deuotionis donatio rata et firma in posterum habeatur per presentia scripta moderni siue futuri temporis fidelibus sigilli impressione. ac infra scriptorum testium testimonio roboratum est. Dux Thebaldus et Henricus fratres regis. Wladizlaus filius Sobezlai ducis. Fridericus et Suatopluc filii regis. Prepositi autem. et clericalis ordinis hi: Geruasius cancellarius et prepositus Wissegradensis. dominus Ulricus prepositus. Jurata prepositus Melnicensis. Petrus prepositus Bolezlauiensis. Albertus prepositus Sacensis. Martinus notarius regis. Podiua canonicus Wissegrad. et capellanus regis. Jarogneu castellanus Satcensis. cum omnibus fratribus suis. Drisizlau c. pelznensis. Cstibor camerarius regis. Weclo pincerna regis. Kochan dapifer regis. Agaso Woyzlau. Zauise Sedlicensis comes cum suis subditis. Omnes hi sunt laicalis professionis. Hec autem rata facta sunt theotocos per gloriosum regem supra prescriptum coram testibus prenotatis. Anno dominice incarnationis MCLXV. IIII. Kalendas Julii in ecclesia s. Marie Waltsahs. Gerlaco abbate inibi presidente. Daniele uero episcopo sancte Pragensis ecclesie XIII. existente. Hoc itaque decretum si quis uoluerit infringere siue rex siue dux. seu princeps. siue alia quelibet persona. anathematis gladio nisi resipiscat se percussam in die iudicii sine fine sentiat. Data per manum Geruasii uenerandi prepositi sancte Wissegradensis ecclesie et regis cancellarii IV. Kalendas Octobris.

Ex originali in archivo regio Monaci descripsit d. Palacky.—Excusum in Lunigii Reichsarchiv XVIII. — Dobner Annal. VI. pag. 407.

CCCII.

Wladislaw, Boemorum rex, auget et confirmat fundationem monasterii Litomišlensis, ordinis Praemonstratensis, nec non bona collata, quorum plura sunt in Moravia, eorumque terminos enumerat. Dt. Pragae XIII. Kal. Februarii, **1167.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Wladizlaus dei gratia boemorum rex secundus omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris inperpetuum. Ad hoc regni cura nobis a prouisore omnium bonorum domino concessa est. ut sanctam religionem studeamus modis omnibus propagare. et loca uenerabilia cum ipsis personis. diuino seruitio mancipatis attentius confouere. quatenus nullis prauorum hominum inquietentur molestiis. uel importunis fatigentur angariis. Ea propter ecclesiam Lutomislensem in qua regulares canonici diuino mancipati sunt obsequio. sub sancti Wencezlai et nostram protectionem suscipimus. et presenti priuilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones. quecumque bona tam brecizlai loci illius fundatoris. uel Sobezlai eiusdem loci amplificatoris quam aliorum dei fidelium dono uel concessione possident. aut infuturum iuste et canonice poterunt adipisci. firma eis eorumque successoribus et illibata permaneant. Decreuimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eandem ecclesiam temere perturbare. aut eius bona seu possessiones auferre. retinere. minuere uel quibuslibet molestiis fatigare. Quodsi qua ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam uenire temptauerit. secundo tercioue commonita si non satisfactione congrua emendauerit. potestatis honorisque sui dignitate careat. et episcopo sit potestas a sacro corpore et sanguine domini nostri Jesu Christi eam alienandi. Cunctis autem eidem ecclesie iusticiam seruantibus et hic fructus bone actionis. et in futuro premia eterne pacis retribuantur amen. Huius uero confirmationis nostre testes sunt fratres mei theobaldus et Heinricus. filii quoque mei Fridericus et Zuatopluc. Daniel episcopus pragensis. *Johannes* episcopus morauiensis. Geruasius cancellarius et prepositus Wissegradensis. Olricus prepositus pragensis. Jurata prepositus melnicensis. Paltnir sacensis. Domazlau archidiaconus pragensis. Peregrinus curimensis. Slauon gradicensis. Othmar bolezlauensis. Bertholdus de rudnic. Dethleb de behin. Budilonus castellanus pragensis. Bznata wissegradensis. Jarogneu satcensis. Nemoy de netolic. Dirsizlau de plzen. Sdezlau de curim. et alii quam plures. Hec autem sunt donationes loci illius. Dux brecizlaus dedit uillam Secri. cum duobus aratris et duobus aratoribus. Restoceh dedit fabrum nomine mucek cum filiis et filiabus. Nadubraunici dedit equas indomitas cum pascuis et custodibus earum. et Jvvan et Dobrach. Pistorem nomine Jan cuius filius Nemoy postea pro redemptione suimet emit seruum nomine Valdic cum uxore et filiis et filiabus. Dedit etiam predium nedosine cum apibus custode earum nomine Zouol cum filiis et filiabus. Vgradisci dedit duos piscatores Wec et Zoretam cum omni prole sua. De moneta dedit ducentos denarios omni sabbato accipiendos. De porta terre que dicitur Natrstenici dedit sal ungaricum. omulum quoque per totum Grutou colligendum. Constituit etiam ut si quis quamcumque feram in territorio illo ceperit. partem carnium eius ecclesie illi soluat. et qui non soluerit trecentos nummos castellano. bouem uero ecclesia habeat. Hinov' singulis annis dedit quatuor boues. duas uaccas. et quatuor oues. pro quibus omnibus ego Wladizlaus rex postea rogatu pauperum illa scilicet persoluentium constitui. mille et quingentos nummos accipiendos. Dux Sobezlaus dedit uillam Crecouice. Ego etiam rex Wladizlaus dedi predium meum Repine et terram Lutomisli. deiectis inde hominibus. In uilla autem Lozic dedi quicquid uel *Sdico* episcopus emerat. uel quod homines uim castellanorum ferre non ualentes desertum reliquerant. Terram etiam quam pater meus ioculatori suo nomine dobrete in uilla Zalasaz dederat. ego illi ecclesie contuli. Vxor autem mea nomine Gertrudis dedit duas uillas: Kolodege. et Rikouice et terram in uilla Lepetouic ad tinec pertinentem. ubi postea abbas *Johannes* emit terram a comite Lazlau. Idem etiam abbas emit terram in uilla Trizkouici in qua quidam homo Modlata cum filio suo nomine Petro ueniens in ecclesiam supradictam ad conuersionem dedit terram suam. Dux *otto* dedit in *morauia* tres uillas: ***Pametice***. ***Wasan*** et ***Richouice***. Comes Bauor dedit uillam ***Jvvanouice*** et omnes uillas suas quas habuit in Morauia preter unam quam dedit nepoti suo Dlugomilo. Petrus. filius lubmani dedit uillam suam nabucine. Janek miles dedit predium suum quod uocatur Nauizdei et terram quam emit a prauota. Paulus filius Pabes dedit terram Naksacigore. Zobezlauec agazo dedit predium Lutosicih ubi reliquum terre cum sexcentis milibus nummorum abbas Johannes et abbas Deocarus emerunt. Prepositus Groznata dedit uillam Olsan. Frater Nemoy dedit uillam Rugne. Radouan archidiaconus Olomucensis cum cognatis suis nomine Dinter et Petro dedit terram in uilla ***Jvvanouic***. Abbas Deocarus emit siluam a fratribus de sancto Laurentio iuxta Grubouic et terram iuxta Domasic que uocatur Nakornicch. cui quoque ego Wladizlaus rex contuli quoddam prediolum iuxta uillas suas Krekouici et Rikouici cum flumine quod uocatur Dezna a lubna usque ad pontem. qui est in longis pratis. Dedi et siluam totam a loco qui uocatur Preseka cum pratis omnibus usque ad fluuium qui dicitur Zuitaua. Dedi et forum ecclesie lutomislensi in Grutou feria IIII. inperpetuum. Dedi et Grussoua cum flumine Trstenice usque ad Vzplise et silua que dicitur Mokrenice. Dedit et Zuabenice cum flumine Dezna a ponte qui est in longis pratis usque ad uillam Cerekuice et siluam totam que dicitur proznice et prozne. Bogunouice. Cerekuice cum flumine et silua nurus mea uxor Friderici licentia nostra eidem ecclesie contulit. Quatuor tabernarios prefate ecclesie dedi inperpetuum nullo generali interdicto obstante/ et hoc idcirco excepimus ut ferrum ad opus ecclesie semper exinde conquiratur. Circuitum et ego Wladizlaus eidem ecclesie contuli. qui dicitur Nalubnem.. cum pratis omnibus que uocantur Napolickah. et siluam totam ab ortu dezne usque ad fluuium qui dicitur Zuratka. Statuimus etiam et firmiter obseruari precepimus a domino abbate prefate ecclesie et omnibus successoribus suis. neumquam aliquibus hominibus uillas in ipsa silua ponere aut quippiam operis ad usus proprios elaborare consentiant. excepto hoc solo si fratres eiusdem loci aliquid utilitatis uoluerint et poterint in ipsa silua operari cum dei benedictione et nostro fauore prosequantur. *Johannes* episcopus morauiensis filius obiden circuitionem ultra Zuha et uodna quam ego dederam ei. eidem ecclesie contulit. Milota filius Zdezlai ueniens ad conuersionem duas uillas dedit Blegou et Nabrezne. Milacco archidiaconus cahouicih de terra ad aratrum eidem ecclesie dedit. Martinus et circuitum qui dicitur Nazgori eidem ecclesie dedit. Ego quoque rex Wladizlaus pro augendo dei seruorum numero eidem ecclesie totam siluam. agros et omnia prata usque ad riuum Zlupnice contuli. preter solam uillam domasic. et quoniam prefatam ecclesiam numerositate uillarum dotare non potui siluam totam a riuo iam dicto usque ad flumen treboua et de hinc quousque fines Boemie protenduntur in dotem perpetuam eidem ecclesie contradidi. Coram testibus superius notatis presens scriptum sigillo meo roborare curaui. Datum Prage per manum Geruasii cancellarii et prepositi Wissegradensis XIII. Kalendas Februarii. Anno dominice incarnationis MCLXVII. Regni uero Wladizlai regis VIIII.

Ex autographo archivi monasterii ejusdem in registratura c. r. Moravici Gubernii. — Excusum incorrectius dedit Berghauer in Protomart. pag. 252.

CCCIII.

Wladislaw, Boemorum rex, confirmat ordini s. Johannis Hierosolymitani villas Tišnow et Březina in Moravia. Act. in Olomuc **1168.**

Ego Wladizlaus, dei gratia rex Bohemorum. Innotescat cunctis fidelibus. presentibus et ſuturis, quod ob singularem amorem, quem erga fratres hospitalis *Iherosolimitani* in cordis sinceritate gerere non cessaui, et de ſeruente animi voto et studio, quatinus ordinis ſratrum predictorum in terra mea plantatio radices ageret validiores et numerosiores: villam in ***Thusnou*** et aliam villam, que dicitur ***Brezni,*** cum pratis iuxta fluuium na Suratce, quas dilectus ſrater meus nomine ***Henricus*** in remedium anime sue ſratribus preſatis contulerat, confirmaui scripti mei pagina et sub anathemate venerabilis patris ***Johannis***, Morauiensis episcopi, ut, si quis hanc piam preſati ſratris nostri donationem ausu temerario infirmare presumpserit, cum Datan et Abyron gaudeat consortio in gehenna. Amen. Testes autem, qui aſſuerant, et confirmationem meam et preſati domini episcopi audierant, sunt hii: Henricus, frater meus. ***Fridericus,*** filius meus. Johannes, episcopus morauiensis. Jurata, prepositus melnicensis. Crina archidiaconus et Preuoy, canonici Olomucenses. Slauebor camerarius. Chasta iudex. Mladota et alii quam plures. Actum in Olomuc. Idictione I.

E codice Ms. sec. XIV. monasterii Tischnov. fol. XLV.

CCCIV.

Fridericus, Romanorum imperator, in *generali curia in Wirzburg,* ubi inter discordes principes Saxoniae reconciliationem prefecit, confirmat episcopo Wirceburgensi omnia privilegia et possessiones. Inter testes plurimos: *Ordalricus, filius ducis Boemiae.* Albertus, filius ducis Poloniae ect. Datum *Wirtzburg* VI. Idus Julii, indictione I. anno MCLXVIII.

Lunig Reichsarchiv VII. pag. 327.

CCCV.

Wladislaw, rex Boemorum, confirmat monasterio Raygradensi circuitum Domašow. Act. Pragae 1169.

Wegmeno swathe a nerozdilne trogicze. *Wladslaw* z Bozie milosti czesky kral. Oznamugi wssiem w Kristu wierzicziem nynieyssim y buduczim, zie yakoz kazdeho wiernika gest bratrzie nassie, kterziz wiecznemu Bohu neuchwatnie sluzie, w obranie mieti proti zlotie casu y lidstwa, y pak wiece Kralowo gest, ciem wietssie silu zdarzen, tiem statnieyssie obranu gim byti, aby gsa w motlitbu gegich wzgmut na wiek wieku giemu steha se vplanila k plesu nebeskemu. Y przedstupiw przed nassie yasnost welebny muz Yindrzich, opat Brzewnowsky ziadal na mne snaznymi slowi, abych nadanye sobie poslussneho klasstera na *Rayhradie* w zemi Morawske, giez znie na vyezd Domassowe, a yakoz w listech slawne pamieti kniezij *Brzeczlawa, Cunrata a Wraczlawa* i ginych obrazdenu byti se spatrzuge, swym prziklonieniem raczil milostiwie vtwrditi, aby na buduczie wieky, yako za knieze Brnienskeho Wraczlawa gmenem, o rzeczeny vyezd gmenem Domassowe, zase strk a vhon newznikl. Y za pilne a wierne sluhy rzieczeneho opata, a shleda, ze gen slussnu wiec a prawu na mne doprossie, vtwrdil gsem kazde nadanie rzeczieneho vyezda, genz slowe Domassowe, a kazal gsem na wiedomie toho tento list swuoy tisku sweho przidawem vtwrditi na wieczne czasy. Duostoyny pak w Bozie otec *Jan* biskup Olomuczky wssechny protiwniky toho a russitele w kletbu Bozie vsuczil. Y dalo se toto me vtwrzenie w Praze roku po wtielenie syna Bozieho MCLXIX. A przitom gsu byli tijto: Juditha kralowna. Bedrzich biskup Prazky. Gerwas kanclerz a probosst Wissehradsky. Martin probosst Litomerzicky. Florian mistokanclerz. Bohuslaw komornik ect. Zmorawy ale Jan biskup, Vtiessen a Petr kanowniczi. Mutey komornik. Twrdissa kasstelan. Miroslaw kasstelan, a ginij wiery hodni. Amen.

E copia bohemica sec. XVI. in archivo archiepiscopali Olomucii; — cujus bohemica translatio initium sec. XV. attingit. —

CCCVI.

Fridericus, dux Olomucensis, confert monasterio Raygradensi Hranice cum solitudine usque fluvium Odra se protendente. **1169.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Cum uniuersa mortalium facta successione temporum in obliuionem deuoluantur, cunctis in Christo pie uiuentibus manifestum fieri decreui, quod ego *Fridericus*, dux *Olomucensis* prouincie, patre meo *Wladizlao*, rege Boemorum, annuente locum, qui *Granice* vulgo dicitur, ecclesie *Raygradensi* perpetua dote donaui. Heremita enim quidam *Jurik* nomine, uita et moribus imitandus, cuius etiam uitam et mores digna sequitur fama, per uxorem meam *Elisabeth* mihi supplicauit, quatenus ipsum locum uasta horrentem solitudine robora succidendo et noualia preparando inhabitaret. Ego tamen cum eiusdem heremite utcumque continentiam et diligentiam considerarem, terram ad aratrum ei in uilla *Stipki* ob meliorem spem eterne patrie cum pratis et pomeriis superaddidi. Tendit autem hoc ipsum spatium, quod sibi contradidi, a riuo *Sebenik* usque ad riuum, qui *Odri* appellatur. Preterea ad occidentem quantum ex ipso exstirpare uelit nemore, manu propria demonstrans latam sibi sine termino tribui licentiam. Quod uidelicet factum, dum abbas suus, Henricus scilicet de Brevnove comperisset, accedens ad me flagitauit, ut intuitu diuine recompensationis hoc, quod uerbotenus Raygradensi ecclesie contuleram, coram patre meo scriptura simul et sigillo corroborarem. Huius igitur rei testes annotare dignum duxi. Judita regina, sequuntur dein Fridericus episcopus Pragensis ecclesie. Geruasius cancellarius et prepositus Wissegradensis. Vdalricus, prepositus Pragensis. Paulus decanus. Martinus, Luthimericensis prepositus. Florianus subcancellarius. Florencius castellanus. Boguslaus camerarius. Zdęzlaus pincerna. Witko dapifer. Roznata, castellanus de Cladzko, et alii quam plures nobiles et canonici sancti Wencezlai. De Morauia *Johannes* episcopus. Wolius, cancellarius eiusdem prouincie. Twridisse, castellanus de Godonin, et alii plures nobiles. Facta sunt autem hec anno dominice incarnationis millesimo centesimo sexagesimo IX. patris mei principatus XXX. regnorum eius XI. episcopatus uero domini Friderici Pragensis episcopi scilicet anno primo. Ne uero sequentium aliquorum uiolenta, quod absit, inuasione tam absoluta donatio aliquando suggerente humani generis inimico ullatenus incursetur, hanc paginam auctoritate domini Friderici, Pragensis episcopi, simul et Joannis, episcopi Olomucensis, sub uinculo detestandi anathematis, et sub terrore tremendi extremi iudicii sigillo patris mei authenticare, quomodo alias a supra memorato Henrico de Brevnow rogatus sum, satagaui.

Piter in Thesauro p. 141. ex autographo ejusdem monasterii.

CCCVII.

Wladizlaus, Bohemorum rex, contulit monasterio Gradicensi uillam *Zuitaua* in Usobrnensi prouincia cum ecclesia, foro, theloneo et uillis adiacentibus, videlicet *Mychow* et *Ibonow*. cc. 1169.

Ex Annalibus Gradicensibus Ms. — Confer Ruebneri Memoriale seculorum pag. 69. — et diplomata Wladislaw, marchionis Moraviae, ab annis 1201 et 1216.

CCCVIII.

Wladislaw, rex Boemorum, hospitale ordinis s. Joannis Hierosolymitanum possessionibus in Boemia large dotat. 1169.

Ego Wladizlaus, dei gratia rex Bohemorum. Notum facio cunctis fidelibus presentibus et futuris: Quod a primis principatus mei temporibus semper in uoto habui Iherosolymam ire, atque sepulchrum dominicum et alia loca sancta uidere. Quod et adimplere uolui, quando cum imperatore Conrado in expeditione contra paganos processeram. Sed cum peccatis exigentibus, nescio quo dei iudicio proposita perficere prohiberer, ad propria reuersus uotum exsoluere, atque Iherosolymam ire, ibique aliquantis per moram facere rursum magis ac magis accendor. Quod cum Ramundo tunc temporis magistro hospitalis Iherosolimitani ceterisque fratribus eius innotuisset, statim claues castri, quod uocatur Crat, et est in confinio paganorum situm, per fratrem Benedictum mihi miserunt, ipsum castrum cum omnibus suis pertinenciis absolute mihi meisque sociis ad nobis seruiendum offerentes, quamdiucunque intra illa manere uellemus. Quorum deuocionem ac liberalitatem gratissimam ducens, simulque perpendens, quanta in predicto hospitali humanitatis obsequia impenderentur omnibus sepulchri dominici uisitatoribus, sed precipue, ut ex multorum relacione didiceram, pauperibus et infirmis: placuit mihi tantorum bonorum esse cooperatorem, ut postmodum etiam aliquid exinde mercedis exspectarem. Diuino igitur actus instinctu ob remissionem peccatorum meorum, et pro salute uxoris mee ac liberorum meorum, sed et pro anima patris mei et matris mee et omnium predecessorum meorum predicto hospitali sancti Johannis Iherosolymitani ad sustentamentum pauperum et infirmorum promisi, et assignaui quasdam uillas meas, quas uel pecunia mea iuste emi, uel iustis ambitionibus mutaui, uel aliis iustis modis secundum iudicium nobilium seniorum Boemie legitime acquisiui, ut inde subsidium aliquod habere possent, donec diuina fauente gracia ego ipse presens aliquid superaddere possem. Et hee sunt uille, quas dedi, et fratribus predicti hospitalis Iherosolymitani assignaui. Quantum uidelicet in circuicione iuxta Plaz, scilicet Hodoviz. Ozoym. Plane. Cuhov. Preterea addo et confirmo possessionem eidem domui hospitalis, quam pater meus dux Wladizlaus contulerat meis cognatis Wratizlaw et Micus. Sed eisdem breui tempore raptis de medio, que iterum in usum meum cesserat. Manetin a meta Necstinensi usque ad metam Plazensium cum omnibus suis pertinenciis, uidelicet Lipe. Kahov cum foro. Wescu cum fluuio Manetin iacente usque ad Plaz. Libertatem omnimodam quidlibet faciendi seu piscandi, siue molendina ponendi in eodem fluuio eis concedentes. Siluam quoque nomine Cozodre et alias siluas circumiacentes iure legitimo do, et confirmo duas uillas in prouincia Belinensi, dictas Borizlave et Hribovici, que corone mee adiacebant. Ad peticionem autem fratris mei Heinrici addo eis uillam nomine Leuin, et siluam quandam usibus ipsorum necessariam iuxta Olesnice protendentem in medium montem Hwogen ad fluuium, qui dicitur Lupuhce, et ad uillam Camic, et ad Procetin, deinde usque Tesk, et tunc ad Rufum puteum, et sic iacentem usque ad dictum fluuium Lubuhce, ubi sumpsit initium. Testes, qui affuerunt, et audierunt donacionem et confirmacionem supra dictarum possessionum hii sunt: Juditha regina, uxor mea. Fridericus, episcopus Pragensis. Heinricus, abbas de Brevnov. Lambertus, abbas de Cladorub. Meinherus, abbas de Plaz. Olricus, prepositus Pragensis. Paulus decanus. Geruasius cancellarius et prepositus Wissegradensis. Martinus prepositus Lutomericensis. Florianus subcancellarius. Bohuslaus camerarius. Groznata castellanus de Cladzco. Zdezlaus pincerna. Vitko dapifer. Bleg de Trebusson. Bohuse barbatus, et frater eius Ratibor. Cstibor de Chis. Smil de Udrehe. Moiek uenator de Belsk, et alii quam plures. Actum est hoc anno incarnacionis domini MCLXIX. Anno autem mei principatus XXX. regni uero mei XI. episcopatus autem domini Friderici Pragensis I.

E copia vidim. in Museo Mor. — Excus. dedit Dobner in Annal. VI. 464.

CCCIX.

Fridericus, Romanorum imperator, concedit Ottoni comiti de Gelria ius aduocatiae Neomagensis. Testes: Ziffridus Moguntinus, Hillenus Treuerensis, Reinaldus Coloniensis archiepiscopi. *Wenselaus dux Bohemiae.* Hermanus dux Bavariae. Henricus marchio de Brandenburg. Otto dux Sueuiae. Wernhardus dux Austriae. Godefridus dux Brabantiae. Henricus dux Saxoniae. Philippus comes Flandren. ect. Datum apud Monguntiam anno dominice incarnationis MCLXXII. mense Maio. Indictione X.

Lunig Codex diplom. Germaniae II. 1742.

CCCX.

Udalricus, Moravorum dux, in expeditionem Italicam profecturus confert ecclesiae Olomucensi villam Vherčice. Act. in Olomuc 1174.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. amen. *Oldericus* dei gracia Morauorum dux omnibus ortodoxis catholice ecclesie filiis. Benedictus deus qui sue uirtutis efficaciam in nobis operando ad perficiendum quod deuoto uersabatur in pectore et uoluntatem nobis attulit et facultatem non abstulit. Quippe notum sit uniuersis in Christo fidelibus tam presentis quam futuri temporis. quod ego Oldericus dux predicte terre communicato cum omnibus terre primatibus consilio in expeditionem Ytalorum cum imperatore Friderico profecturus pro mee ac parentum meorum animarum remedio uillam *Vgricic* cum omnibus suis pertinentiis omnipotenti deo et ecclesie beati *Wencezlai* martiris in ciuitate Olomuc diuina annuente clementia obtuli ad habendum integraliter et possidendum et quicquid ecclesia inde uelit faciendum. Vt autem hec laudabilis nostre largicionis ordinacio rata et inuiolabilis in perpetuum permaneat scripto commendari et sigilli nostri inpressione confirmari precepimus. et ut perpetuo anathemate ab episcopo firmaretur rogauimus et dum fieret presentes astitimus. Actum Olomuc anno dominice incarnacionis millesimo centesimo septuagesimo quarto regnante Friderico Romanorum imperatore et Sobezlao ducatum in Boemia gubernante. ac uenerabili domino *Dethlebo* sedi olomucensis ecclesie presidente. Testes autem qui presentes aderant subter notari fecimus. quorum nomina sunt hec. Inter ecclesiasticas personas. Michael abbas Gradicensis. Chuno abbas de Trebecs. Pancracius huius ecclesie canonicus. Crina canonicus et archidiaconus. Preuoi canonicus et archidiaconus. Dionisius canonicus. Balwinus canonicus et archidiaconus. Vgra canonicus. Chualco custos et canonicus. Woina canonicus. Hualco canonicus. Bodsco canonicus. Reingotus canonicus. Stanco canonicus. Vtessen canonicus. Inter seculares uero personas. Dux et frater noster *Wencezlaus.* Slauebor camerarius cum fratre suo Paulo. Casta olomucensis castellanus cum filio suo Jaross. Albertus. Mladota iudex. Petrus iudex. Michael frater suus. Bohuzlaus. Suar. Milata. Ratibor castellanus de Godonin. Jaross castellanus de Prerov. Boris cum duobus filiis. Moiek castellanus de Brunna. Tuirdsa castellanus de Podiuin. Wlastibor. Sulizlaus. Vacen. Stanimir et alii quam plurimi fide digni.

E codd. Mss. sec. XIV. in archivo archiepiscopali Cremsirii fol. D. I. n. 67. — et alio in archivo capituli Olomucensis, necnon e copiis vetustis ejusdem archivi.

CCCXI.

Udalricus, dux Moravorum, confert monasterio Gradicensi silvam juxta *Nakl*, que circuitus dicitur. **1174.**

Annales Gradicenses Ms. — Cfr. literas Detlebi, episcopi Olomucens., ab anno 1179. — et Ruebneri Memoriale seculorum pag. 69.

CCCXII.

Miroslaw, miles Waceslaw, ducis Moraviensis, confert monasterio Raygradensi praedium suum in Začan. Actum in Bruna **1174.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. amen. Ego *Mirozlaus* miles illustris Morauiensis ducis *Wacezlau* pre oculis habens diuinum preceptum quo nos uiam uniuerse carnis ire omnes monemur et in omnia meo peruoluens in guerre tumultibus uite terminum esse proximum. constitui itaque tempore pacis saluti anime mee prospicere. Contuli igitur in remedium anime mee fratribus ad sanctum Petrum in *Raygrad* predium meum in *Schezan.* quod iure patrimonii possideo cum omnibus suis vtilitatibus et pertinentiis. ut siue de expeditione Italorum Olderici ducis sospes reuertam siue ferro uoraci uel communi omnium sorte uite dies prescindentur. idem predium fratres prefati possideant in perpetuum. atque pro anime mee peccatis remittendis misericordiam Dei exorare numquam pretermittant. Hanc meam donationem rogatu meo dominus illustris dux Wacezlaus in charte formatam conscribi iussit et suo sigillo communiuit. uenerabilis uero Morauiensis episcopus nomine *Detleb* anathemate perpetuo in uiolatores huius facti edicto confirmare non recusauit. Acta sunt autem hec anno dominice incarnationis millesimo centesimo septuagesimo quarto in Bruna. tempore quo illustres duces *Oldericus, Wacezlaus et Cuonradus Morauiam gubernabant* et dominus Oldericus in expeditionem Italorum cum Romanorum rege Friderico erat profecturus. Testes qui presentes fuerunt sunt hii:

dux Oldericus. dux Waceziaus. dux *Spitigneu.* Detleb episcopus. Chuno abbas de Trebech. Balduinus archidiaconus. Slauebor camerarius. Petrus iudex. Ratibor castellanus de Godonyn. Moiek castellanus de Bruna. Twrdisa castellanus de Podiwin. Sulizlau. Stanimir. Zbrazlau. Dirsata. Sobezlau. Velen. Leo. Jesutbor. Michal. Velis. Wlk. Trebek. Jarozlau. Crisimir. Voytch. Ludimir. Jurik. Paulus. et alii quam plures fide digni.

E copia sec. XV. in archivo archiepiscopali Olomucensi.

CCCXIII.

Waceslaw, dux Moraviensis, confirmat commutationem praedii Stanern et silvae Borek factam inter Gottschalcum, abbatem Siloensem, et Ranožjr militem. Dt. Brunae in colloquio generali, **1174.**

In nomine domini. amen. Innotescat cunctis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris. quod ego *Wacezlaus* dux morauiensis ad instantem militis nostri fidelis *Ranozir* intercessionem. pioque erga deuotum in Christo G. abbatem de *Selev* affectu inclinatus. concambium quod inter eosdem uiris nobilibus et religiosis mediantibus factum esse dinoscitur. sigilli mei inpressione roboraui. Erat autem concambium quale testes subter notati audierunt in hunc modum. Contulit igitur Ranozir cum fratribus suis monasterio in Selev siluam late protendentem iuxta terminos *Morauie* que vulgo Borek uocatur. pro predio *Stanimiri.* quod tempore fundationis tempore ducis Wladizlai *Zdico* episcopus a nobili uiro Stanimiro emerat et prefato monasterio donauerat. Quamuis predium ipsum iuxta examinationem proborum hominum eiusdem silue vtilitatem non superabat. tamen in obtentum diuine remunerationis eleemosinam contulit Ranozir abbati prefato uidelicet L marcas argenti. quatinus fratres de Selev eum cum progenie sua orationibus cottidianis habeant commendatum. amen. Decimas uero predii colliget abbas et habebit iure hereditario inperpetuum. Igitur ne de prememorato concambio silue et predii predictorum apud posteros scrupulus aliquis ualeat exoriri. huic pagine inserere dignum duxi coram testibus. qui tum concambio presentes interfuerunt. nunc autem anno dominice incarnationis millesimo centesimo septuagesimo quarto. *in colloquio generali in Bruna* congregati existunt suntque hii. Chuno abbas de Trebech. Hualço canonicus olomucensis. Ratibor castellanus de Godonin. Mirozlav. Stanimir prefectus de iglaua. Ranozir. Gothardus. et alii quam plurimi fide digni.

E confirmatione Constantiae, reginae Boemiae, et Premysl, marchionis Moraviae, ab anno 1233. in codice Ms. sec. XIV. quondam monasterii Tissnowicensis.

CCCXIV.

Fridericus, Romanorum imperator, ecclesiam Morimundensem supra Ticinum in suam protectionem suscipit. Testes: Philippus archiepiscopus Coloniensis. Arnoldus Treuirensis archiepiscopus. Hermannus Bambergensis episcopus. Hertwigus Augustensis episcopus. Hugo Verdensis episcopus. Cuno Ratisponensis episcopus. Gero Alverstadensis episcopus. Vdo Cicensis episcopus. *Ulricus dux Boemorum.* Conradus palatinus comes Rheni. Otto palatinus comes de Withelingebach ect. . . . Acta sunt haec anno dominicae incarnationis MCLXXIV. indictione VII. regnante Friderico imperatore Romanorum gloriosissimo anno regni eiusdem XXIII. imperii vero XXI. Datum in *episcopatu Papiensi in obsidione Roboreti* XIV. (Kal.) Januarii feliciter. Amen.

Vghelli Italia sacra Tom. V. pag. 155.

CCCXV.

Soběslaw, dux Boemiae, dotat monasterium Plazense sub testimonio Detlebi, Olomucensis episcopi. 1175.

Notum sit tam futuris, quam presentibus, quod ego Zobezlaus gratia dei dux Bohemie prospiciens anime salutique mee abbati in Plaz, videlicet

Meinero, ceterisque monachis fratribusque dei seruis ibidem deuote deo famulantibus in remissionem peccatorum meorum dedi circuitum: Oboram, Cretkov et Babinam, cum pratis et aquis, que sunt infra eundem circuitum, et alium circuitum nomine Lomnice et Luti, similiter cum suis pratis et aquis proprietario iure possidendos iisdem fratribus in perpetuum dedi. Preterea idem abbas cum fratribus suis adiens me obnixe rogauit de predio tradito sibi a quodam comite nomine Bolic, filio Nacezsse, pro salute anime sue, quatenus hoc meis bonis concambio commutarem, quod et feci, tradens eis predium nomine Vgiezd pro suo, quod dicitur Zussan, ex parte eorum additis, ut concambium equi existimatione constaret octo talentis. Commutaui etiam eisdem petentibus aliud predium Crposiz nomine, quod contulit eis pro salute anime sue Boguzlaus scilicet, camerarius, filius Scaste, predio meo dicto Lugow. Ut igitur omnium horum actio rata et inconuulsa maneat, cum testimonio omnium eorum, qui tunc presentes erant, confirmari precepi cum carta et sigillo meo. Fridericus Pragensis episcopus. *Detelebus Olomucensis episcopus.* Geruasius cancellarius et prepositus Wissegradensis. Florianus notarius. Cec iudex curie. Sdezlaus camerarius. Riuinus prefectus de Kladesc et frater eius Pelegrinus. Jarogneu prefectus de Sathec. Zezema prefectus de Plizen cum filio suo Zezema. Dlugomil pincerna. Witek dapifer. Mutine prefectus Pragensis et frater eius Dobrogost. Kohan prefectus de Dudeleb. Petrus prefectus de Dreuuic cum fratribus suis Milgost et Agna. Hartlebus camerarius episcopi. Olricus filius Stibor cum fratre suo Beneda. Hermannus agazo cum fratribus suis Gauel et Zauisa. Woc prefectus de Budisin. Budiwoi prefectus de Sceazlav. Ego vero quoad vixero, ut orationibus eorum inserar, prout potero, libenter patrocinabor. Acta sunt hec anno incarnationis domini MCLXXV. Indictione octaua. Data per manum domni Geruasii cancellarii et prepositi Wissegradensis.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae dominus Palacky descripsit. — Excusum incorrectius apud Dobner in Monumentorum tomo IV. p. 244.

CCCXVI.

Detleb, episcopus Olomucensis, maturas de b. virgine Maria in cathedrali sua ecclesia et ad s. Mauritium Olomucii instituit et dotauit. **1176.**

Friebekii analecta diplomatica ex archivo s. Mauritii. — Confer Wekebrod Kirchengeschichte pag. 278.

CCCXVII.

Sobezlaus, dux Bohemorum, donauit ecclesiae Olomucensi quandam siluam, quam fratres Drzlaus et Woizlaus de Jvvanouic limitantes circumiuerunt, qui etiam testes in literis scribuntur. Dt. Olomuc Idus Augusti, **1176.**

Excerpta diplomatica Friebekii. — Confer Wekebrod Kirchengeschichte pag. 250.

CCCXVIII.

Soběslaw, dux Boemiae, donationem Soběslaw, patris sui, nec non ducum Udalrici et Conradi ecclesiae Olomucensi factas confirmat. **1176.**

Notum facimus cunctis fidelibus tam presentibus quam futuris in Christo pie uiuentibus! quod elemosinam quam magnus dux *S. (obezlaus)* scilicet *homutne in olzaua Sdikone* episcopo affirmante et anatematizante sancte olomucensi ecclesie contulerat. quam eciam per iniqua consilia impii et iniusti ab ea abstraxerant. hanc filius eius gloriosus dux *Sobezlaus* paterni throni successor eidem ecclesie fratribus pro iniuria sibi illata conquerentibus. plurimisque tam boemis quam Morauis baronibus assidentibus iuste restituit. quod denique formate sue priuilegio confirmauit et uniuersis per fora terre hoc notificare precepit. Frater autem eius eo tempore morauiam regens dux *oldricus* memoriam bonam sui posteris uolens relinquere. villam integram *Vgricic* pro remedio anime sue et parentum suorum. magno duce. S. (obezlao) annuente et confirmante prefate ecclesie in usum fratrum contulit. et hoc eciam uenerabilis eiusdem ecclesie episcopus *Detleb* perhenni anathemate confirmauit. ut siquis huius facti uiolator quod absit successerit expers eterne hereditatis inter fideles sit. Eodem uero tempore eisdem quoque principibus dei gracia regnantibus et annuentibus *Sedlek* miles prole carens patrimonii sui Christum fecit heredem. et uillam dedit *Scriben* sancte olomucensi ecclesie. Siquis hoc turbare uel mutare conatur. eodem anathemate feriatur. Preterea dux predictus Sobezlaus querimonie a fratribus deposite satisfatiens et iusticie circuitum qui uocatur. *dobretin*. a Koiata ioculatore comparauit. comparatumque ecclesie uiolentiam passe restituit perpetuo iure possidendum. Terram autem ad castrum *Strachotin* pertinentem predicto circuitui adiacentem princeps *.conradus.* addidit. et vt inuiolata permanerent ista auctoritate diuina episcopus dedlebus confirmauit.

Ex originali cum sigillo ducis Sobeslaw a dextro latere pendente admodum laeso in archivo capituli Olomucensis — Transumtum est in codd. privilegiorum sec. XIV. Cremsiriensi et Olomucensi saepius citatis. — Excusum primus dedit Wekebrod in: Kirchengeschichte pag. 278.

CCCXIX.

Soběslaw, dux Boemorum, damna quondam a se monasterio Gradicensi illata resarcit. 1176.

Sobezlaus dux Boemorum. postquam paterni throni successor extitisset abbati et fratribus ad s. *Stephanum* prope Olomuc contulit *Bukouany* uillam. et syluam iuxta *Nakl.* et aliam siluam quam *Oldericus* dux tradiderat eisdem confirmauit. uolens hac elemosyna grauia dampna que per eundem ducem post decessum *Ottonis* quondam ducis Olomucensis eidem monasterio sunt illata resarcire tum quando ualeret. quam uero donationem formate sue priuilegio roborauit et per fora terre hoc notificare precepit. Frater autem eius *Oldericus* eo tempore *Morauiam* regens addidit tabernarium ibidem in Nakl et terram ad duo aratra in Nakl. quam a Sedlek milite de Skriben sua emerat pecunia. Sedlek ipse qui similiter tempore *destructionis* monasterii prefati per ducem Sobezlaum manus suas a deo dicato loco minime detraxit hereditatem suam in *Choline* dedit s. Stephano in leuamen peccati sui exorandum.

E literis Detlebi episcopi ab anno 1179. — Annales Gradic. Ms. nec non patrii scriptores ad originale diploma provocant.

CCCXX.

Adalbertus, abbas Strahowiensis, dedit in concambio cuidam Chrenoni curiam „Raduwisic" teste Detlebo, Moraviensi episcopo. cc. 1176.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Christiane religionis ratio exigit. ut ea que inter prelatos ecclesiarum dei ceterosque fideles. de rebus ecclesiarum disposita uel acta fuerint. ut rata et inconuulsa perpetuo perseuerent. auctoritate principum et assignatione testium firmiter roborentur. Quia uero plurima nisi scriptis mandata fuerint. processu temporum abolentur. necesse est literis mandari. quod oportet in posterum cognosci. Ea propter uniuersis Christi fidelibus tam moderni quum futuri temporis in perpetuum presentis scripti commendatione notum sit. quod Adalbertus abbas stragowiensis cum fratribus suis et sororibus Chrenoni filio Jurate prepositi Melnicensis. dedit in concambio Raduwisic curiam cum annona. additis quatuor marcis argenti. pro patrimonio suo quod habuit in Crawar. et tota silua adtinente. que uulgari uocabulo circuitus uocatur. Acta sunt temporibus Zobizlai ducis boemorum. presentibus nobilibus boemie. ipso duce factum approbante et sigilli sui impressione confirmante. Eorum uero quorum hec testimonio roborata sunt nomina sunt hec. Fridericus pragensis episcopus. *Dethlebus morauiensis episcopus.* Geruasius wissegradensis prepositus et cancellarius. Martinus prepositus pragensis. Albertus prepositus.

Cuno prepositus bolezlauiensis. Paulus decanus pragensis. Zlawon archidiaconus pragensis. Sdezlaus archidiaconus rokizanensis. Hermannus archidiaconus bechinensis. Pribizlaus archidiaconus rudnicensis. Alexander. Florianus notarius. Ciec iudex curie. Blego castellanus Lutomericensis. Zezema. Vitek. Budilo. Dulgomil. Nausa. Herman et fratres eius Gaul et Zawisa. filii Marcquardi. Riwin dapifer. Pribilav. Pillunk. Janek. Boguzlav. Bolezlav. Jurata. Csta. Ones. Luodwic. Luoder. Scazzlav. Glupen. Luopolt. Oldrih. Predbor frater eius. Herman filius Hugonis. Sdezlaus camerarius et filius eius Petr. Budivoy filius ciec.

Aeri incisum dedit Dobner in Ann. VI. 510.

CCCXXI.

Soběslaw, dux Boemiae, dotat monasterium Cladrubense sub testimonio episcopi Detleb et ducum Udalrici et Waceslaw. Dt. mense Febr. **1177.**

In nomine dei eterni. Ego *Sobezlaus* Boemorum dux fideliter credo placitum esse deo benefacere bonis et maxime uiris religiosis quorum orationibus cottidianis longeua felicitate spero conseruari et premium eternum promereri. Notum itaque sit omnibus presentibus et futuris. quod quando diuina clementia me liberauit de carceris angustia facultates non habui sicut honorem principalem deceret. et tamen pro pecunia premere populum non uolui qui longa exspectatione dominationem desiderabiliter exspectauerunt. sed quasdam res ecclesie sancte Marie in Cladcrub ad necessitatem meam non tamen sine uoluntate abbatis et fratrum accepi. Ad illarum uero rerum restaurationem do ecclesie sancte Marie in Cladrub circuitum libere et proprietario iure possidendum in perpetuum. qui circuitus primo trium flumiuum ripas. uidelicet Zucha. Ternova et Mise. et ea que infra hec flumina sunt claudens se extendit ad uillam Churoied. et de Churoied ad uiam que est inter Churoied et Checchowic cum pratis et aquis et omnibus que sunt infra eundem circuitum. Quia uero monasterium illud singulis annis penuria feni affici ab omnibus uicinis illius loci ueraciter percepi. prata in loco qui dicitur Zedlissie ex utraque parte fluminis integre tradidi. Si quis uero principum uel a me. uel a successore meo siluam que sita est inter circuitum et eadem prata deseruierit. ne aliquam fraudem ecclesie in pratis illis patiatur perpetua cautela condemno. Omnes homines eiusdem ecclesie sancte Marie absoluo a succisione silue excepto illo loco ubi ipsi solent succidere. Et a caniductoribus eos liberos esse uolo. Actionem istam cum charta et sigillo meo confirmo presentibus episcopis Friderico pragense. et *Tedlebo morauiense. Vdalrico et Watzlao* fratribus meis. Geruasio cancellario. Martino preposito Pragensi. Paulo decano cum fratribus Pragensibus. Magno decano Wissegradensi cum fratribus suis. Henrico abbate Brunoensi. Maignero abbate Plazensi. Conrado abbate Nepomukensi. Zdezlao camerario. Vitkone dapifero. Dulgomilo pincerna. Hermanno marscalco cum fratribus suis Zauissa et Gaulo. Scecz iudice. Jarogneo castellano de Sathec. Zezema castellano de Plizen. Blegone castellano de Luthomeric. Riuino castellano de Kladesko et fratre eius Peregrino. Juriko filio Jurik. Odalrico et Beneda de Suaysin. Ratibor et Jaros de Scezgouiz. Olrico de Sisencou. Dobrogost et Mutina fratre eius de Bukowec. Et ut nullus successorum meorum hec immutet que ad honorem dei et eius pie matris deuote ordinaui more predecessorum meorum stabilio. Anno domini MCLXXVII. indictione X. epacta VII. concurrente III. mense Februario. Datum per manum domini Geruasii cancellarii et prepositi Wissegradensis ecclesie feliciter.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae descripsit d. Palacky. — Excusum apud Dobner in Annal. VI. 511.

CCCXXII.

Fridericus, episcopus Pragensis, confert ecclesiae Pragensi circuitum cum villa juxta Rokycan sub testimonio Conradi, principis Znogmensis. Act. IV. Idus Martii, 1177.

Ego Fridricus dei gratia Pragensis ecclesie humilis minister XIIII. a domino duce Sobezlao circuitum iuxta Rokican deseruiui: sed quidam miles suus Pribizlaus nomine suum esse dicebat. Et hec causa sepius coram duce. et primatibus eius multociens uentilata fuerat. nec determinata. Tandem predictus Pribizlaus zelo dei ductus . . . in manum ducis resignauit. Duce uero eum mihi et ecclesie mee in hereditatem conferente. ipsius ducis consilio. conuentu meo in idipsum consentiente. ut hec querela sopiatur. per omnia. uillam ecclesie Lazi nomine hereditario iure ei possidendam contuli . . . Actum est autem hoc anno dom. incarnat. MCLXXVII. indictione X. epacta XVIII. concurrente V. temporibus gloriosissimi et serenissimi ducis Boemorum Sobezlai. anno ducatus sui IIII. Idus Martii IIII. Nomina autem testium coram quibus hoc actum est. hec sunt. *Conradus princeps de Znogem.* Geruasius prepositus et cancellarius ect . . . .

Summarium ex orig. arch. capit. Pragen. mihi a d. Palacky communicatum.

CCCXXIII.

Soběslaw, dux Boemorum, confirmat et auget possessiones ecclesiae Wyšehradensis sub anathemate Dellebi, episcopi Moraviensis. 1178.

In nomine dei eterni. Ego *Sobezlaus,* Bohemorum dux, dei fidelis cultor et iustitie verus amator. Notum facio presentibus et futuris, quod ecclesiam Wissegradensem specialiter honorare et defendere libenter volo propter honorem dei et sue sancte matris Marie et beati Petri apostoli, ut eos in nouissimo die clementes habeam, cum precessoribus meis et patre meo, qui in eadem ecclesia requiescunt. Quod et ego spero. Ad honorem itaque dei et eiusdem ecclesie, et ad meliorandam prebendam fratrum, do circuitum in suburbio Pragensi, qui matris mee fuerat, quia tantum a tempore patris mei fuit eis imminuta prebenda de tributo pacis, ut nunc unusquisque centum denarios, raro plures, sepe vero pauciores accipiat, qui tempore patris mei mille et septingentos accipiebant. Et de tributo, sicut solebant, semper accipiant. Addo etiam eis in villa Slivniz quatuor millia denariorum singulis annis. De telonio sub Podivin do eis duos denarios. Et locum molendinorum primum, qui est sub ecclesia sanctorum

Cosme et Damiani. Do etiam eisdem fratribus terram in villa Modrian ad duo aratra cum vinea, Cernovic LXX iugera. Wissegoreuiric terram, quam cambiui a Wratis, ad aratrum. Et pro prebenda Ingrami, quam pro suo bono seruitio integram feci, do eis villam Hulmisac in censu XIIC denariorum. Eisdem etiam fratribus do montem, qui Pzar vocatur, totum ad vineam faciendam cum hortis, qui sub eodem monte fuerunt quondam prata. Hanc etiam benignitatem eisdem fratribus feci: Quidquid ante tempora principatus mei fuit alienatum vel impeditum, quod ad eorum prebendas pertinere debet, emendaui, scilicet vini medietatem in Sitiniz, et poledrorum medietatem, quod quidam preteriti prepositi usque ad dominum Geruasium cancellarium et prepositum ignoranter vel potenter neglexerant fratribus dare. Hec emendata cum bona voluntate prepositi Geruasii in capitolio Wissegradensi cum charta et sigillo meo confirmaui. Flumen Zazaua presentibus vicinis de circuitu eorum emendaui, et stabiliui coram nobilibus, qui presentes ibi erant, ita ut nullus habeat in eodem flumine potestatem infra circuitum eorum preter ipsos canonicos et eorum homines. Et supradicti circuitus termini sunt: ab oriente Zazaua; a Seleu fluuius Livbe cum ipso fluuio; ab occidente antiqua via, que conducit ad Seleu. Hec omnia supradicta confirmata sunt sub anathemate episcopi Friderici Pragensis, et *Tedlevi, episcopi Morauiensis,* ut nullus successorum meorum aliquid minuat vel impediat de supradictis. Annus dominice incarnationis MCLXXVIII. indictio XI. epacta nulla. concurrens VI. Data per manum domini Geruasii cancellarii et prepositi eiusdem ecclesie Wissegradensis.

Analecta d. Palacky ex orig. — Hammerschmidt in Glor. Wisschr. p. 143.

CCCXXIV.

Soběslaw. Boemorum dux, jura Teutonicorum Pragensium (quibus et Olomucenses in Moravia sunt usi) stabilit. 1174 — 1178.

Ego *Sobeslaus,* dux Bohemorum, presentibus omnibus et futuris notum facio, quod in gratiam et defensionem meam suscipio Theutonicos, qui manent in suburbio Pragensi, et placet etiam, quod sicut iidem Theutonici sunt a Bohemis natione diuisi, sic causa a Bohemis eorumque lege et consuetudine sunt diuisi; concedo itaque eisdem Theutonicis uiuere secundum legem et iustitiam Theutonicorum, quam habuerunt a tempore aui mei regis *Wratislai.* Presbyterum, quem ipsi libenter elegerint ad ecclesiam eorum concedo, et iudicem similiter. Episcopus petitioni eorum nullo modo contradicat. Debent . . . . iurare septem manibus pro furto, uel pro eo, quod dicitur nadworze. Ad nullam expeditionem Prage debent, nisi sit pugnandum pro patria. Si dux est extra terram Bohemie in expeditione, tunc Teutonici debent Pragam custodire circa quamlibet ualuam cum duodecim scutis. Pro homicidio iudicare pertinet ad principem, pro quo quidem homicidio soluantur principi duodecim talenta denariorum Ratisponensis monete, uel dextra manus interfectoris secundum gratiam ordinetur. Qui pacem inter eos fregerit, decem talenta principi soluat, qui reus est. Si causam Boemus habet cum Teutonico, que testibus debeat probari, Boemus habeat erga Theutonicum duos Theutonicos et unum Boemum, fideles omnes. Similiter si causam Theutonicus habeat cum Boemo, tunc Theutonicus habeat erga Boemum duos Boemos et unum Theutonicum sic fideles. De Romanis et Judeis similiter. Item si Boemus uel Romanus uel quicunque inculpauerit Theutonicum, tunc camerarius summus debet mittere nuntium suum ad iudicem Theutonicorum, et ipse iudex Theutonicorum iudicabit causam illam, et ibi nihil plus pertinet ad camerarium. Et etiam concedo Theutonicis, quod ipsi liberi homines sint ab hospitibus et peregrinis ac aduenis. Noueritis quod homines liberi sint. Quicunque aduena uel hospes de quacunque terra ueniens cum Theutonico uoluerit manere in ciuitate, legem et consuetudinem Theutonicorum habeat. Furtum si ad Theutonicum est, debet excipi presente iudice Theutonicorum. Si fur Theutonicus est, princeps eum iudicabit. Si fur in nocte capitur, suspenditur. Si in die capitur, excoriatur in publico, et ciuitatem abiurabit; si postea capitur, suspenditur. Quidcunque faciunt Theutonici, non capiuntur, nec in carcerem ponuntur, si habuerint fideiussores, uel domum propriam. In quacunque re culpabiles erunt uel rei Teutonici, nihil dampni uel uerecundie patiantur eorum pueri et uxores. Si per uicos Theutonicorum aliquis in nocte iuerit, et facem non habuerit, si ille moriatur, Theutonici sunt inculpabiles. Si falsa uel fracta moneta fuerit in cista inuenta Theutonici, reus est ille, cuius est cista. Si autem in curia uel in domo inueniatur, inculpabilis est, cuius est domus uel curia propter iniquos et malignos homines, qui talia solent proiicere in domos uel in curias. Si furtiuus equus apud aliquem Theutonicum recognitus fuerit, tunc ille, qui recognoscit equum, iurabit prius, se amisisse equum furtiue; postea Theutonicus iurabit stans in circulo facto cum gladio in terra, se non furatum equum, uel rem illam se emisse, et non cognoscere illum venditorem, uel dominum eius. Nunquam debent iurare Theutonici, nisi ante ecclesiam sancti Petri, nisi principi sit iurandum. Si thaberna occulta fuerit in domo Theutonici, ipse dominus domus capiatur presente iudice Theutonicorum, uel eius nuncio, et nullus aliter.

Dobner Annalium tomo VI. pag. 503.

CCCXXV.

Detleb, episcopus Olomucensis, attestatur donationes a ducibus Soběslaw et Udalrico aliisque factas monasterio Gradicensi. **1179.**

Ego Detlebus dei gratia episcopus Olomucensis. Notum facimus cunctis fidelibus tam presentibus quam in Christo futuris. qualiter me cum plurimis clericis et laicis astante et anathematizante d. *Sobezlaus* dux Boemorum. postquam paterni throni successor extitisset abbati et fratribus ad s. *Stephanum* prope Olomuc contulit *Bukouany* uillam. et syluam iuxta *Nakl.* et aliam siluam quam *Oldericus* dux tradiderat eisdem confirmauit. uolens hac elemosyna grauia dampna que per eundem ducem post decessum Ottonis quondam ducis Olomucensis eidem monasterio sunt illata resarcire tum quando ualeret. quam uero donationem formate sue priuilegio roborauit et per fora terre hoc notificare precepit. Frater autem eius *Oldericus* eo tempore *Morauiam* regens addidit tabernarium ibidem in Nakl et terram ad duo aratra in Nakl. quam a Sedlek milite de Skriben sua emerat pecunia.

Sedlek ipse qui similiter tempore *destructionis* monasterii prefati per ducem Sobezlaum manus suas a deo dicato loco minime detraxit hereditatem suam in *Choline* dedit s. Stephano in leuamen peccati sui exorandum. Dominus *Michael* autem abbas s. Stephani de *Gradis* iusta petitione ad nos accedens rogauit. ut omnia hec que presens audirem. uiderem et ipse canonice confirmarem in scripti paginam redigerem. quod et facere minime dubitaui. Si quis igitur hanc elemosynam auferre uel factum immutare conatur anathemate feriatur. Anno Millesimo centesimo septuagesimo nono.

Ex originali quondam monasterii Gradicensis descripsit Friebek.

CCCXXVI.

Fridericus, Romanorum imperator, decernit de limitibus Boemiae et Austriae Dt. Magdeburg Kal. Julii, 1179.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Fridericus, diuina fauente clementia Romanorum imperator augustus. Ad imperatorie dignitatis spectare dignoscitur vigilantiam, eis, que ad pacis et iustitie obseruationem conducunt intendere, et seditionum occasiones prudenti cautela precidere. Nihil vero reperitur efficacius magnas lites suscitare, quam viros potentes sue potestatis et proprii dominii terminos ignorare, vel ultra debitum extendere. Ea propter agitatam diu inter duces Boemie et Austrie de suorum terminis ducatuum controuersiam, dignum duximus tandem amputare, et utrique ducatui iurisdictionis sue terminos certis limitibus assignare. Euocatis ergo ad nostre maiestatis presentiam eorundem ducatuum possessoribus consanguineis nostris Leupoldo scilicet, duce Austrie, et Friderico, duce Boemie, sic ex consilio principum Imperii nostri in curia nostra apud Egaram eosdem ducatus disterminauimus, et institutis publice metis distinximus, ut hec distinctio prudentibus et maioribus utriusque terre tamquam omnino congrua placeret, et eam uterque assensu placido approbaret, ipsamque sibi et successoribus suis perpetua lege seruandam reciperet, et ambo iuri, quod secundum anotatam contentionem super hac causa in alterutrum habere videbantur, spontanea et manifesta resignatione abdicarent. Ne super his ergo deinceps oriatur ambiguitas, ob firmam definite rei cognitionem et memoriam nomina et situs terminorum corundem presenti pagina fecimus annotari. In superiori itaque parte utriusque terre, Boemie scilicet et Austrie, terminus est mons, qui dicitur altus; ab illo monte terminus dirigitur usque ad concursus duorum riuulorum, quorum unus vocatur Schremelize, alter Lunsenize (Lvn semze); inde porrigitur usque in proximum vadum, quod est iuxta Segor. Ab illo vado recta estimationis linea terminus idem extenditur usque ad ortum Postice (gestice) fluminis; ab ortu vero eiusdem fluminis usque in Ugruch (vrgrvbe). Hanc ergo predictorum ducatuum disterminationem auctoritate imperiali confirmamus, et omni deinceps euo ratam haberi statuimus, precipientes sub pena imperialis gracie, ut nullius unquam presumptione violetur; et si quis eam infringere attentauerit . . . centum libras auri, medietatem fisco regio, et medietatem iniuriam passo conponat, irrita tamen ipsius presumptione. In cuius rei argumentum presens priuilegium iussimus conscribi, et maiestatis nostre sigillo roborari, annotatis testibus, qui huic interfuerunt ordinationi. Qui sunt: Cuno, Ratisponensis episcopus. Diepoldus, marchio de Vohenburc. Fridericus et frater eius Heinricus, burggrauii Ratisponenses. Conradus, comes de Bilstein. Otto minor, palatinus de Vitelinesbach. Rudolphus, comes de Phullendorf. Cunradus, burggrauius de Nuernberch. Otto de Lengenbach. Diepoldus, comes de Lechsegmund. Cunradus de Bokesberch. Rupertus de Durna. Heinricus de Altendorf et frater eius Fridericus. Diepoldus de Luzzenberc. Otto de Ashein. Rudiger de Minndebach. *Otto, comes de Morauia.* Bohut Boemus. Pillunc de Tudeliep et frater eius *Primezla, marggrauius de Morauia.* Albertus Trozenci. Udalricus de Sizengou et alii quam plures. Actum domini Friderici, Romanorum imperatoris inuictissimi. Ego Gotfridus cancellarius vice Christiani, Moguntinensis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognoui. Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo centesimo septuagesimo nono, indictione XII. apud Egram. Regnante domino Friderico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni eiusdem vigesimo octauo, imperii autem XXV. Et datum in ciuitate Magdeburg in Kalendis Julii mensis feliciter. Amen.

Hormayrs Oestr. Archiv 1829. 631. — Rauch script. rer. Austr. II. p. 205.

CCCXXVII.

Fridericus, dux Boemiae et Moraviae, confirmat ecclesiae Olomucensi possessionem villarum Mohelnice et Brunowice. **1180.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Notum sit cunctis fidelibus Christi tam moderni temporis quam futuri. quod ego *Fridericus* diuina largiente clementia dux Boemie existens. remissionem peccatorum assequi cupiens et in libro uite celestis asscribi deuotę super omnia desiderans. ab ineunte etate decorem domus dei dilexi. et ne in conspectu eius de cuius plenitudine omnes accepimus. uacuus apparerem. desiderium semper habui ut eciam dei bona non solum que nostro tempore deo opitulante iuste acquisiui. uerum eciam que predecessores nostri quibuscumque ecclesiis seu in patrimoniis. seu in facultatibus ob remedium animarum suarum contulerunt. uolumus vt absque omni impedimento rata fore habeantur. Hoc itaque notum uobis facio quod ego *Fridericus dux Morauie* existens. causa pacis domino *Johanne* rogante feci concambium de villa *Mogilnice* et pro eadem uilla aliam uillam nomine *Micalne* in ius meum cum duobus aratris et ceteris bonis obtinui. Itaque nunc existens *dux tam Boemie quam Morauie* hoc priuilegium scribi precepi ut firmum hoc factum apud omnes christianos habeatur et custodiatur. Deinde pro remedio anime filii mei *Wratizlai* cuius deus animam habeat. ego Fridericus et uxor mea domina *Elizabet* uillam adiacentem contulimus nomine Olsane deo et sancto *Wencezlao* in manus domini episcopi *Detlebi.* et quicquid ibidem terre fuit ad aliquod castrum pertinens omnia eidem ecclesie contulimus. Dominus autem episcopus consilio nobiscum habito causa pacis et quietis de eadem uilla Olsane fecit concambium cum quodam milite nomine Zbrazlao filio Wocconis pro circuitu qui attinebat eidem uille Mogilnice. Patruus uero meus. Z. ibidem uillam quandam nomine *Brunovic* deo et sancto Wencezlao in manus domini episcopi Detlebi ob remissionem peccatorum suorum animarum suarum contulit. Volumus igitur ut hec omnia que prescripsimus firma et inconuulsa permanerent. Quicumque ergo hoc factum uiolare temptauerit.

ex precepto nostro domino Detlebo iniungimus. ut hec inbanniat et uiolatorem facti huius sathane et angelis eius tradat. Hii sunt autem testes in quorum presentia hec facta sunt. Grabisa camerarius. Zlauibor dapifer. Protina agazo. Groznata pincerna. Vitizlaus. Pribizlaus. Bogusa. Bolezlaus. Johannes iudex. Eppo. Chochanus. Welizlaus. Hermannus. Wocco. Dirsizlaus. Rusa. Zauisa. Budiwoi. Beneda. Vlricus. Nacerad. Martinus. Petrus. Kraso. Zuda. *Yrud. (?)* Gerprechtus. Cazlaus. Groznata. Cach. Grabca. Boztech. Pomnen. Mztizlaus. Onso camerarius. Cstata. Martinus. Milata. Certa. Dobremil. Boguta. Andreas. Zbrazlaus. Cazlaus. Dirsizlaus. Radozlaus. Swar. Bogusa. Matheus. Zlawa. Madota. Boza. Zbrazlaus. Bohuzlaus. Albrich. Boguchual. Milozlaus. Zedlek. Sulizlaus. Hec facta sunt anno dominice incarnationis milesimo centesimo octogesimo. epacta XX. indictione XIII.

E codicibus privilegiorum Mss. sec. XIV. Olomucensi et Cremsiriensi saepius citatis; nec non copiis aliis in archivo capituli. — Friebek in annalectis diplom. Ms. ad originale ipsum provocat.

CCCXXVIII.

Fridericus, dux Boemiae et Moraviae, confirmat ecclesiae Olomucensi bona Vherčice, „Homulne et circuitum Dobretin." cc. 1180.

Notum facimus cunctis fidelibus tam presentibus quam futuris in Christo pie uiuentibus. quod elemosinam quam dux *Sobezlaus* magnus scilicet *Homulne in Olzaua Sdicone* episcopo affirmante et anathematizante sancte *Olomucensi* ecclesie contulerat. quam eciam per iniqua consilia impii et iniusti ab ea abstraxerant. hanc filius eius gloriosus dux *Sobezlaus* paterni throni successor eidem ecclesie fratribus pro iniuria sibi illata conquerentibus. plurimisque tam Boemis quam Morauis baronibus assidentibus iuste restituit. quod denique formate sue priuilegio confirmauit. et uniuersis per fora terre hoc notificare precepit. Postea uero non longo temporis interuallo dux *Fridericus tam Boemie quam Morauie ducatum obtinuit.* Et dum supradicta uidelicet *Homutne. Vgricic. circuitum Dobretin* ab antecessoribus suis ecclesie mancipata cognouit. assensum benignum prebuit sigilloque suo priuilegium insigniuit. Presul autem Detlebus principe presente terreque nobilibus talem anathematis subintulit sententiam. Si quis supradictorum uiolator extiterit cum Datan et Abyron gehenne deputetur incendio. Amen.

Copia in analectis Friebekii ex originali. cum sigillo Friderici ducis pendente. — Item transumptum in codice privilegiorum Ms. sec. XIV. capituli Olomucensis saepius citato I. B. pag. 153.

CCCXXIX.

Fridericus, dux Boemorum, possessiones monasterii Waldsassensis confirmat, atque auget sub testimonio Ottonis, principis Moraviae.

1181.

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Fridericus divina favente clemencia Bohemorum dux. Cum omnium mundanorum affluencia et gloria pro sui mutabilitate et inconstancia nichil securitatis ac perfecte beatitudinis suis amatoribus afferat, tutum atque solercia estimamus terrena pro celestibus, permanencia pro perituris commutare, illucque per manus pauperum Christi transmittere fugiencia, ubi semel acquisita non pereunt, sed fenore centuplici perpetuo possidentur; reservatur enim census imposterum, cum de suis Deus muneribus honoratur. Igitur quendam ambitum Ugiez Boemice appellatum, Theutonice nomine Maringe, cum omnibus appendiciis suis silvis, pratis, pascuis, molendinis, aquis, aquarum decursibus, cultis et incultis, seu quibuslibet utilitatibus pro salute nostra, nostreque comparis atque pro redempcione animarum omnium parentum nostrorum, scitu atque assensu Boemorum, sicut consignatum est et terminis distinctum, perpetuo possidendum ecclesie Waldtsaxensi tradimus. Insuper etiam quendam ambitum inter exteriorem Luboz, et Znata fluvium situm, et a beate memorie patre nostro tunc temporis duce postea rege Wladislao eidem ecclesie libere donatum, atque privilegio iam ante confirmatum, cuius partem quidam invasores iniuste usurpaverant, sed suam iniuriam recognoscentes male usurpata ei in pace reddiderunt, sicut suis terminis distinctus ac consignatus est, libera donacione conferimus, et ut factum hoc ratum et inconcussum permaneat, sigilli nostri impressione confirmamus; ut autem calumpniatoribus locus invasionis de cetero penitus auferatur, et domus Dei in sua possessione non inquietetur, terminos huius ambitus, sicut pater noster eos prefixit, huic pagine articulari decernimus. Sunt autem hii: a fonte aque Znata usque dum rivus Dieffenbach vocatus ei influit ex transverso a fonte eiusdem Znata veniens in rivum Elstre nomine per descensum eiusdem donec minor Elstre et rivus Winbach in eum cadit, per ascensum usque in fontem minoris Elstre, a fonte eiusdem usque in rivum inferius Lubocz, per eundem rivum inferius, usque dum rivus Tonocop in eum cadit. Quicunque autem hanc nostram munificenciam intuitu celestis patrie, Christi pauperibus collatam, violenter invadere et opprimere presumpserit, se reum divine maiestatis noverit, et a nostra pace et gratia omniumque Boemorum funditus alienum. Huius rei testes sunt: Valentinus episcopus Pragensis. Dux dominus *Otto princeps Moravie.* Dux *Primusle* frater ducis. Dux *Theobaldus* filius patrui sui. Henricus prepositus Wissegradensis. Martinus prepositus Pragensis. Florianus cancellarius. Grabissa camerarius. Witko. Ratibor. Ulricus filius Chzislai. Boguchwal et alii quam plures. Facta autem sunt hec anno incarnationis Domini Milesimo centesimo LXXXI. Anno ducatus ducis Friderici IV.

Lunig Reichsarchiv T. XVIII. — Dobner Annal. VI. 532.

CCCXXX.

Friderici, ducis Boemiae, concambium cum monasterio Plazensi sub testimonio Peregrini, episcopi Moraviensis. cc. 1183.

Ego Fridericus dei gratia dux Boemie . . . uillam meam Copidl fratribus Plazensibus perpetuo iure possidendam tradidi. et e contra teloneum salis in Decin. a patre meo ipsis condonatum . . . in usus meos accepi . . .

Preterea domino Henrico Pragensi episcopo uiro uenerabili et *Peregrino Morauiensi episcopo* non minus honesto iniunxi. ut statuti nostri uiolatores anathematis uinculo denuntient innodatos. Acta sunt autem hec in consecratione basilice. quam ob memoriam uictorie mee. socia thori mei Elizabhet construxit.

Summarium hoc ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae.

CCCXXXI.

Fridericus, dux Boemorum, confirmat possessiones s. Joannis Hierosolymitani in Boemia et Moravia. **1183.**

Ego Fridericus dei gratia dux Bohemorum circumspiciens et considerans patris mei beate memorie Wladizlai regis et aliorum predecessorum meorum facta commendabilia. scilicet in ecclesiis quas deo et sanctis eius edificauerat et in beneficiis ac possessionibus ibidem deo seruientibus habundanter collatis. cogitaui apud me ut et ego in aliquibus sequerer uestigia eorum. ut et ego si non cum primis saltem cum muliere paupere offerrem minutum in gazofilacium domino. Cum ergo de hiis que ad me hucusque per successionem attauorum et auorum deuenerant aliqua diuersis cenobiis contulissem. uenit michi in mentem hospitale Iherosolimitanum. cui a principio sui principatus se pater meus deuouerat et ei aliqua in regno suo contulerat. Huius autem hospitalis audiens facta fere` impossibilia. sed quia deo possibilia sunt. deliberaui de mea liberalitate aliqua ei conferre. aliqua minus utilia utilioribus commutare. aliqua uero reddere que pater meus usque ad uite sue finem annuali censu redimens retinuerat. Dedi ergo ei ecclesiam cum consensu et petitione uxoris mee quam ipsa inter Pragam et Wissegrad in honore beati Johannis euangeliste edificauerat ob memoriam uictorie diuinitus michi concesse. circa quam ecclesiam dedi ei terram ad coronam meam pertinentem ad unum aratrum. dedi et ei Botis fluuium cum loco piscine et molendini. Tradidi etiam ei uillam iuxta uicum iacentem nomine Tinec cum silua que supra Albiam iacet ei pertinente. Pro Borizlau autem et eius pertinentiis do eis quasdam uillas quondam ad Sathec pertinentes iam diu fere desertas. quarum nomina sunt hec: Ztare Zedlo. Sblasin. in Merouikrizi. Vzahradky. Skirsici. Napolene. Raysowici. Tichonin uillam quam mea propria pecunia emi a comite Jarik de Milevzche dedi domui hospitalis. Confirmo et Malini rostrow. quam comes Grabise fideli seruitio suo a me deseruiuit et eidem domui contulit. Do etiam et confirmo Vpolene. Wranow. et omnem siluam circa et infra uillas iacentem que uulgariter dicitur Hole. ubi custodes silue mee fuerunt qui uulgariter dicuntur hayni. quarum uillarum culta et inculta ipsemet presens circuire precepi Grabysam summum curie mee uenatorem. quam circuitionem Iherusalem uocari precepi. et in ea ecclesiam fieri iussi in honore sancti sepulchri dominici et beati Johannis baptiste. Confirmo etiam ei omnes donationes que in diebus principatus mei date sunt uel dabuntur ei. utpote donationem uxoris mee scilicet parochiam sancte Marie ad argentariam. ita quod nulli liceat ibi aliam ecclesiam edificare preter uoluntatem eorum. et aliam parochiam que edificatur in Kadan supra Egram fluuium. Confirmo etiam uillam Trebiz que iacet super fluuium qui dicitur Medma. quam eadem uxor mea ipsi contulit. Nichilominus assensi et assentio omnibus nobilibus meis qui ei elemosinas suas uel dederunt uel deinceps dare uoluerint. sicuti Petro filio Milgozt qui predicte domui portionem que eum contingebat hereditatis contulit. Confirmo etiam ecclesiam in honore beate Marie dedicatam et omnia ad ipsam spectantia ligneam. et ecclesiam quam construxit Bohuse barbatus beneficio castri in Cladesche honoratus. et terram ad unum aratrum ante castrum Gradech quam dedit iam nominate domui Ozel filius Hirdete. Confirmo iterum uillam *Jvanouiz* super *Honam* fluuium in *Morauia.* quam Troianus et fratres sui filii Dlugomili dederunt et uillam *Belchiz* quam Drisizlaus filius Helie dedit. Confirmo etiam terram desertam in *Modleiouiz* ad unum aratrum in prouincia *Prerouensi* pertinentem ad castrum *Gradec.* terra autem eadem uocatur Roberiz. Confirmo preterea *Grobeniky* super fluuium qui dicitur Pzina cum suis attinentiis. ex una parte *Glubcice* termino iacente usque ad terminum *Boguhualow.* et dehinc ad pontem uirgis factum qui dicitur *Bezstrecoua hat.* et ab hiis terminis semita et signa protenduntur usque in *Kozidol.*

et deinde eadem signa usque *Milich* fluuium protenduntur. Hoc autem factum est fratris mei *Wladimiri* assensu accedente. Igitur pro larga et ampla caritate quam habent in ueneranda domo hospitalis in recipiendis infirmis tam pauperibus quam diuitibus hominibus de *Jvvanouiz* et omnibus uillis ad eandem uillam pertinentibus. et hominibus de *Grobnik* et omnibus uillis illic spectantibus in furtis. in homicidiis siue in aliis quibuscunque collectis. siue in castris siue in pontibus edificandis. uel in quocunque alio negotio terre si quod forte contingit eandem libertatem et securitatem concedimus quam antecessores nostri Olomucensi contulerunt episcopatui. Pax ergo sit eis hominibus uillarum iam nominatis uel etiam futuris quos diuina prouidentia et hominum largitione suis usibus collegerint. et libera securitas et secura libertas sit eis a me et ab omnibus meis successoribus in secula seculorum. amen. Ne autem donatio et confirmatio mea in irritum ducatur rogo fratrem meum Brecizlaum episcopum Pragensem et omnes suos successores. et dominum Cain episcopum Olomucensem et omnes suos posteros. ut quisque spiritu malicie ductus factum hoc immutare uel fratribus dicte domus siue in Bohemia siue in Morauia in aliquo detrahere presumpserit maledictionis flagello puniatur. Huius facti testes qui erant presentes hii sunt: *Elisabeth* ducissa. *Wladimir dux de Holomuz cum fratre suo Brecizlao.* Brecizlaus episcopus Pragensis. Cain episcopus Olomucensis. Lamprecht abbas de Cladorub. Minger abbas de Plaz. Florianus prepositus Wissegradensis. Grabise camerarius Holomucensis. Preda de Neibstin. Milgost comes beneficium habens in Bouses. et summus uenator siluarum spectantium in Netholic. Smil de Uderche cum filiis. Beneda de Suesin. Otto Woizki cum fratre Rediwoi et filiis Chazlaw de Pontin. Bozden de Pestodup maior procurator in beneficio Milgost. Martin de Milkow. Ego Brecizlaus episcopus Pragensis rogatu fratris mei Friderici ducis Bohemie omnes qui immutare hoc factum uel fratribus dicte domus in aliquo detrahere presumpserint. auctoritate qua fungor excommunicationis uinculo innodatos pene gehennali subicio perpetualiter cruciandos. Ego Cain episcopus Olomucensis rogatu Friderici ducis Bohemie omnes qui hoc factam immutare uel fratribus dicte domus in aliquo detrahere presumpserint auctoritate qua fungor excommunicationis uinculo innodatos pene gehennali subicio perpetualiter cruciandos. Eandem autem penam excommunicationis nos duo episcopi nostris relinquimus successoribus. Actum est autem hoc anno dominice incarnationis MCLXXXIII. principatus mei VII. pontificatus uero Brecizlai fratris mei anno secundo.

E copiis in archivo archiepiscopali Olomucii et Raygradensi. — Excusum dedit Dobner in Monum. IV. pag. 145.

CCCXXXII.

Fratres Drslaus et Woyslaus conferunt cum consensu ducis Friderici praedium suum in *Eywanowic* ordini s. Johannis Hierosolymitani. **1183.**

Wekebrod Kirchengeschichte pag. 285.

CCCXXXIII.

Fridericus, dux Boemiae, dotat monasterium Plazense sub testimonio ducum Waceslaw, Theobald et Přemysl. **1183.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Notum sit omnibus tam presentibus, quam futuris fidelibus, quod ego Fridericus, dei gratia dux Boemie, uillam patris mei et meam nomine Ciellowicz domino Deo et fratribus in Plaz ipsi famulantibus inspiratione diuina commonitus cum omnibus appendiciis et foro contuli. Chisko quoque predium, quod pater meus eis dederat, sed mecum concambium inde fecerant pro alio quodam predio inferius Zechuticz nomine, et Coczin, utrumque fratribus iam dictis tradidi. Iustum enim est, ut abundancia nostra pauperum inopiam suppleat, ut eorum orationes nos onere peccatorum grauatos exonerent. Huius autem nostre donaciones testes sunt fratres mei: Albertus, Salzburgensis archiepiscopus. Henricus, Pragensis episcopus et chorus Pragensis. Florianus, prepositus et cancellarius Wissegradensis et chorus. Laici fratres *Wazlaus, Theobaldus. Primizl.* Primates: Bogh, castellanus de Chladezcha. Plens, castellanus de Luttmericz. Groznata, camerarius. Ratibor, castellanus in Netolicz. Lutebor, castellanus de Boleslaw. Withec. Pabian. Stizlaus, castellanus de Satec. Jan iudex. Petrus de Cardl. Jan filius Epi. Jenik frater Mathei. Mutin pincerna. Laztibor. Pribislaus. ensifer. Hermannus filius Marquardi. Hermannus filius Wilhelmi. Groznata calvus. Jan frater Golaz. Jaros filius Ratibor. Wiske. Hoixa. Theodoricus de Prodiva. Ludwin. Ernest. Chisse Jora. Hec autem in Zbecsene acta sunt anno dominice incarnationis Millesimo centesimo octogesimo tercio. Sub venerando abbate Maynero. Si qua vero imposterum ecclesiastica secularisve persona donationem nostram irratam facere tentaverit, vinculo anathematis se innodatam noverit.

Dobner Annalium T. VI. pag. 548.

CCCXXXIV.

Gottschalcus, abbas Siloensis, expetit fraternitatem ordinis Cisterciensis. cc. 1183.

Sancte Cisterciensis ordinis uniuersitati, frater Gotschalcus vetustissimus veterum abbatum Bohemie et *Morauie*, eorum sicut aquila renouari meritis et precibus. Quod viuens non presumpsi, iam moriens appeto, vestro videlicet desideratissimo associari collegio. Ad hanc confidentiam quadam visione me animatum vestra scire dignetur sanctitas. In somnis enim nuper me videbam ductum ad quoddam magnum, ac mirifice fabrice edificium, in quod quia gradus difficiles erant, eo quod longe ab inuicem positi essent, ascendere desperaui; cum ecce subito flos et gemma ordinis vestri sanctus Barnardus, quem numquam in carne videram, hilariter apparuit, et instrumentum duorum baculorum, quos cruccas vocant, ostendit, quibus suffultus, eum intra iucundissimum palatium secutus sum. Porro in dextra parte huius palatii ingens apertura in modum arcus testudinati visa est mihi, per quam, quotquot erant ordinis vestri, intrarunt in splendissimum domicilium. Mihi autem in extrinseca domo ista cernenti, et sermonem venerabilis abbatis audire cupienti, ipse me homuncionem per manum suam apprehendẽs secum duxit, ac secum collocauit in medio conuentus vestri. Per hoc quid aliud intelligam nescio, nisi vestre benignitatis beneuolentiam, per quam in vestri ordinis consortium, quem semper dilexi, et quantum salua obedientia poteram, imitari conabar, admisceri exopto. Vnde vestre sanctitatis pedibus prouolutus obnixe deprecor, ut non mee paruitatis merita, sed vestre pietatis considerantes viscera, in vestrum me consortium admittere dignemini.

E chronico Siloensi apud Dobner in Monum. T. I. pag. 114.

CCCXXXV.

Ego Fridericus, dei gratia dux Boemorum et patruus meus *Wencezlaus* concambium inter Hermannum Wilhelmi filium et fratres de Plaz factum. ratum haberi censuimus. . . . . . Hec autem in Becsene acta sunt anno dom. incarnationis MCLXXXIIII.

Summarium ex originali archivi c. r. aulici Vindobonae.

CCCXXXVI.

Heinricus, episcopus Pragensis, filius Heinrici, ducis Moraviensis, confert hospitali Hierosolymitano villam „Nalerine," et confirmat possessiones ejusdem. cc. 1184.

Henricus, Dei gracia episcopus Pragensis, Rogerio magistro hospitalis Iherosolimitani eiusque successoribus, reliquisque fratribus predicti hospitalis perpetuam in Domino salutem. Ex multorum relacione, sed precipue patris mei, pie videlicet memorie ducis *Henrici*, cognoscentes quanta pietatis opera pauperibus et infirmis impenduntur in prefato hospitali, pie sollicitudini vestre commisso: pia nihilominus deuocione accedentes, vestreque fraternitatis, et elemosinarum, atque oracionum participes esse gestientes, ad honorem Dei et beati Johannis baptiste, atque ad subsidium sacrum pauperum Christi supradicto hospitali do uillam de patrio iure mihi derelictam nomine Nalevine ob redempcionem peccatorum meorum et prefati patris mei, qui iam dudum Iherosolimis apud vos fraternitatem susceperat tempore magistri Assaliti, et pro anima matris mee ducisse scilicet *Margarete* amplius iure perpetuo possidendam. Ecclesiam quoque beati Joannis euangeliste in loco, qui dicitur Boisci, a duce Friderico et eius uxore ducissa *Elisabeth* constructam, et vobis cum villa Tinec et riuulo nomine Botic cum stagno, et loco molendini nobis presentibus collatam, et a nobis eodem die consecratam. Sed et ecclesiam beati Wenceslai in foro Cladsco a Comite Bogussa edificatam, et in eadem consecracione a prefatis principibus hospitali Iherusalem per manum nostram cum terra sibi pertinente collatam, et sub interminacione anathematis confirmatam vobis in perpetuum libere possidendas auctoritate diuinitus nobis concessa concedimus et confirmamus. Ecclesiam eciam a supermemorata ducissa Elisabeth super Mesea in honorem beate Marie fundatam, et ab eadem simul cum marito prefato videlicet duce Friderico hospitali Iherusalem iure perpetuali possidendam collatam, suoque sigillo confirmatam eidem concedimus et confirmamus. Vt igitur hec omnia supermemorata hospitali Iherosolimitano in perpetuum rata et indiuulsa permaneant, vobis concedimus, et sigilli nostri impressione corrobaramus. Quicunque autem in omnibus supradictis instinctu diabolico ductus vobis iniuriam aliquam aut violenciam intulerit, anathema sit. amen.

Dobner Monumentorum tomo IV. pag. 249.

CCCXXXVII.

Fridericus, *Boemiae dux, confirmat et auget possessiones ordinis s. Joannis Hierosolymitani.* 1185.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen. Ego *Fridericus* dei gratia dux Boemorum circumspiciens et considerans patris mei beate memorie Wladizlai regis et aliorum predecessorum meorum facta commendabilia. scilicet in ecclesiis quas deo et sanctis eius edificauerat. et in beneficiis ac possessionibus ibidem seruientibus habundanter collatis. cogitaui apud me ut et ego in aliquibus sequerer uestigia eorum. et si non cum primis saltem cum muliere paupere offerrem minutum in gazofilacium domino. Cum ergo de his que ad me hucusque per successionem attauorum et auorum deuenerant aliaque diuersis cenobiis contulissem. uenit michi in mentem hospitale Iherosolimitanum. cui a principio sui principatus se pater meus deuouerat et ei aliqua in suo regno contulerat. Huius autem hospitalis audiens facta fere impossibilia. sed quia dei sunt possibilia. deliberaui de mea liberalitate aliqua ei conferre. aliqua minus ei utilia utilioribus commutare. aliqua uero reddere. que pater meus usque ad uite sue finem annuali censu redimens retinuerat. Dedi ergo ei ecclesiam cum consensu et petitione uxoris mee quam ipsa inter Pragam et Wissegrad in honore beati Johannis euangeliste edificauerat in memoriam uictorie diuinitus michi concesse. circa quam ecclesiam dedi ei terram ad coronam meam pertinentem ad unum aratrum. dedi etiam ei Botich fluuium cum loco piscine et molendini cum hortis ad eundem locum pertinentibus. Tradidi etiam ei uillam iuxta uicum iacentem nomine Tynez cum silua que super albeam iacet ei pertinente. pro Borizlau autem et eius pertinentiis do ei quasdam uillas quondam ad Sathec pertinentes iam diu fere desertas. quarum nomina sunt hec. Ztare Zedlo. Sblasin. Kyrsi. Kayisowice. Sblasino. Vzagradi. Skirsici. Napolene. Napolomy. Offrethin. Wiakosoue. Ingmerouiz. Quarum uillarum culta et inculta ipsemet presens circuire feci Groznatam summum curie mee uenatorem. quam circuitionem iherusalem uocari precepi et in ea ecclesiam fieri iussi in honore sancti sepulchri dominici et beati Johannis baptiste. Nichilominus assensi et assentio omnibus nobilibus meis. qui eis elemosinas suas uel dederunt uel deinceps dare uolunt. Sicut Petro filio milgost. qui eis portionem que eum contingebat hereditatis contulit. Dedi uero eis licentiam uendendi uillam Ledey nomine. Et abbati de *Luthomisl Mislen.* cuius claustro eadem uilla uicinauerat emendi eam ad usus sue ecclesie. Et cum eodem argento precepi ut portio Reinoldi in uia Lunechouicz quam uendebat inde emeretur. Preter uero portionem Reinoldi in eadem uilla partem. que ad mensam meam spectat pro salute predecessorum meorum et pro excessibus meis et fratrum meorum confero domui hospitalis. Et hanc donationem meam et portionem Reinoldi uenditam eis in dicta uilla Lunechouicz confirmo iure hereditario possidendam. Do etiam et confirmo eis uillam nomine Lessan. et omnem libertatem et securitatem concedo eis. ut non sentiant grauamina nec in pontibus. nec in castris edificandis. nec etiam aliis laboribus subiaceant quibuscunque superuenientibus. Pax ergo sit hominibus uillarum iam nominatis uel etiam futuris. quos diuina prouidentia et hominum largitione suis usibus collegerint. et libera securitas et secura libertas sit eis a me et ab omnibus meis successoribus in secula seculorum. amen. Huius facti testes qui erant presentes hii sunt. Elyzabeth ducissa. Brecizlaus episcopus Pragensis. Heinricus abbas de Breunovve. Albertus abbas de Stragovve. Theodericus abbas de Gradis. Hermannus prepositus Pragensis. Deslaus decanus. Slauon archidiaconus. Valichinus canonicus. Grabisse camerarius. Bohuse et frater suus Ratibor. Bogutha cum fratre suo Chonata. Predota de Nechetin. Mutine de Bucowez. Neostup. Modlata. Vescemilus de hobscouiz. Ego Brecizlaus episcopus Pragensis rogatu fratris mei Friderici ducis Boemorum omnes qui immutare hoc factum uel fratribus dicte domus in aliquo detrahere presumpserint. auctoritate qua fungor excommunicationis uinculo innodatos pene gehennali subicio perpetualiter cruciandos. Et eandem excommunicationis penam successoribus meis relinquo. Vt autem iste donationes mee et aliorum magnatum meorum inconcusse permaneant. sigilli mei impressione et fratris mei episcopi et uxoris mee confirmo. Actum est autem hoc anno dominice incarnationis MCLXXX. quinto. Principatus uero mei decimo. pontificatus uero Brecizlai fratris mei anno quinto.

Ex analectis diplomaticis Mss. Gelasii Dobner.

CCCXXXVIII.

Břetislaw, dux Moraviensis, confert de consensu fratris sui Wladimir, ducis Olcmucensis, monasterio Gradicensi silvam in circuitu villae Oldřišow ad Opaviam. 1185.

E literis ducis Wladimjr ab anno 1198. — Confer Wekebrod Kirchengesch. pag. 167. Ruebner Memoriale secul. pag. 96.

CCCXXXIX.

Fridericus, dux Boemorum, confert Hadmaro de Chunring feudum Witra in terminis Austriae. Dt. in Bozdiz, **1185.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Fridericus dei gracia Boemorum dux. Dignitati principum et paci conseruande indubitanter expedire cognouimus ut quos infra terminos sue potestatis debito hominii. et fidelitatis iure tenent astrictos. non tantum ad sua obsequia requirant. uerum etiam vicinos quos fidei sue sinceritas commendat. liberali beneficentia sibi obligare studeant. Inde est quod nos fidem Hadmari de Chvnringen et sinceram eius circa nos deuotionem considerantes. eum nobis fidelitatis debito astringere curauimus. et partem terre nostre Austrie adiacentem. Withra uidelicet cum silua a fluuio Lvsnitz usque ad alium fluuium qui dicitur Stropniz sibi iure beneficii concessimus et sine contradictione infeudauimus. Vt autem huius nostre concessionis statutum non solum successoribus nostris. sed et omni euo stabile et inconuulsum permaneat. presentis pagine scripto. et sigilli nostri impressione munimus. testibus quoque qui presentes erant adhibitis. quorum nomina subscripsimus Groznata camerarius. Witigo. Bohvse barbatus. Anshelmus capellanus. Hertwicus miles. Benisch miles. et ceteri quam plures. Acta sunt hec in Bozdiz. Anno dominice incarnationis. Millesimo centesimo octogesimo quinto.

Rauch script. II. pag. 207.

CCCXL.

Elisabeth, ducissa Boemiae, confirmari curat donationes a se hospitali Hierosolymitano factas. **1186.**

Anno dominice incarnationis MCLXXXVI. Ego Elisabeth, ducis Bohemie Friderici uxor, sequens uestigia Eurosine matris mee, que domum hospitalis Ierosolimitani semper dilexit et promouit, in qua et habitum religionis postmodum suscepit, eandem domum amare et amplificare pro modulo meo cepi et de his, que in principatu meo possedi, quedam eidem domui consensu uiri mei largita sum, scilicet ecclesiam, quam edificaui in loco, ubi triumphauit uir meus, et terram circa ad aratrum unum, et uillam, que uocatur Tinez cum silua, que super Albiam iacet ei pertinente, et aliam uillam, que uocatur Ledci in prouincia, que uocatur Netribiz, et quasdam terras in uilla, que uocatur Preza iuxta Stetin. Que omnia ut rata et inconcussa permanerent, uir meus sigilli sui impressione confirmauit, et ego meo, et frater meus *Henricus* Pragensis episcopus istam donationem sub excommunicatione posuit.

Dobner Annalium VI. p. 546. — Item copia in Monastico Ms. in archivo Raygradensi.

CCCXLI.

Fridericus, dux Boemorum, hospitali s. Joannis Hierosolymitano confirmat donationes a Wladislaw, Heinrico, Waceslaw, Přemysl, necnon ab uxore sua aliisque factas. Actum in Usk 23. *Aprilis*, 1186.

Ego Fridericus Dei gracia dux Boemorum omnibus presentibus et futuris notum esse cupio: Quod cum anno dominice incarnat. MCLXXXVI. Principatus uero mei X. die festiuitatis beati Adalberti filiam meam marito traderem in Usk Ottoni filio Ottonis marchionis de Mizna, Martinus quondam prepositus Pragensis, nunc uero prater Jerosolymitanus et preceptor Ungarie, Boemie et omnium aliarum terrarum ab oriente et meridie et septentrione adiacentium, licentiam redeundi Jerosolymam, de qua ante triennium fere manu missus huc fuerat, petere cepit. Ego autem animo reuoluens, quam affectuose pater meus prefatum hospitale a principio sui principatus dilexerit, cui et multiplices elemosynas diuersis temporibus contulit, simulque non sine cordis dolore retractans oppressionem, quam pagani nuperrime terre Jerosolymitane intulerunt: ad subleuandum tante necessitati consilio uxoris mee domine Elisabeth de camera mea, quantum dominus inspirauit, secundum facultatem meam ei commisi, atque ad petitionem omnium nobilium, qui aderant, uillam que dicitur Lessan cum hominibus ibidem consistentibus predicto hospitali dedi, sed burgum nouum super Ogre fluuium situm nomine Cadan ubi et ecclesiam hospitalariis edificare antea concesseram, amplius perpetuo iure possidendum consensu nichilominus uxoris mee tradidi. Quibus etiam aliquid pia condescensione super addere de mea liberalitate cupiens, uillas, quas ab eis in concambio acçeperam: Borizlau scilicet et eius appendicia eis tradidi, atque iterum cum aliis uillis a diuersis collatis pro annuali censu singulis annis in festo sancti Martini persoluendo, scilicet decem marcis argenti uita mea tenendas ab eisdem fratribus recepi, ita quod, quidquid in eis meis temporibus multiplicabitur, post decessum meum totum pro anima mea remaneat hospitali. Hec autem sunt nomina uillarum, quas a fratribus pro censu suscepi: Psou in prouincia Satec, quam prepositus Martinus cambiuit a Pragensibus canonicis cum uilla Posirouic et Borislau quod ipsis reddideram. Et circuitum, quem eis frater meus Henricus, Pragensis episcopus, pro animabus patris sui et matris sue dedit, qui uocatur Naleuine prope Usti, et Breznice, quam eis Willelmus et Olricus filii Grosnate dederunt pro anima patris sui, et alias terras, quas ibi emerunt, et a patre meo acquisiuerunt. Villas etiam quas Mesco hospitali dedit, et frater suus Grosnata pro annuali censu tenuit. Scilicet Pouerl. Rigici. Rostoki. Werece Haugesde. Preterea insuper quasdam possessiunculas antea eis promissas, sed nuperrime collatas, quas in primis priuilegiis suis scriptas non habebant, liberalitati mee placuit, eas confirmare, et in presenti priuilegio aduotare: Kosmonosi scilicet uillam, quam Gherdon uillicus meus dedit pro anima sua. Lubcouiz quoque uillam, quam dudum promiserat Paulus, si ante matrem suam Petrauam moreretur. Et uillam Hazucoue, quam dedit Conata in prouincia Pelzeh super Msea fluuium, quam uillam ad petitionem domini *Walslai* patrui mei eidem Conate confirmaueram, et quendam seruum Milloin, quem eis in pellificem dedi cum omni sua successione. Et duas uillas Quastici super Methuga, et Plessov, quas frater meus *Primisl* dedit eis pro parte de Buitsow, quam dederat Bogusca pro anima filii sui Bogusse.

Hec omnia eis confirmo, et ut rata et inuiolata eis permaneant, sigilli mei impressione corroboro.

Dobner Annalium VI. p. 570. — Item copia in Monastico Ms. in archivo Raygradensi.

CCCXLII.

Fridericus, dux Boemiae, confert monasterio Zwellensi in Austria praedium „Zazisich" (Zarisich?). Dt. Na camic XVI. Kalendas Julii, **1186.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. uniuersis Christi fidelibus presentium etatis et successure posteritatis. Quandoquidem secularibus impediti negotiis minus creatori nostro famulari minus cottidianis supplicationibus ipsi nos sufficimus comendare saluberrimum nobis existimamus. illis elemosinarum nostrarum subsidia prebere. quorum a terrenis tumultibus conuersatio secretior. et ideo ad diuina obsequia potest esse deuotior. inde est. quod ego Fridericus dei gratia dux Boemie cum dilecta nobis et consorte thori nostri Elisabeth ducissa cuidam monasterio. quod pietate et petitione parentum nostrorum. a quibus maternum ducimus genus. in Austria constructum est. vocabulo Zwetel predium intra portam prouincie nostre cui nomen est Zazisich. summa deuotione contulimus. quatenus fratres in prefato monasterio deo et beate Marie semper uirgini famulantes. habent ex parte sanctissimi ac reuerendissimi nobis patroni nostri Wencezlai. pascua. quibus eos plurimum indigere ipsi perspeximus. ut ex hoc et nos et nostri habundantiori pace salute et prosperitate nunc frui et cum animabus parentum nostrorum in eterna requie mereamur refoueri. que nimirum nostra donatio. baronibus nostris. cunctisque nostro principatui subditis. ideo tam maxime debemus complacere. quoniam exinde non paruam sperare debent ueniam grauissime uastitatis. qua predictum cenobium per ipsos afflictum est. atque obrutum sub duce Zobezlao. nam propter nos quoque eadem domus non modicum prohdolor incidit dampnum. dum nostri causa in illa terra congregaretur exercitus. Verum quia supra scriptum predium a pie memorie patre meo Ladezlao traditum fuerat dilecto ac fideli tam illi quam nobis capellano nostro Engelschalcho. ne uel ipse dampnum uel antedicti fratres sustineant querella nos aliud ei predium. quod dicitur Nisetzi (v. Nisetzej) pro huius commutatione tradidimus. Igitur quod fecimus firmum ac ratum manere uolentes presentibus scriptis et nostro sigillo hoc exprimendum et roburandum iudicauimus hoc adiiciendum. ut in eodem predio iam nominati fratres et coloni eorum eadem degant libertate. qua alii fratres Cisterziensis ordinis et uillani ipsorum in nostra prouincia a patre nostro donati noscuntur et semper contutati. Testes huius rei sunt Pillungus castellanus de Tudelieb. qui nostro iussu idem predium disterminauit. et qui cum eo disterminationi interfuerunt uidelicet Engelscalchus capellanus. Hertwicus. Bernis et frater eius Domazlaus. Ranec. Lutsche. Louec. iudex et Zlawa iudex. Nuzluha. Vrazec de Saluta. camerarius. Vicinatus etiam adfuit scilicet Movrichanj. Olesnichani. Borowani. Nichowani. Tornani. Acta uero sunt hec anno ab incarnatione dominica MCLXXXVI. Idibus IIII. regnante Friderico Romanorum imperatore Augusto. Data per Florianum cancellarium in loco. qui uocatur Nacamic XVI. Kalendas Julii. amen.

Ex autographo monasterii ejusdem a R. P. D. Abbate transcriptum, mihique cum aliis pluribus beniguissime transmissum. — Fragm. excusum in Annalibus Claravall. I. pag. 213.

CCCXLIII.

Gregorius VIII. Hinconem de Žerotjn cruce signatum militem Olomucensis dioecesis ejusque familiam in sedis apostolicae protectionem suscipit, quam episcopus Olomucensis Cain anathemate roborat. Dt. Beneventi
1187.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio *Hinconi de Serotin* crucisignato militi Olomucensis diecesis . . . sacrosancta Romana ecclesia deuotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consueuit, et ne prauorum hominum molestiis agerentur, eos quasi pia mater sue proteccionis munimine confouere. Cum igitur tu zelo fidei deuocionis accensus signo viuifice crucis assumpto proposueris in terre sancte subsidium proficisci, nos tuis iustis postulacionibus grato concurrentes assensu personam tuam cum familia tua, bona tua, que in presencia rationabiliter possides, sub beati Petri et nostra proteccione suscipimus, et presentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut postquam in primo generali passagio a sede apostolica statuendo iter arripueris transmarinum, donec de tuo reditu vel obitu certissime cognoscatur, ea omnia integra maneant et coniuncta ect. Data Beneventi, pontificatus anno I. Et ego Cain, Olomucensis episcopus, anathema pronuncio in omnes, quicunque diabolico instinctu tibi, pueris, clientibus, seruis aut terris tuis iniuriam vel violenciam inferre presumpserint ect.

Dobner Monumentorum tomo IV. pag. 250.

CCCXLIV.

Fridericus, Boemorum dux, bona et indulta ecclesiae Wisschradensis cum circuitu s. Martini Pragae confirmat sub testimonio fratrum suorum Přemysl et Wladislaw. 1187.

Scio quidem, quod bonorum meorum nullam habet indigentiam summa diuinitas, sed illud preceptum, quod a religiosis uiris diligenter intellexi, scilicet: Honora dominum de tua substantia, me monet, ut anime mee saluti prospiciam, quod post obitum meum illius celestis curie societati mereatur adiungi, ubi deitatis conspectum semper cernere gaudent beati. Ego itaque Fridricus, dei gratia Bohemorum dux, pronus cum intima deuotione supplico, ut qui seculari dignitate me sufficienter honorauit, etiam eterni gaudii facere dignetur non alienum. Et si hactenus in populo meo actum est iniuriose, maxime in uiris ecclesiasticis et religiosis, quorum orationibus quotidianis existimo et spero me feliciorem; amodo quantum possum libenter uolo defendere. Wissegradensem igitur ecclesiam, quam specialiter defendere debeo, que multa dampna passa est, et iniurias in possessionibus uillarum et in aliis rebus, que pertinere debent ad prebendam canonicorum, clementer et animo bono libenter uolo adiuuare. Primum itaque circuitum, quem contulit auia mea regina Zuataua s. Petro, liberum esse precipio, ut nullus fratrum meorum presentium, nec futurorum, preter illum, qui dux uocatur principalis, nec aliquis castellanus habeat aliquam potestatem in illo circuitu, nec in foro, nec in aquis, nec in pratis, nec in siluis, nec in uillis, que sunt infra eundem circuitum, neque super homines in eodem circuitu. Etiam hoc statuo, ut milites, qui sunt iuxta circuitum, non intromittant se de siluis, nec de aquis, nec de pratis, que pertinent ad eundem circuitum. Et si quis contra ista statuta fecerit ulterius, inimicum meum, et successoris mei, quicunque dux Bohemie fuerit, reputet manifestum, quia circuitus ille sub solius principis, qui dux Bohemie uocatur, defensione specialiter debet esse securus. Hoc etiam eisdem fratribus concedo, quod omnes culpas uel causas, que contingunt in eodem circuitu, prepositus cum decano et custode in capitolio iudicent, et totam utilitatem uenditionis fratres accipiant. Et si aliquas causas iudicare noluerint, sicut est homicidium, tunc iudex curie principis, qui dux Bohemie fuerit principalis, iudicabit et semper tota utilitas uenditionis fratribus pertineat. De Zuod et Narok omnis utilitas, que principis esse deberet, eisdem fratribus concedo nunc et amodo in perpetuum. Fratribus eisdem etiam concedo, ut ubicunque uenditio fuerit per Bohemiam, uel collecta principis, qui dux Bohemie uocatur, si fuerint ibi homines ecclesie, tunc prepositus super homines prepositure accipiat, nec tamen hoc pro decima sibi reputetur. Et canonici super homines ipsorum accipiant totam utilitatem nunc et in perpetuum. Similiter de circuitu, qui uocatur s. Martini, et est canonicorum Wissegradensium in suburbio, omnem utilitatem omnium culparum super homines fratrum fratribus supradictis concedo nunc et in perpetuum, et idem homines ad nullum habeant respectum, nisi ad canonicos Wissegradenses. Ut omnia supradicta stabilia permaneant et non mutabilia, nunc et in perpetuum, cum charta et sigillo meo confirmo. Anno dominice incarnationis MCLXXXVII. Indictione V. mense Maio die II. nonas Maii. Ego Fridericus, Dei gratia Boemorum dux, dedi donationem istam, ut supra dictum est, et confirmaui presentibus fratribus meis *Priemuzl. Wladizlao.* et Floriano preposito Wisegradensi. Radosta preposito Liutmericensi. Alexandro magistro et cancellario. Supani: Bogussa. Bleg. Letarius camerarius. Joannes iudex. Matheus dapifer. Zezema pincerna. Hendricus agazo. Ratibor castellanus Wissegradensis. Velis castellanus Pragensis. Slauibor. Predota. Herman. Marquart. Boguta castellanus de Belin. Stephanus et Jurik castellanus de Natolic. Drisizlau cum fratre Ruz. Diuis subcamerarius. Bodivvoi. Troianus. Clusna. Bavvor. Dlugomil. Petrus. Kral fratres. Koiata. Lancus. Data per manum magistri Alexandri cancellarii.

Hammerschmidt Gloria Wissehr. pag. 155. — Emendatum ex originali a d. Palacky.

CCCXLV.

Fridericus, Bohemorum dux, assignat ecclesiae Wissehradensi denarios judicii ex Swod, Narok et Hlawa aliosque proventus sub testimonio ducum Přemysl et Wladislaw. Dt. II. die Maji, **1187.**

Ego Fridericus, Boemorum dux, dum mecum uiciniora saluti cogitarem, felicem me fore estimaui, si et apud presentem ecclesie sancte statum mei memoriam in benedictione reliquissem, et future societatis eius obtinuissem portionem. Hinc est, quod hanc ecclesiam Wissegradensem, quam et apostolica sedes suis honorauit priuilegiis, specialiter, quod nostri iuris est, amplius exaltare intendimus. Et quidem primum ea, que ad pacem eius predecessores nostri statuerunt, rata esse uolumus, scilicet: ut amputatis omnium aliarum uexationibus potestatum, *soli duci principali* respectum habeat. In possessionibus uero suis datis ac dandis ubique pacem firmam obtineat. Ceterum et hanc deuotionis nostre donationem nouam addimus huic beatissimi principis apostolorum ecclesie, ut omnis acquisitio, que prouenire solet in istis: Suod, Narok et quod uulgo Glaua dicitur, super omnes homines, ubicunque fuerint, pertinentes, ecclesie damus in usum fratribus et preposito nunc et in perpetuum. Si quis uero ex hominibus ecclesie supplicio capitis damnatus fuerit, possessio quidem eius ecclesie, caput cedat laqueo. Venditio seu collecta generalis, si quando fuerit super homines ecclesie, fratribus et preposito sit nunc et in sempiternum. Circuitum sancti Martini in suburbio, sicut hactenus fuit, absque omni grauamine possideant perpetualiter. Hec statuta presentibus et futuris nota esse cupientes in foro per fidelem nostrum Diuis subcamerarium publico preconio proclamari iussimus. Coram primatibus uero nostris scripto ac sigillo nostro confirmauimus, adicientes: Si quis inimicus Dei aliquid inde minuere uoluerit, ultricibus flammis eterni supplicii deputetur cum Juda et Diabolo damnandus in eternum et ultra. [Ego Fridericus gratias ago tibi beatissime apostole Petre, qui uigilantius ut intenderem, ad huius me honorem ecclesie per soporem uisitando sensibiliter etiam commonere dignatus est.] Anno dominice incarnationis millesimo centesimo octuagesimo septimo. Indictione secunda. epacta nona. concurrente III. secundo die mensis Maii. Facta sunt autem hec sub hiis testibus. Heinrico uenerabili Pragensi episcopo. *Premisl* et *Wladizlaw* fratribus meis. Floriano preposito Wissegradensi. Radosta preposito Lutomericensi. Alexandro Pragensi magistro et cancellario. Capellanis: Laurentio. Slaua. Stankone. Ottone. Petro. Boguslao. Rapotone. Odoleno. Veckone. Supanis: Blagone. Letario tunc camerario. Joanne iudice. Matheo dapifero. Zezema pincerna. Heinrico agasone. Ratibor castellano Wissegradensi. Velis castellano Pragensi. Boguta castellano de Belina. Stephano et Georgio castellanis de Netolic. Slauibor. Predota. Herman Marquartic. Drisizlau cum fratre Ruz. Diuis subcamerario. Troianus. Budinoy. Klusna. Koiata. Kunone. Lamcus. Kawlo. Regnero. Stephano. Romanis. Data per manum Alexandri magistri Pragensis et cancellarii.

Hammerschmidt Gloria Wissehrad. p. 153. — Emendatum ex originali a d. Palacky. — Quae parenthesi inclusa, desunt in originali, adsunt tamen in confirmatione regis Wenceslai I. sublesta.

CCCXLVI.

Fridericus, dux Boemorum, confirmat rogante Elisabeth conjuge hospitali s. Joannis Hierosolymitano proventus de Argentaria super Miza et alia.
1188.

Notum sit omnibus presentibus et futuris: quod ego Fridericus dei gracia dux Boemorum, rogatu et voluntate domine Elisabeth ducisse coniugis mee de hospitali Iherosolymitano s. Johannis XII marcas argenti solvendas de argentaria super Mzea amplius singulis annis in dei ascensionis domini iure hereditario, in concambio scilicet pro hereditate, quam prepositi Gervasius et Martinus ibidem dederant predicto hospitali, terram scilicet duorum suspensorum, quam eis dederat rex W. pater meus, et ibidem aliam terram, quam emerunt a Widgone cum aqua et molendino pro IX marcis argenti, et ibidem superius aliam villam, quam emerunt a Conrado cum aqua et molendino pro XII. marcis argenti. Facimus autem hoc pro animabus nostris ne predicti hospitates fratres aliquas ibi molestias paterentur ab his, qui se de argentaria intromittunt. Et ut istud nostrum statutum ratum permaneat et stabile, sigilli nostri et sigilli prefati hospitalis impressione signare et corroborare dignum censuimus. Factum est hoc per manum fratris Bernardi magistri eiusdem hospitalis in Bohemia.

Dobner Annalium tomo VI. pag. 583.

CCCXLVII.

Fridericus, Boemorum dux, confirmat hospitali s. Joannis Hierosolymitano donationes ab Hroznata nobili tempore Soběslaw ducis factas. **1188.**

In nomine patris, et filii, et spriritus sancti: Ego Fridericus dux Boemorum. Christiane religionis ratio expostulat, ut nos in solio principatus positi non solum elemosynas fidelium collatas ecclesiis confirmemus, sed etiam de propriis facultatibus domino largiri studeamus. Noverit itaque tam presens, quam postera etas, noverint tam nobiles, quam ignobiles, quidquid nobilis noster Groznata domui s. Johannis baptiste et fratribus domus hospitalis Iherosolymitani liberaliter contulit, et sub tempore antecessoris nostri Sobezlai confirmavit, nos idem confirmamus, et omnes possessiones eius fratribus eisdem libere possidendas concedimus. Possessiones autem eius, quas coram nobis nominavit, et confirmavit, he sunt: Swadon. Koiatici. Breznez. Zalezli. Pogorici Tasovsko. Probostou. Plozkowici. In alia parte fluminis Neschemici. Breznice. Ville etiam fratris sui Mesconis, quas domui eidem pro salute anime sue contulerat, quas ipse etiam mediantibus viris religiosis, scilicet episcopo Pragense Friderico, et abbate de Plas Meinero in usus suos a fratribus eiusdem domus hospitalis ad tempus receperat, eisdem fratribus coram nobis iam resignavit. Sunt autem hec: Pourriti. Rigici. Rostoki. Werece. Nawiezdl. Testes autem huius rei sunt hii. Heinricus Pragensis episcopus apositione sigilli sui testimonium rei confirmans. Hermannus abbas de Sedlec. Hermann abbas de Pomuk. Theodoricus abbas de Gradis. Grabisse camerarius. et frater eius Slauko. Borse frater eorum. Milgost. Hermannus de Marquardic. Odolenus. Vitek. Bogusse et frater suus Ratibor. Slauibor. Bogata. Diwis. Nacherat. frater suus Smil. Olricus de Sizinkou. Dirsizlau. et frater eius Rus. Thema. Neostup. Mogmir. Stephanus de Monkovic. et frater suus Radoslaus. Modlik. Puten sacerdos. Laurentius capellanus. et alii plurimi. Acta autem hec sunt: Anno dominice incarnationis MCLXXXVIII. principatus vero nostri anno X. pontificatus fratris nostri Henrici anno V.

Dobner Annalium tomo VI. pag. 582.

CCCXLVIII.

Fridericus, Romanorum imperator, Saladinum praesidem Saracenorum ad restitutionem occupatae sanctae terrae monet. 1188.

Fridericus, Romanorum imperator, semper augustus et hostium imperii magnificus triumphator, Saladino, presidi Saracenorum quondam illustri

Pharaonis exemplo fugere Israelem. Deuotionis tue litteras multis retro temporibus ad nos destinatas super arduis negotiis tibi quidem, si uerbis fides suffuisset, profuturis, prout maiestatis nostre decuit magnificentiam, suscepimus et epistolarum nostrarum alloquiis magnificentie tue consulere dignum duximus. Nunc uero quia terram sanctam profanasti, cui eterni regis imperamus imperio, in tanti sceleris presumptuosam et plectibilem ac ausibilem audaciam debita animaduersione decernere, imperialis officii sollicitudo nos admonet. Quamobrem nisi occupatam terram Judee, Samarie et Palestinorum ante omnia restituas, adiuncta satisfactione sacris constitutionibus pro tam nefariis excessibus taxata, ne minime legitimum querere uideamur bellum, a capite Kalendarum Nouembrium, anno incarnationis dominice millesimo centesimo octogesimo octauo, reuoluto anni spatio, terminum tibi prefigimus ad experiendam belli fortunam in campo Taneos in uirtute uiuifice crucis et in nomine ueri Joseph. Vix enim credere possumus hoc te latere, quod ex scripturis ueterum et historiis antiquis nostri temporis factum redolet. Numquid scire dissimulas, ambas Ethiopias, Mauritaniam, Persiam, Syriam, Parthiam, ubi M. Crassi nostri dictatoris facta sunt prematurata, Judeam, Samariam maritimam, Arabiam, Chaldeam, ipsam quoque Egyptum, ubi, proh dolor! ciuis Romanus Antonius uir insigni uirtute preditus citra nitorem temperantie, et secus quam decebat militem, a tanto culmine rerum emissum, minus sobriis Cleopatre inseruiebat amoribus? Numquid etiam scire dissimulas, Armeniam et innumerabiles alias terras nostre ditioni subiectas? Norunt hec reges, quorum cruore gladii Romani sunt crebrius inebriati, et tu quidem in ipsa rerum experientia, Deo auctore intelliges, quid nostre uictrices aquile, quid cohortes diuersarum nationum, quid furor Teutonicus, etiam in pace arma capessens, quid caput indomitum regni, quid iuuentus, que nunquam fugam nouit, quid procerus Bauarius, quid Suauus astutus, quid Francia circumspecta, quid Anglia prouida et ingeniosa, quid Albania, quid Cimbria, quid in gladio ludens Saxonia, quid Thuringia, quid Westphalia, quid aligis Brabantia, quid nescia pacis Lotharingia, quid inquieta Burgundia, quid Alpini salaces, quid Frisonia in armento preualens, quid Reemia ultro mori gaudens, quid Boemia suis feris ferior, quid Austria, quid Frisia, quid Rutonia, quid partes Illyrice, quid Lombardia, quid Tuscia, quid Anconitana marchia, quid Venetus pirata, quid Pisanus nauclerus, denique quid dextera nostra, quam senio arguis affoetam quam gladios uibrare didicit dies illa plena reuerentie et iucunditatis triumpho Christi prefixa te docebit.

Baronius Annal. eccles. ad annum. — Lunig.

CCCXLIX.

Otto, dux Boemiae, hospitali s. Joannis Hierosolymitani donationes a nobili Hroznata factas confirmat. Actum in conventu Moravorum et Boemorum in Sacka, 1189.

In nomine patris et filii et spiritus sancti, amen. Ego *Otto* dei gracia dux Boemie, intuitu pietatis et miserecordie. Notum facio omnibus presentibus ac futuris, quod Groznata Crispus ad honorem dei et beati Joannis baptiste pro anima sua suorumque predecessorum dedit hospitali Ierosolimitano omnes suas possessionis exceptis duabus villis Peruce et Vlacciz, quas alibi dederat per decessum suum sueque uxoris a fratribus eisdem hospitatis iure hereditario in perpetuum possidendas. Ad serviendum pauperibus et infirmis predicti hospitalis. Fratres vero eiusdem hospitalis Groznate duas villas concendunt Glawen et Stetin, pro quibus Groznata tres marcas argenti solvere solebat, et terciam Breznez, ut in vita sua sine censu cum et pro liberis possessionibus suis eas teneat. Si vero uxor ei supervixerit, et alium maritum ducere voluerit, cum auro et argento suo et alia domestica supellectili vadat ad maritum, et possessiones omnes cum omnibus suis appendiciis ecclesie reliquantur. Si autem vidua permanserit, omnia prefata usque ad finem vite sue pacifice teneat, et tunc sicut supradictum est, erunt ecclesie. Ut autem hec rata et inconvulsa perpetualiter utrobique conserventur, sigilli mei impressione confirmare dignum duxl. Ego quoque Henricus, Pragensis episcopus, per dei graciam ad idem corroborandum sigillum meum appono. Et quicunque unquam violare presumpserit, auctoritate mihi diuinitus concessa, sub anathemate pono. Ego Martinus quondam prepositus, et nunc preceptor hospitalis sigillum meum appono. Ego Bernardus prior Boemie sigillum meum appono. Ego Groznata sigillum meum appono. Actum est hoc in Sazka. Anno dominice incarnationis MCLXXXIX. Anno primo ducis *Ottonis*, quo positus est in sedem Boemie. Hii sunt testes, qui affuerunt: *Dux Otto Boemie.* Henricus Pragensis episcopus. Florianus cancellarius. Prepositus Pragensis Hermannus. Decanus Sedezlaus. Pribizlaus prepositus in Bolezlau. Radozta prepositus in Lutomeric. Albertus abbas de Stragovia. Henricus abbas de Brewnou. Hermannus abbas de Zedliz. Fridricus abbas de Gradis. Albertus abbas de Cladrub. Otto abbas de Selewe. *Ingilbertus archidiaconus.* Magister Alexander. Hermannus camerarius et Sauissa frater eius. Predota iudex curie. Matheus dapifer. Vitko et Sezema nepos eius. Ulricus. Durciglaviz. Jurik. Uiritoviz. Bogussa castellanus de Cladsco et fratres eius. Ratibor. Hermannus. Lutobor. Vmuka. Groznata filius Sezeme et frater eius. Ernestus. Stobeczherd filius Pribizlai grossi, et alii multi abbates. clerici. monachi. *milites tam de Moravia, quam de Boemia, qui convenerant in Sazka ad audienda statuta ducis Ottonis.*

Dobner Annal. tomo VI. pag. 590.

CCCL.

Helicha, ducissa Boemiae, confert monasterio Plazensi praedium „Shexhin" sub testimonio Ottonis, ducis Boemiae, mariti sui et Waclaw ducis. Acta Pragae XVII. Kalendas Julii, 1189.

Notum sit Christi fidelibus presentibus et futuris, quod ego *Helicha* dei gracia dicta ducissa Boemie, assentiente thori mei socio *Ottone* duce illustrissimo, tradidi pro anime mee remedio predium meum, quod situm est in Shexhin, fratribus meis in Plaz domino Deo famulantibus perpetuo possidendum. Ut autem hec inconuulsis radicibus inposterum perseuerent, sigilli mei impressione firmaui. Si quis autem hanc donationem meam irritam fecerit, vinculo anathematis se innodatum nouerit. Huius vero donationis mee testes hi sunt: Dominus *Otto* dux Bohemie strenuus. *Wazlaus* dux. Dominus Henricus Pragensis episcopus. Florianus cancellarius et prepositus. Predotha curie iudex. Henricus prefectus de Aldenburch. Dirsizlaus castellanus Bilzinensis. Cholaz camerarius meus. Pribizlaus filius Hermanni. Wezel venator. Otto de Woirzan. Otto capellanus et fratres sui Wissa et Marquardus, et alii plures. Hec autem acta sunt anno dominice incarnationis MCLXXXVIIII. in communi colloquio Boemorum Prage habito XVII. Kalendas Julii. Anno ducatus collateralis mei primo. Data per manum capellani mei Ottonis XVII. Kalendas Julii mensis.

Dobner Annalium tomo VI. p. 591. — Originale in archivo c. r. aulico Vindobonae.

CCCLI.

Henrici, Romanorum regis, privilegium subscribit testis *Otto, dux Boemie.* Dt. Francofurti in festo Paschalis, 1190.

Heineccius Antiquitates Goslarienses.

CCCLII.

Henrici, Romanorum regis, diploma pro episcopatu Coloniensi sub testimonio Ottonis, ducis Boemiae. Dt. apud Francfordiam VIII. Kalendas Aprilis, 1190.

Henricus, rex Romanorum (VI.) ecclesie Coloniensi concedit ius monete et exemtionem a teloneo. Testes: Conradus, Moguntinus archiepiscopus. Wichmannus, Magdeburgensis archiepiscopus. Otto, Bambergensis archiepiscopus. Tirritius, Halberstadensis episcopus. Sifridus, abbas Hirsfeldensis. Conradus, Goslariensis prepositus. Henricus, prepositus s. Mauritii in Moguntia. Bruno, prepositus b. Marie ad gradus in Colonia. Bernhardus, Monasteriensis prepositus. Conradus, palatinus comes de Rheno.

Otto, marchio Burgundie. *Otto, dux Bohemie.* Albertus, marchio Misnensis. Marchio Dedo. Comes Rappo de Werthenio. Gerhardus, Comes de Loy. ect. Acta sunt hec apud Franckfordiam anno domini millesimo centesimo nonagesimo. Indictione septima. VIII. Kalendas Aprilis.

Lunig Reichsarchiv XVII. 338.

CCCLIII.

Otto, dux Boemiae, quondam marchio Moraviae, fundat una cum matre sua Maria et dotat largissime monasterium Lucense, ordinis Praemonstratensis. Dt. Pragae VIII. Kal. Novembris, **1190.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Otto dei gracia Boemorum dux. *quondam marchio Moravie* in perpetuum amen. De gestis hominum suboriri solet sepe calumpnia nisi lingua bonorum testium robur adhibeat aut scriptura. Notum igitur fieri uolumus tam presentibus quam futuris quod ego *Otto* dei gracia dux Boemorum. et nobilissima mater nostra domina *Maria.* diuina inspiratione commoniti pro nostrarum nostrorumque parentum remedio animarum et ut presentis uite statum cum incolumitate nobis nostrisque successoribus pertransire diuina concedat clementia. monasterium in *Luca* ad honorem dei et beate Marie semper uirginis et sancti Wencezlai gloriori martyris a primis fundamentis construximus. statuentes ut canonici sub regula beati Augustini et ordine Premonstratensi perpetuo ibidem deseruiant et pro nostris nostrorumque successorum dilectis assidue intercedant. et in missis eorum propriam pro nobis commemorationem faciant. Ad sustentationem autem canonicorum qui sub regulari abseruantia deo in eodem cenobio militabunt possessiones subscriptas in dotem ecclesie donatione legitima irreuocabiliter in perpetuum assignamus. concedimus et donamus tali tamen tenore. quod si quisquam aliqua presumptione dotes illas quas in presenti priuilegio predicto monasterio confirmamus ab eadem ecclesia alienauerit. ad me uel ad heredes meos omni contradictione postposita reuertantur. Ceterum si ad usum suum et comoditatem ecclesie abbas et canonici eiusdem loci ex integro semper seruauerint. quieto et irreuocabili iure illa beneficia ipsis et ecclesie in perpetuum consistant. Quod si ego vel mei heredes diabolico instinctu nostre donationis beneficium retraxerimus et contra decreti nostri paginam ire vel aliquam molestiam infere temptauerimus. me siquidem meosque heredes maledictione obligo perpetua. ac XXX auri libras prefate ecclesie sub imperatorie districtionis examine in integrum sine misericordia redditurum. Pretaxate uero dotes quas predicte ecclesie confirmamus hee sunt: *Capella sancti Nicholai cum omnibus ei attinentibus. decimatio in Marchia. tres uille Dobsici. popovici. Oblekovici. Mansus unus in uilla Pracih. alter in uilla Zuassic. tertius in Mraritic. Capella sancti Georgii in Strachotin cum tribus uillis. Chaikovici. Popovici. Chrepici. Capella sancti Johannis in Rokiten. cum uilla una Popovici. Capella sancti Andree in Gobza cum uilla et sola taberna et uno molendino. Ceulchov cum duabus tabernis. Chegost. Sedlesovici. Bransudici. Opoyuici. Odrenovici. Nemchici. Bischici. Hiski. Rokitnicea. Brezowa. Lutochor. Prilucea. Trebonchovici. Domamile. vnus mansus in Lissenouic. Lodinicea. Chrauzko.* Huius autem donationis testes hii sunt adhibiti: *Heinricus Pragensis et Kaym Morauiensis episcopi. Wladimirus et Brecizlaus frater eius duces Morauie.* Actum publice in curia nostra Prage anno verbi incarnati MCXC. Indictione VIII. concurrente VII. epacta XXIII. Octauo Kalendas Nouembris. data per manum cancellarii Floriani.

Ex originali cum sigillo illaeso in archivo c. r. aulico Vindobonae. — Copia vidimata in registratura c. r. Gubernii Moravici — Excusum dedit Dobner in Monumentis tomo IV. pag. 251.

CCLIV.

Wladimir, dux Moraviensis, confirmat et auget possessiones monasterii Lucensis. 1191.

In binis indicibus privilegiorum Lucensium consignatum quidem, diploma vero ipsum non reperi.

CCCLV.

Heinricus, Romanorum imperator, confert literas abbatiae Gislenianae sub testimonio Ottonis, Boemorum ducis. Dt. apud Neapolim XV. Kalendas Julii, 1191.

Henricus, Romanorum imperator, (VI) . . . confirmat possessiones Gislenianae abbatiae ordinis sancti Benedicti in Hannouia Belgiae. . . Testes Godefridus, Aquilejensis patriarcha. Philippus, Coloniensis archiepiscopus. Willermus, Ravennas archiepiscopus. Otto, Frisingensis episcopus. Bonifacius, Novariensis episcopus. Joannes, s. Agathens. episcopus. Rofredus, abbas s. Benedicti montis Cassini. Willermus, abbas s. Sophiae in Benevento. *Otto, Boemorum dux.* Cuonradus, dux de Rotenburg. Bertholdus, dux Dalmatiae et marchio Istriae. Heinricus, marchio de Romesberch. Heinricus, frater ducis Austriae. Albertus, comes de Bogen. Gerardus comes de Tullestein. Rabodo comes de Otemburc. Guonterus, comes de Keverenberc. Petrus, vrbis Romae prefectus. Thidericus, comes de Hostaden. Lambertus, comes de Thuringia. Richardus, comes de Confie. Willermus, comes Cesareae. ect. Acta MCXCI. indictione IX. Regnante domino Henrico VI. Romanorum imperatore, anno eius XXII. Imperii. *Datum apud Neapolim* per manum Heinrici protonotarii. XV. Kal. Julii.

Mireus Codex dipl. Belgiae I. 554.

CCCLVI.

Quidam Detleb confert monasterio Plazensi tres villas sub testimonio ducis Přemysl. 1192.

Uniuersis tam presentibus, quam posteris nostris significamus, quod Detlebus hereditatem fratris sui Gumbaldi nobis pro remedio anime sue collatam potestatiue abstulit; de hoc uero malo resipiscens, quasi concambium faciendo pro hac hereditate alias tres uillas tam pro animabus tam sue, quam fratris prenominati Gumbaldi ecclesie sancte Marie in Plaz contulit, quarum nomina sunt hec: Strasice. Cedilice. Scernogatset. Sed et alias uillas patris sui Gumbaldi Dubrawisch. Boor. Mladatiz pro remedio anime sue eidem traditas, nec non ad dimidiam araturam fratris eius Cunonis et molendinum in pace pro anima sua habere permisit. Huius rei testes sunt hii: *Primuzel dux Boemorum.* Johannes iudex. Lutebor filius Smil. Troianus. Namganus. Bun. Norbert. Suest. Ludewic. Cunradus filius Protiue. Lutwinus. Rapoto notarius. Adalbertus capellanus. Buche. Pridota. Bohedazs. Radozte. Conradus filius. Gothescal. Clusene cum fratre suo Baviar. Dluhemil et Petrus miles eorum.

Originale in archivo c. r. aulico Vindobonae. — Excusum apud Dobner in Annal. VI. 606.

CCCLVII.

Ulricus, filius Drslai confert monasterio Plazensi predium Loman sub testimonio ducis Přemysl. **1192.**

Notum sit omnibus Christi fidelibus tam presentibus, quam futuris: Quod ego Ulricus Drizlai filius predium meum Loman cum attinenciis suis, trans mare in periculo mortis positus, diuino instinctu fratribus in Plaz, domino deo famulantibus, pro remedio anime mee, parentumque meorum contulerim. Hanc itaque donationem et cetera negotia mea Marquardo fideli socio meo dei amore filiis, ac fratruelibus, ceterisque propinquis, et amicis meis manifestandam commisi. Hoc autem si quis infringere tentauerit, indulgentiam peccatorum meorum se impediuisse nouerit. Eapropter rogo uos omnes, precibus quibus ualeo, quatenus tam pro uestra, quam pro mea salute eleemosynas meas iure perpetuo confirmetis. Hec a Marquardo Witcone, Hermanno, Pribislav, filii et fratrueles ceterique fideles beate memorie Ulrici audientes coram glorioso duce domino *Primysselone*, ac uenerabili episcopo domino Henrico confirmauerunt, et testes adhibuerunt. Hi autem sunt testes:

Dominus dux Primissl. Dominus episcopus Henricus. Ratibor iudex curie. Grabisse camerarius. Hermannus Marquardi filius. Zbromir. Dirsizlaus. Russo. Mutin. Hoyer. Zmil. Pleh. Marquart. Otto de Wrsscan. Jans iudex Pilsnensis. Pribislaus Cozeche filius. Witek. Lutbor. Oteslau. Martin Ostre filius. Boguslaus. Stibor de Kis. Jan frater Golah. Bertholdus. Naschepulc. Petrus. Thimo. Jan de Nechemisch. Hermannus Wilhelmi filius. Bogual. Ernest. Diwiss. Budiwoi. Bernard. Pribislaw. Bum. Burgos. Marquard et fratres sui. Zbis Conradi filius. Stinen. Florianus cancellarius. Ruhado scriba. Hec autem acta sunt anno dominice incarnationis millesimo centesimo nonagesimo secundo. Indictione decima.

Dobner Annalium tomo VI. pag. 583.

CCCLVIII.

Přemysl, dux Boemorum, resarcit damna monasterio Břewnowiensi illata. Pragae, 1194.

Premyzl, Boemorum dux . . . . Omnibus presentem paginam inspecturis duximus declarandum, quod dum Brevnovensis ecclesia tempore discordie, que inter nos et *Wencezlaum* patruum nostrum uersabatur, cum iam castrum Pragense obsidione ualida cepissemus, per nos et nostrorum uiolentiam in uino et aliis admodum lesa fuisset, nos diuinam super hoc formidantes ultionem, ad instantiam domini Brecizlai uenerabilis Pragensis episcopi, et ad petitionem aliorum terre magnatum, nec non domini Henrici tunc temporis abbatis, et fratrum dicti monasterii uillam nostram Chilichi, que semper pleno iure ad fiscum spectabat regium pro satisfactione iniurie et lesionis per nos et nostros illate deo et diuis Adalberto atque Benedicto eiusdem ecclesie patronis sine omni contradictione contulimus fratribus prefati monasterii et eorum successoribus eodem iure perpetuo possidendam . . . . . . Huius autem nostre donationis et confirmationis eiusdam testes sunt: Pribislaus Costca, Zlawech comes, Ratibor comes, Lutobor comes, Mutina comes, Bohusa comes, Brecizlaus comes, Cyrnin comes. et alii quam plures . . . . Datum Prage anno ab incarnatione domini MCXCIIII. ducatus nostri anno primo.

Fragmentum ex autographo eiusdem monasterii apud Dobner in Annal. VI. p. 611. — Integrum in Ziegelbaueri Hist. Brewnowiensi.

CCCLIX.

Heinricus, episcopus et dux Boemorum, intercedente Engelberto, episcopo Moraviensi, concambit cum fratribus Hierosolymitanis villas Rowny et Rudnice. Februario, 1194.

Ego Heinricus dei gratia sancte Pragensis ecclesie presul. et dux Boemorum. uniuersis christi fidelibus presentibus et futuris notum facere dignum duxi. quod ego ex consideratione predecessorum meorum. benefactorum eorum emulator effectus. intuitu pietatis tranquillitati fratrum hospitalis ierosolimitani uolens misericorditer inposterum prouidere. predium quoddam cuius media pars erat ipsorum Rowni nomine. et alteram medietatem argento suo comparauerunt. scilicet quadraginta et quinque marcis examinati argenti: quia propter sui uicinitatem ualde necessarium erat episcopali curie que dicitur Rudnice. ab eis accepi in perpetualem episcoporum pragensium possessionem. Quia uero predicti fratres sepe querimoniam faciebant. de molestiis quas in villis suis decime collectores. eorum hominibus sepius inferebant! intuitu nihilominus pietatis et misericordie. per consilium *ingelberthi* Morauiensis episcopi. et per conuenientiam floriani prepositi. Zdezlai decani. magistri Alexandri. Walchini. Pribizlai. Dethlebi. Vitalis. Milozlai. Pauli. Boguzlai. Fridrici. Alexandri. et omnium fere aliorum canonicorum qui presentes aderant in pragensi capitulo. omnium uillarum suarum. uel quas inpresentiarum possident. uel quas postmodum usquequaque temporis deo propicio poterunt adipisci! decimas eis indulsimus amplius inperpetuum iure hereditario possidendas. Hec autem omnia. postea die sancto epiphanie me presente et collaudante. ab omnibus canonicis qui aderant finitis uesperis in medio chori sancti Wencezlai. recognita sunt et collaudata. Porro ne de prememorata emptione medietatis supra dicte ville Rouni. scrupulus aliquis contra fratres hospitalis ualeat exoriri. huic etiam pagine inserere dignum duxi quod die beate Agathe cum sederem in prandio. fratres hospitalis Bernardus scilicet prior et Meinardus preceptor predictas quadraginta quinque marcas persoluerunt sorori Theodrici de Rouni me uidente et etiam ipsa mihi super hoc inclinante. et clamante quod ei fuerit optime persolutum. Et hii testes qui uiderunt et audierunt. *Theobaldus* et *Sobezlaus* domicelli. Sifridus prepositus Wissegradensis. Laurentius capellanus et Rapoto notarius. Grabissa camerarius. Jarozlaus d' tinec. Smil. Bogutha. Honata frater eius. Zebrazlaus de turic. Budiuoy frater eius. Ben. Olricus filius Olrici. Ercumbrecht subdapifer. Jaros subpincerna. Dersicraius et filii eius Budiuoy et Blasius. Preda et filius eius hual. Martinus de Zaiacisc. Bun et frater eius Milotha. Vbizlaus de Trebonin. Dama'de Kerstr. Otradus filius Otradi. Castos filius siburce. et quamplures alii qui sedebant ad mensas in stuba magna episcopali. Pactum etiam quod me consulente et collaudante inter predictos fratres hospitalis et Milgostum factum est carte huic inscribendum necessarium existimaui. ut scilicet uillas quas Petrus frater Milgosti contulerat per medium diuiderent ita quod Milgost de sua medietate faciat quidquid uoluerit. et fratres pro sua medietate deinceps claustrum facere non cogantur. Ad hec omnia nullatenus obmittendum iudicaui. quin etiam apponeretur huic pagine ad noticiam futurorum. quod prefato hospitali ierosolymitano contuli capellam sancte Marie in Cladsc cum omnibus suis pertinentiis a fratribus iure perpetuo possidendam. sicut dux Fridricus iam dudum eis forensem ecclesiam sancti Wencezlai cum sua dote contulerat. per me ipsum in consecratione ecclesie in boisc eis sub interminatione anathematis confirmatam. Hec ergo omnia hospitali ierosolimitano auctoritate diuinitus utrobique mihi concessa. concedo. et confirmo. et sigilli mei impressione corroboro. et quicumque aliquid horum inposterum uiolare uoluerit. anathema sit. amen. Actum est autem hoc anno incarnationis domini nostri Jesu Christi MCLXXXXIIII. anno vero episcopatus mei .XIII. principatus autem mei anno .II.

Ex originali archivi metropolitani Pragensis transcripsit dominus Palacky. — False citatum a Paprockio in Diadocho p. 287.

CCCLX.

Henricus, episcopus et dux Boemorum, decidit controuersiam inter ecclesiam Pragensem et monasterium Plazense ratione predii Cralouic. . . . Testes: *Heilbertus Morauiensis electus* . . . *Wadizlaus dux* . . Grabisse camerarius. Juric dapifer . . . ect. Actum 30. September, **1194.**

Originale in archivo capituli Pragensis.

CCCLXI.

Heinricus, Romanorum imperator, ecclesiae maiori Babenbergensi allodium quoddam, ab Ottone de Lobdeburc solenniter ei traditum, confirmat sub testimonio: *Henrici ducis et episcopi Boemorum* ect.

Monumenta Boica Vol. XXIX. T. I. pag. 479.

CCCLXII.

Spitihněw, princeps Brunensis, restituit monasterio s. Benedicti ante Brunam decimas in Manice. cc. **1195.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego *Zpitigneus princeps Brunensis* uniuersis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis tam moderni quam futuri eui. Nichil perpetualitatis habitum induit. quod agitur a mortalibus. nisi in pagine formata scriptura et sigillo perhennatur. Nouerit itaque cuncta christianorum fidelitas quod ad quorundam meorum beneficiariorum minus bonam assertionem decimas agrorum in *Maniz* iuxta Brunam. detinui aliquo tempore usui camere mee occupatas. Verum tamen quoniam ex ore ueridicorum uirorum et priuilegio abbatis de *Trebech.* michi exhibito lucidissime compertum habeo prefatas decimas nec ad ecclesiam montis sancti *Petri.* sicut rector eiusdem asserebat. nec ad metipsum pertinere. sicut beneficiarii michi suggerebant. sed ad fratres *claustri sancti Benedicti ante Brunam.* sicut ex collatione quondam *Wratizlai* felicis memorie ducis Morauie. iuste ipsam percipiebant. donec eandem detinuerimus. Quamobrem pre oculis anime nostre salutem habens meam iniustam detentionem irritam facio. atque prefatas decimas agrorum uille Maniz memoratis fratribus de sancto Benedicto penitentialiter restituo. Decerno nichilominus quatinus ecclesia sancti Petri in possessione sua in supra nuncupata uilla Maniz eisdem fratribus nichil decimarum prestare debeat. Venerabilis autem episcopus Morauiensis *Engilbertus* hanc meam restitutionem collaudans canonice legis edicto firmare promisit coram dilecto fratre meo *Zuatopluk.* Comite Lewa. Petro. Diwa. Stephano. Velen. Pribizlau. et aliis fide dignis.

Ex actis causarum consistorii Olomucensis Ms. seculi XV.

CCCLXIII.

Heinricus, dux Boemorum et episcopus, nec non marchio Moraviae, auget fundationem monasterii Lucensis. Dt. in castro Below VII. Idus Junii, **1195.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Anno verbi incarnati Millesimo CXCV. indictione *VII.* epacta XXV. concurrente V. Iuxta labentis huius seculi varietates varie in hominibus generantur mutabilitates. Inde est quod cerea in vicium flecti et lucri ydropico morbo siciens presens etas multa audet nichil pudet dummodo viuet. Porro quia preciosus memorie thesaurus est scriptura rerum seriem incommutabili loquens veritate, et opponens obstaculum emergentibus calumpniis inconuulsum hec siquidem seua inimicorum constringit iacula et precludit additum quem fabricat mens dolosa. Huius inspectu racionis ego *Heinricus dux Boemorum et episcopus nec non Marchio Morauie* pro remedio anime mee et fratris mei ducis *Cronradi.* ac pro vniuersis predecessoribus meis. terrena pro celestibus videlicet villam que dicitur *Luka* adiacentem eiusdem nominis monasterio cum theolonio et villa *Bohmelicz.* cum molendino et flumine quod ibi preterfluit et silua que Palice nuncupatur nec non cum terra seruorum et pleno dominio dedi perpetualiter. Et quoniam sapiens rei exitum ante metitur et iacula preuisa minus feriun*tur*. quod factum meum racionabile superueniente inique occasionis scrupulo minime valeat eneruari, testimonio horum corroboraui quorum nomina sunt hec: *Wladimirus cum fratre suo Bracizlao principes Olomucenses. Zpiligneus cum fratre suo Zwatopluk principes de Brinen.* Stizlaus prepositus Wisegradensis et cancellarius ducis Boemie. Christoforus prepositus Bolezlauensis. Witek archidyaconus Satcensis. Laurencius canonicus Pragensis. Grabise camerarius ducis Boemie. Witek. Zlauebor castellanus de Satec. Hermannus castellanus de Kladzko. Jarozlaus castellanus de Budysin. Budiuoy subcamerarius ducis Boemie. Boruta filius Voconis. Herkenbertus subdapifer ducis Boemie. Roprecht castellanus de Podywin. Arnustus pincerna ducis Boemie. Jaros subpincerna ducis Boemie. Wilalmus venator curie. Zuda. Zbrazlaus filius Zlauebor. Georius castellanus de Netolic. Pertoldus castellanus de Gradec. Macerat gladiator ducis Boemie qui eodem tempore dedit villam predicto monasterio que *Lutin uocatur.* et coram eisdem testibus. Hii sunt testes de *prouincia Znoymensi.* Artlebus. Mrakota. Bolik. Paztuha. Ortwinus. Marquardus. Alexius. Zpita. Belen. Janik. Mirozlaus. Thomik. Isti vero sunt de *prouincia Olomucensi.* Boguta. Blud. Zudimir. Predbor. Zdebor. Petrek. Micul. Zudiwoy. Jacub. Zemizlaus. Isti autem sunt de *prouincia Brinnensi.* Zbrazlaus. Petrus superbus. Lewa. Diwa. Budis. Bolebor. Racek. Budek. Ztrezmir. et alii quam plurimi. Boemi et Moraui qui eidem donacioni interfuerunt. Vt autem racionabile factum meum maius robur valitudinis in posterum obtineat et omni evo inconuulsum permaneat sigilli mei presentis inpressione communiui. Ne autem succedentibus cereis temporibus conueniens ordinacio mea possit euacuari quatenus ea que bene sunt ordinata in perpetuum manea*nt* rata et omni generacioni que preterit et aduenit fixa si*nt* et inuiolata accensis candelis violatores huiusmodi quod absit excommunicaui et cum Juda traditore eos eterno cremandos igne deputaui. Actum est autem hoc in ipso die prothomartiris Stephani apud monasterium *Lucense* feliciter amen. Datum per manum Witkonis archidyaconi in castro *Below*. VII. Idus Junii.

Originale cum sigillo eleganti pendente in archivo aulico Vindob. — Item copia vidimata in registratura c. r. Gubernii Moravici — Excusum apud Dobner in Monum. IV. 252.

CCCLXIV.

Wladimjr, princeps Olomucensis, donat monasterio Gradicensi villam Boganowice. Dt. in Opavia VII. Kal. Januarii, 1195.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Anno dominice incarnationis millesimo centesimo nonagesimo sexto, epacta nulla .... concurrente, indictione XIV. Notum sit cunctis christianam veritatem colentibus tam presentis, quam futuri temporis hominibus, quod ego *Wladimir, princeps Olomucensis,* paterne pietatis sequens vestigia, pro eterna retributionis mercede, et remedio ac redemtione tam anime mee, quam patris ac matris fratrisque mei monasterio meo, quod in honore s. *Stephani* protomartyris situm est ad aquilonalem plagam vrbis Olomucensis, villam, que cognominatur *Boyanoviz,* in libro vite celestis adscribi desiderans contuli iure hereditario perpetuo possidendam, in id ipsum consentiente ac fauente mihi charissimo fratre meo principe *Bracizlao.* Ad recordationem ergo et confirmationem huius facti, ne hoc posteros latere queat, testimonio huius scripture meo sigillo munite, quamdiu mundus iste uoluerit, ratum esse commendo, et harum personarum nominibus subscriptis attestatione confirmo. *Bracizlaus* princeps Morauie. -Domina *Euffemia* soror principum. *Engelbertus* episcopus Olomucensis. Balduinus decanus Olomucensis. Rochce. Odolen. Radozlaus. Pomnen. Hren. Joannes. Kochan. Zemizlaus ect. Datum in *Opauia* VII. Kalendas Januarii.

Ex Annalibus monasterii Gradicensis Ms. in registrat. c. r. Gubernii Moravici, aliisque transumtis. —

CCCLXV.

Břetislaw, princeps Moravorum, donat monasterio Gradicensi villam Žerakowice. Dt. Kunowic Idibus Januarii, **1196.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Anno dominice incarnationis millesimo centesimo nonagesimo sexto, epacta nulla..concurrente, indictione XIV. Notum sit omnibus christianam veritatem colentibus tam presentis, quam futuri temporis hominibus, quod ego *Bracizlaus, princeps Morauorum,* paterne pietatis per omnia sequens vestigia pro eterne retributionis mercede, et pro remedio ac redemptione tam anime mee, quam patris ac matris fratrisque mei monasterio meo, quod in honore sancti *Stephani* protomartyris situm est ad aquilonalem plagam vrbis Olomucensis, villam, que cognominatur *Zirakowiz,* in libro vite celestis adscribi desiderans, contuli iure hereditario perpetuo possidendam, in id ipsum consentiente mihi et fauente charissimo meo fratre, principe *Wladimiro.* Ad recordationem ergo et confirmationem huius facti, ne hoc posteros latere queat, testimonio huius scripture, meo sigillo munite, quamdiu mundus iste uoluerit, ratum esse commendo, et harum personarum nominibus subscriptis attestatione confirmo. *Wladimir princeps Olomucensis. Euffemia* soror principum. *Engelbertus* Olomucensis episcopus. Balduinus decanus. Bosco archidiaconus. Mrakota. Pribizlaus. Iscislaus. Zudivoy. Petrus. Walech. Nedamir. Lutek Werzovicensis. Datum *Cunoriz* Idibus Januarii.

Ex Annalibus monasterii Gradicensis Ms. in registratura c. r. Gubernii Moravici, aliisque transumtis.

CCCLXVI.

Coelestinus papa III. confirmat fundationem monasterii Lucensis. Dt. Laterani V. Kal. Maji, **1196.**

Celestinus episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . . abbati et conuentui *Lucensis* cenobii salutem et apostolicam benedictionem.

sacrosancta Romana ecclesia deuotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consueuit, et ne prauorum hominum molestiis agitentur, tanquam pia mater protectionis sue munimine confouere. Eapropter dilecti in domino filii deuotionem, quam erga beatum Petrum ob nos ipsos habere dinoscimini, attendentes personas et monasterium uestrum cum omnibus bonis, que in presentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum iustis modis deo propitio poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem possessiones et alia bona, que bone memorie *Otto*, dux quondam Boemie, et *Maria*, mater ipsius, monasterio uestro pie deuotionis intuitu contulerunt uobis et per uos ipsi cenobio, sicut ea iusta ac sine controuersia possidetis, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum fas sit, personas et monasterium uestrum uel bona temere perturbare, seu hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani V. Kalendas Maii. Pontificatus nostri anno quinto.

Originale in archivo c. r. aulico Vindobonae. — Item copia vidimata in registratura c. r. Gubernii Moravici.

CCCLXVII.

Heinricus, episcopus et dux Boemorum, eximit monasterium Waldsassense a vectigalibus in Boemia sub testimonio Engelberti, Moraviensis episcopi.

1196.

Henricus, Pragensis ecclesie episcopus et dux totius Bohemie . . . fratres monasterii in Waltsaxen a telonei exactione eximit eorumque possessiones in tuitionem suam suscipit. Testes sunt: dominus *Engilbertus* episcopus Morauiensis. Florianus cancellarius. Zdezlaus decanus Pragensis. Gwalech archidiaconus Pragensis. Grabis camerarius summus. Zlawec frater eius. Boguzlaus comes sacensis. Ratibor comes de cladze. Jerozlaus. Wilhelmus. Uriz. Ernust. Lehenez. Budwoi et frater eius Ben. Bohuta. Milhozt milhoztic. Zbramir. Martinus Oztretiz. Zmil. Dirsata. Oraz. Witigo subcamerarius. Henricus. Nescherath. Marquardus Zoblacowiz. Derrich nedameriz et frater eius Gothebor. Wezmil filius uxoris Martini et frater eius Luotholig. Hogir de radoniz. Hermanus Wilamowiz.

Ex originali in archivo Monaci descr. d. Palacky.

CCCLXVIII.

Quidam Sdizlaus vendit Bdenowiz monasterio Cladrub sub sigillo *Wladizlai* ducis Boemorum. 1197.

Originale in archivo c. r. Vindobonae.

CCCLXIX.

Spitihněw, dux Moraviensis, confert ecclesiae s. Petri Brunae praedium in Maloměřic. 1197.

In nomine domini Amen. Ego *Zpitignеu,* dei gratia dux Morauiensis, notum facio uniuersis in Christo credentibus tam presentibus quam futuris, quod in remedium anime *Agnetis* sororis mee, que iam iter eternum est ingressa, contuli ecclesie sancti *Petri in Bruna* predium in *Malomirici* quod a Pribizlao, uiro nobili, redemi et pecunia exsolui parata LXXX uidelicet marcis. Et hec traditio facta est coram uenerabili episcopo Olomucensi *Engilberto* et fratre meo *Suatopluk,* duce Morauiensi. MCXCVII.

E codice Ms. sec. XIV. quondam monasterii Tischnovic. fol. LXXI.

CCCLXX.

Hroznata, de clariori primatum Boemiae stemmate, fundat monasterium Teplense sub testimonio Engelberti episcopi, et Spitihněw et Wladimjr, ducum Moraviensium. **1197.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Groznata, dei gracia de primatum Boemie clariori stemmate descendens, uniuersis Christi fidelibus tam futuri quam moderni temporis. Quoniam ea, que a prudentibus deo inspirante statuuntur, si scripto commissa fuerint, tenacius memorie commendantur, et gestorum seriem exclusa falsitate protestantur, ideo ego dei nutu signatorum sancte crucis uestigia sequens, et sepulchrum domini saluatoris inuisere cupiens, notum uolo fieri omnibus tam futuris, quam presentibus, quod usibus fratrum, qui deo et beate Marie in Tepla seruituri sunt, locum eundem cum omnibus appendiciis, que ibi sunt, siue reuertar siue non, perpetualiter contradidi. Si autem in hac uia, quam aggredior, fati munus impleuero, predia mea omnia atque possessiones cum omnibus animalibus eidem ecclesie perenniter deputaui. Quodsi rediero, ipsa predia debito iure preter Tepla et ipsius attinentia in meam ditionem redigentur. Cognatis meis, ut prefato loco fideliter assistant, hec dedi: Blehov Blehoni, Zdeslao et fratribus eius duobus circuitum Stuolenez, Hrdiboroni Smilcoviz: ita dico, si non reuertar. Holoferni, capellano meo, Malessow, Martino Skalice, Nezli filio Petri. His tribus dedi, siue reuertar siue non. Milites mei, qui a me predia mea tenent, ne aliquid contrarietatis deo et abbatie, quam fundaui, moliantur, qui aratrum habet, abbas Teplensis duas marcas ei persoluat, ut aratrum recipiat; qui uero integram uillam tenet, V marcas ab abbate percipiat, et cui uoluerit, seruiat. De uillis autem, quas in siluis tenuerunt, nihil soluat ecclesia. Famulos meos et ancillas eidem ecclesie confero. Domino abbati Teplensi ad presens omnia bona mea ad regendum committo. Benessoni uero ipsum abbatem et meos fideles sub tutela commendo. Abbas autem de bonis meis debita creditoribus meis persoluat. Soror mea, que est in Polonia, si marito superstes natale solum reuisere uoluerit, quamdiu in uiduitate permanserit, Gotessoviz cum omnibus appenditiis possideat; si uero alteri nupserit, uel in uiduitate obierit, eadem bona ecclesia recipiat. Judithe, alteri sorori, usque ad finem uite sue de bonis, que ecclesie contuli, abbas Teplensis necessaria decenter prouideat. Si quis uero de morte mea falsum rumorem uulgauerit, nulli credatur, nisi a domino abbate certum signum, quod ei soli dedi, manifestatum fuerit. Quod si cognati mei de bonis, que deo contuli, abbatiam infestare uoluerint, preter offensam, quam ab omnipotente merebuntur, ecce coram Boemis dico, ut ea bona, que ipsis contuleram, ad usus ecclesie iure perpetuo reuertantur. Vt autem hec apud posteros firma radice perseuerent, placuit factum scripto commendari, et ecclesie Pragensis ipsiusque ducis ac nostro sigillo confirmari, eorum etiam, qui affuerunt, nomina subnotari. Hec sunt nomina testium: *Heinricus dux et episcopus Boemorum. Wladizlaus frater eius. Engelbertus, Morauiensis episcopus. Zpitihneus. Ladimir.* Florianus prepositus et cancellarius. Grabissa camerarius. Zlauco frater eius. Georgius de Milewic. Johannes iudex et Zuda frater eius. Jarozlaus. Budiwoi et Ben frater eius. Benes Hermanni filius. Bertoldus et Zezema filius eius. Vitco filius Vitconis. Predbor. Cstibor. Nacepulc. Matheus. De cetero si quis hec prescripta bona sibi usurpare vel diripere presumpserit, anathematis vinculo sese innodatum nouerit. Acta sunt hec anno verbi incarnati MCLXXXXVII. Indictione XV. epacta nulla. concurrente II.

Ex Annalibus Ms. Gradicensibus; emendatum a d. Palacky ex originali Teplensi. — Excusum dedit Dobner in Annal. VI. pag. 633.

CCCLXXI.

Heinricus, dux et episcopus Boemorum, confirmat fundationem monasterii Teplensis ab Hroznata nobili factam sub testimonio Engelberti, Morauiensis episcopi. **1197.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Henricus dei gratia dux et episcopus Bohemorum. Vniversis Christi fidelibus tam futuri, quam moderni temporis. Equitatis exigit ratio, ut nos, qui deo largiente principatum inter homines adepti sumus, ea, que ad utilitatem seruorum eius pertinent, sollicite prouideamus et ecclesias eius earumque possessiones nostra circumspectione muniamus, nostre protectionis clypeo defensemus. Propterea notum sit uniuersis ecclesie filiis, quod illustris comes et amicus noster Groznata militum sancte crucis uiciniora saluti sequens exempla deo propitio testamentum suum uiuaci commisit priuilegio, ne scilicet humanis inimica negotiis obliuio, uel argute perditorum hominum fallacie mentis eius propositum possent eneruare. Primum itaque curam anime gerens Teplam cum omnibus uillis pertinentibus, et omnibus appenditiis earum et theloneo, tam fori quam porte, id est exitus terre, deo et abbatie, quam ipse Groznata fundauit in honorem beate Marie semper uirginis, pro remedio anime sue, et parentum suorum intuitu eterne retributionis perpetuo iure possidenda contradidit, seu liberos habiturus, seu absque liberis ex hac luce transiturus. Villam etiam Thirnou et Vnchice et Crucanice per trium annorum curricula eidem ecclesie in usum concessit. Si uero ex transmarinis partibus reuersus non fuerit, prescriptas uillas cum his aliis Geswi, Ovence et Buschovice cum omnibus appenditiis, et uillam, que dicitur Cleppi, eidem ecclesie perpetuo deputauit. Quodsi filium habuerit, omnium bonorum suorum eum heredem constituit, preter Tepla, et ea que ibidem appenditia esse prediximus, et aratrum de terra, quod in Ovence ad usus fratrum segregauit. Animalia quoque uiua, equos uidelicet, boues et oues, et alia omnia ipsi ecclesie dedit. Seruos etiam quotquot habet, si filius ei superstes non fuerit. Preterea nos deuotioni eius congaudentes, terram, que est inter Sandov et syluam Bohemie loco eidem contulimus. Collectam etiam denariorum, que per Bohemiam colligi solet, pro remedio anime nostre, decessorum, et successorum nostrorum, fratribus prefatis, et omnibus hominibus eorum perpetuo indulsimus. Vt autem hec imposterum firma radice perseuerent, placuit factum scripto commendari, et authoritate uenerabilis cardinalis Petri, qui presens aderat, ipsiusque et nostro sigillo roborari, eorum etiam, qui affuerunt seriatim nomina subnotari. Nomina testium: *Henricus dux et episcopus Bohemorum. Engelbertus Morauiensis episcopus.* Petrus cardinalis et apostolice sedis legatus. Florianus prepositus et cancellarius. Sdizlaus decanus. Phalco archidiaconus. Alexander magister. Christophorus prepositus in Bolezlav. Grabissa camerarius ducis et Zlauco frater eius, et Grabissa filius eius. Hermannus filius Marquardi, et filii eius Beness et Marquardus. Georgius de Milevic. Jarozlaus. Odolen. Mutin. Zmil. Zavissa. Borutha. Budivoi et frater eius Ben. Bertholdus de Zebrin et filii eius Zezema et Herman. Blego et fratres eius. Zdislaus. Bun. Milota. Hawel. Albertus. Uta. De cetero quisquis hec prescripta bona, uel quecunque postmodum fidelium deuotione collata fuerint, a prefato loco alienare presumpserit, nisi citius per penitentiam resipiscat, anathematis uinculo se innodatum cognoscat. Acta sunt hec anno dom. incarnat. MCXCVII. Indictione XV. epacta nulla, concurrente II.

Ex originali ejusdem monasterii transcr. d. Palacky — Excusum in Dobneri Annal. VI. 635.

CCCLXXII.

Spitihněw, dux Brunensis, auget et confirmat possessiones monasteriorum Třebičensis et s. Benedicti in Luh ad Brunam. In colloquio nobilium in castro Brunensi, **1197.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Vniuersis in Christo fidelibus tam presentibus quam futuris ad notitiam deuenire cupimus. quod ego *Zpitigneus dux prouincie Brunensis.* laudabilem deuocionem precessorum meorum quam erga monasterium sancte Marie in loco qui uocatur *Trebech.* quod sumptuosa largitate ab ipsis fundatum esse dinoscitur. omni tempore ostentare uidebantur desiderans omnimode prosequi. ac eorum uestigiis incedere. quatinus cum eisdem fratrum ibidem deo deuote seruientium cottidianis orationibus in remedium anime mee inseri promererem. Contuli igitur dilecto abbati nostro T. sancte Marie in remedium meum. et parentum meorum. fratrisque mei. uillam que cognominatur *Sedlici.* iure hereditario inperpetuum possidendam. Aliam uero uillam *Naluce* cambiui sancte Marie ad petitionem nobilis uiri Znate pro uilla *Vzgori.* quam idem dilectus miles meus tempore ducis *Walzlai* in leuamen suorum peccatorum obtulerat. Frater autem meus *de prouincia Jampnic Zuatopluk* contulit predium *na mirine.* Confirmaui nichilominus etiam et in huius priuilegii tenorem consignare precepi que tempore mei principatus eidem ecclesie a uiris nobilibus tradita ex testimonio honestorum hominum cognoueram. uidelicet Budis dedit terram ad III aratra in *Zuatozlav* cum querceto. Jan dedit siluam iuxta *Mezirice.* Stanimir dedit piscatores super fluuio *Giglaua* Zizn. Jarek. Zbud. Bolegneu. Petr. Wratik. Mirata dedit duo prata super *Giglaua.* Mirozlau dedit piscatores super fluuio *Ozlaua* Ranos. Petrek. Zuat. Crnei. Ranozir dedit siluam *na Pasekah* cum custode qui dicitur lesni et apiariis dictis wecelnici et forestario qui appellatur pohaini. Abbas *Chvono* cambiuit tempore ducis *Watzlai* uillam *nacemiric.* frater Gauel dedit fratribus CLX marcas pro remedio anime fratris sui qui *tempore guerre ducis Cronradi de prouincia Znoymensi in castro Velov* occisus est. Emerant autem fratres medietate argenti eiusdem me presente et talem emptionem laudante predium *in Ozlauan* cum telonei sexta septimana ibidem a nobili uiro Stephano Vngaro filio Jvvan adicientes numerate pecunie sextam septimanam fori in *Pravloue.* Alteram uero medietatem ad edificandum capellam *b. Wencezlai* in cenobio prefato penderunt hilariter. amen. Vt autem hec nostra donatio et donationum prefatarum confirmatio maius robur firmitatis obtineat in posterum et omni tempore inconuulsa permaneat sigilli mei inpressione communiui. Venerabilis episcopus *Engilbertus* omnes violatores quicunque generatione subsequente has pias donationes eradicare uel quocunque ausu presumptuoso euacuare temptauerint. cum Juda traditore igne gehenne cremandos deputauit. Testes uero huius rei sunt hii. frater noster dux *Zuatopluk.* venerabilis episcopus Morauiensis *Engilbertus.* Venus prepositus. Leua burgrauius. Budis. Mirozlau. Stanimir. Zuatozlau. Znata. Strezimir. Budek. Stephanus. Imram. Bozek. Velen. Gerard. Pribizlau. Mirata. Protiua. Borut. Crisan. et alii quam plurimi in castro Brunensi in colloquio nobilium anno millesimo centesimo nonagesimo septimo habito feliciter. Amen.

Item Zpitigneu dal iest kostel s. Martina u Brna. s clovviekami. a s desatinu. Item dal iest zahradniki na luzie. Item dal iest les za brdi s hainikoma. s. Benediktu.

Ex actis causarum consistorii Olomucensis Mss. sec. XV. in allegatis.

CCCLXXIII.

Wladimjr, princeps Olomucensis, auget et confirmat monasterii Gradicensis possessiones in Oldřišow et in circuitu Holasic. 1198.

In nom*ine sancte et indiuidue trinit*atis. amen. Ne cui*us memor*abile factum successu temporis aut per obliuionem dele*atur aut m*alignantium astutia *peruerta*tur. necesse est et charte priuilegio et test*imonio proborum uiro*rum roborari. Not*um sit igitur uniuersis Christi* fidelibus quod ego Wladi*mir princeps Olomucensis* intuitu singularis pietatis et *fauoris specialis. quem erga dilectos* fratres s. Stephani in preurbio Olomucensi. qui sunt ibidem a patre nostro introm*issi et in quorum* ecclesia nostrorum progenitorum post terrenas inquietudines ossa ad quietem sempiternam reposta quiescunt. quorum quoque consortium quando dominus me uocauerit mihi eligo. in refrigerium anime mee. et patris *mei quondam Ottonis* et matris *Durantie.* necnon frat*ris mei Bracizlai et* so*rorum Marie. Durantie et Euf*femie. largam predecessorum aliorumque collationem prefatis fratribus adaugere de propria larg*itione desideraui.* Contuli igitur medietatem predii in Oldrizoue quod a nobili uiro Hermanno filio Ratibor propria pecunia comparaui. et hoc *tradidi s. Steph*ano cum sexta sept*imana telo*nei supra Opaua. Item addidi siluam in circuitu Golasiz que eodem fluuio terminatur. et quam ex precepto meo nobilis uir Woco *circumiuit.* Confirmo etiam s. Stephano donationem fratris mei Bracizlai silue iuxta Oldrizoue. cum meo assensu factam. Preterea quecunque supra memorati fratres et abbas siue don*atione predecessorum meorum ibidem possident.* siue propriis sumptibus acquisiuerant *aut in futurum poterunt acqui*rere presentis sub nostri sigilli impressione pagine *confirmamus* formata . . . Testes . . . Engilb*ertus episcopus Olomucensis. Balduinus de*canus Olomu*censis* . . . Radozlaus. Blud. Zudiuoy. Zemizlaus . . . MCXCVIII.

Apographum in analectis diplom. Friebekii ex autographo admodum mutilo quondam archivi monasterii Gradicensis, quod egomet e subsidiis meis Mss., nominatim e Necrologio Gradicen. restitui.

CCCLXXIV.

Innocentii papae III. epistola ad Pragense capitulum de intruso per *Wladislaum* ducem episcopo Daniele. cc. **1198.**

In Steph. Baluzii epistolarum Innocentii III. libro I. pag. 624.

CCCLXXV.

Principes Germaniae, inter quos etiam Otakar rex, Boemiae, et Wladislaw, marchio Moraviae, nuntiant Innocentio papae III. electionem Philippi, regis Romanorum. Dt. Spirae V. Kal. Junii. **1199.**

Reverendo in Christo patri et domino Innocentio sanctae Romanae ecclesiae summo pontifici, Germaniarum principes et magnates, in Christo filii, Magdeburgensis archiepiscopus, Trevirensis archiepiscopus, Bisuntinae sedis archiepiscopus, Ratisponensis episcopus, Frisingensis episcopus, Augustensis episcopus, Constantiensis episcopus, Eistedensis episcopus, Wormatiensis episcopus, Spirensis episcopus, Brixiensis electus, Hildesemensis episcopus imperialis aulae cancellarius, abbas Fuldensis, abbas Hersveldensis, abbas de Tegerse, abbas Elwacensis, item *rex Boemiae,* dux Saxoniae, dux Bawariae, dux Austriae, dux Meraniae, dux Lotharingiae, marchio Missenensis, marchio Brandeburgensis, *marchio Moraviae,* marchio de Rumesperc, aliique totius Alemanniae nobiles, debitum et paratum cum omni devotione et obsequio famulatum. Apostolicae beatitudinis eminentia, quae piis supplicantium desideriis et affectibus gratam semper consuevit impertiri benevolentiam et assensum, firmam universitati nostrae certitudinem administrat, quod in iis quae a sanctitate vestra iustissime postulamus, benignitatem apostolicam debeamus et in exaudiendo persentire facilem et in exequendo quod petimus fructuosam. Quocirca magnitudini vestrae duximus declarandum, quod mortuo inclito domino nostro Henrico imperatore Romanorum augusto, collecta multitudine principum, ubi nobilium et ministerialium imperii numerus aderat copiosus, illustrem dominum nostrum Philippum in imperatorem Romani solii rite et solemniter elegimus, quo nec ingenuitate sublimiorem nec honorum luce magis conspicuum neque ad sceptra et regimina sacri imperii gubernacula, nec ad ecclesiam dei, sicut dignum est et expedit, defensandam potiorem potuimus invenire. Verum quoniam propter paucos principes iustitiae resistentes ad negotia imperii utiliter pertractanda ad haec usque tempora non convenimus, nunc deliberatione habita cum praedicto domino nostro rege Philippo ad Nurenberc celebrem curiam celebravimus, unanimiter, ita domino nostro disponente altissimo, contra turbatores suos adiutorium praestituri, quod nullus in imperio et in terris, quas serenissimus frater suus habuit, ipsius audebit dominium recusare. Quocirca dignitatis apostolicae clementiam omni studio et attentione rogamus, ut precum nostrarum interventu, qui Romanae ecclesiae statum optimum semper diliximus, ad iura imperii manum cum iniuria nullatenus extendatis, diligentius attendentes, quod non sustinemus ius ecclesiae ab aliquo diminui aut infringi. Igitur favorem vestrum et benevolentiam excellentissimo domino nostro fructuosius impendatis, et eius honores ac commoda ita, ubi potestis, erigere dignemini cum effectu, ut iustitiae non dominetur iniquitas, sed subdatur semper falsitas veritati. Monemus insuper et precamur, ut dilecto amico nostro devoto et fideli domini nostri regis Philippi, Marcualdo marchioni Anchonensi, duci Ravennensi, procuratori regni Siciliae, imperialis aulae senescalco, in negotiis domini nostri apostolicam praestetis benevolentiam et favorem, nec resistentibus ei praebeatis adiutoria, sicut de vestra confidimus sanctitate; certissime scientes, quod omnibus viribus quibus possumus Romam in brevi cum ipso domino nostro divinitate propitia veniemus pro imperatoriae coronationis dignitate ipsi sublimiter obtinenda. Haec omnia vobis tam ex nostra, qui praesentes existimus, quam ex parte aliorum principum scripsimus, quorum nuntios et literas habuimus; qui etiam domino nostro fidelitatem fecerunt et hominium; quorum nomina sunt haec. Patriarcha Aquilegiensis, archiepiscopus Bremensis, Verdensis, Halverstadensis, Merseburgensis episcopi, Nuwenbergensis, Monasteriensis, Osnaburgensis, Baleburgensis episcopi, Pataviensis, Curiensis, Tridentinus episcopi, comes palatinus, Burgundiae, dux Caringiae, dux Karinthiae, dux de Bites, marchio de Lannesperc, marchio de Voheberc, comes palatinus de Tuing, comes palatinus de Witelinesbach, et alii quam plures comites et nobiles, quorum hic nomina reticemus. Datum Spirae V. Kalendas Junii.

E Regesto Innocentii papae III. de negotio Imperii, epistola 14. apud Stephanum Baluzium I. pag. 690.

CCCLXXVI.

Innocentius papa III. Magdeburgensi archiepiscopo inquisitionem divortii ducis Boemiae, Přemysl, injungit. Dt. cc. 1. Octobris, 1199.

Innocentius episcopus, servus servorum dei . . . . . Magdeburgensi archiepiscopo, et de Burgelim et de Cella sanctae Mariae abbatibus, salutem et apostolicam benedictionem. Ex conquestione nobilis mulieris A.(delae) nobis innotuit, quod cum dilectus filius dux Bohemiae illam duxisset legitime in uxorem, et ipsam viginti annis et amplius velut uxorem legitimam pertractasset, filiis et filiabus ex ea susceptis, eandem suadente humani generis inimico a suo consortio separavit, et Pragensis episcopus, convocato quorundam praelatorum concilio in quodam monasterio ad petitionem et mandatum ipsius ducis, ipsa volente ad eos accedere, ut suas coram eis proponeret rationes, militibus eiusdem ducis prohibentibus ei bis vel ter ingressum, ex parte illius appellatione ad sedem apostolicam interposita, sententiam inter eos divortii non est veritus promulgare; ac demum ipse dux quandam aliam, videlicet sororem carissimi in Christo filii nostri illustris regis Ungariae, superduxit. Quoniam igitur haec salva conscientia praeterire non possumus indiscussa, cum secundum apostolum simus omnibus debitores; discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus atque praecipimus, quatenus vocatis ad praesentiam vestram quos propter hoc noveritis esse vocandos, inquiratis diligentius veritatem; et quicquid inveneritis, nobis per literas vestras intimare minime differatis, ut ex vestra relatione sufficienter instructi, liberius in ipso negotio, prout ad nostrum officium pertinet, procedere valeamus. Nullis litteris ect. (Dat. Laterani intra V. Kal. et III. Nonas Octobris, pontificatus anno secundo.)

E Steph. Baluzii epistolarum Innocentii III. libro II. epistola 189.

CCCLXXVII.

Přemysl, rex Boemorum, concedit monasterio Raygradensi exemtionem a theloneo sub sigillis Wladislaw, marchionis Moraviae, Wladimjr, ducis Olomucensis, et Spitihněw, ducis Brunensis. cc. 1199.

Premizl dei gratia rex Boemorum. Vniuersis ciuitatum aduocatis in regno suo constitutis. gratiam suam et omne bonum. Sub obtentu gratie nostre uobis districte precipiendo mandamus quatinus homines *Raygradensis* ecclesie que est Brevnovensis monasterii. in omnibus theloneis. in aquis et in uiis. uel in quibuscunque locis tocius Boemie et Morauie constitutis. in nullo molestetis nec molestari ab aliis permittatis. nichil ab eis racione thelonei percipientes. sed quicquid ad vtilitatem monasterii uel curiarum duxerint eiusdem ducant in omnimoda libertate ab auo et a patre nostro eis ob remedium anime concessa et a nobis intuitu diuine retribucionis per nostrum priuilegium confirmata. Datum sub nostri sigilli impressione quod etiam ad perhennius rei monimentum *ego Wadizlaus dei gracia marchio Morauie. et ego Wladimir dei gracia dux Olomucensis. et ego Zpitigneu dei gracia dux de Brene.* nostri sigilli appensione roborari fecimus. Amen.

Originale in archivo archiepiscopali Olomucii, cui sigillorum unicum marchionis appendet, estque ejus insigne leo bicaudatus.

CCCLXXVIII.

Přemysl, rex Boemorum, dotat hospitale sancti Joannis Hierosolymitani sub testimonio Roberti capellani, postea episcopi Olomucensis. 1199.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Premizl dei gratia rex Boemorum. Cum regie dignitati conueniat non solum aliena sacrosanctis ecclesiis collata confirmare beneficia, uerum etiam largiri propria, nouerint tam presentes, quam futuri, quod ego Premizl rex Boemorum ecclesiam, quam illustrissima ducissa *Elisabeth* uxor quondam fratris nostri excellentissimi ducis Friderici, in loco qui dicitur *Boist* construxit et fratribus Iherosolimitani hospitalis cum adiacentibus agris ad aratrum predictus frater noster uxoris sue petitione inductus contulit, nostra auctoritate eisdem fratribus confirmamus, et ne in dubium alicui posset uenire, hanc nostre confirmationis paginam nostro sigillo fecimus communiri. Preterea uillam, que uocatur Teinecz cum silua, que super Albiam iacet ei pertinente, et aliam uillam, que uocatur Ledec in prouincia, que uocatur Vritooue et tertiam uillam, que uocatur Netribiz, et quasdam terras in uilla, que uocatur Breza iuxta hethin, etiam eadem auctoritate eisdem confirmamus, sicut a fratre nostro quondam eis attribute erant confirmate. Insuper agros quosdam, de quibus Modlibous uillicus noster cum quibusdam rusticis originariis nostris eos impetebat, asserentes eos esse nostri iuris, quanquam ad predictos fratres ex donatione fratris nostri iure spectabant, qui agri locati sunt infra quasdam uias, que eandem terram uersus occidentem terminant in ualle ad uillam Podzkale uersus occidentem uero ad locum, qui uocatur porta lupi circa prefatam ecclesiam sepedictis fratribus libere concessimus possidendos, quod hoc nostre sublimitatis scripto cum nostri sigilli impressione etiam fecimus roborari, ne denuo super hoc alicuius improbitate possint uexari. Si quis autem, quod non optamus, hanc nostre confirmationis paginam infregerit, deum cum sanctis suis sibi sentiat aduersum, et eius bona nostro fisco uendicentur. Huius rei testes sunt: Martinus castellanus. Zlauco camerarius. Ratibor iudex. Zuoyslaus et alter Zuoyslaus. Blego Magnus Budizlaus. Boguslaus Reguardi filius. Rapoto notarius. *Robertus* capellanus. Bogussa castellanus de Decin. Sobegride filius Bezprim. Busse filius Velissonis. Jura Mstigneui filius. Johannes Jarogneui filius.

E Dobneri Annalium tomo VII. manuscripto pag. 23.

Emendanda.

Pagina				
XIII.	*pro*	in quibus	*lege*	in quo.
9.	,,	Italis	,,	Italia.
94.	,,	commentatur	,,	commendatur.
107.	,,	n. CXXI adde annum 1002.		
110.	,,	aries	*lege*	areis.
123.	,,	Predictorum	,,	Predictarum.
147.	,,	seu	,,	sue.
170.	,,	incoluminate	,,	incolumitate.
202.	,,	contrubat	,,	conturbat.
207.	,,	Mileiuicih	,,	Mileionicih.
209.	,,	regiuem	,,	regimen.
217.	,,	velcatis	,,	valeatis.
232.	,,	tuetatur	,,	tueatur.
241.	,,	relique	,,	reliquie.
252.	,,	dilectorum	,,	delictorum.
256.	,,	soluandum	,,	saluandum.
268.	,,	CCLXXV.	,,	CCXCII.
288.	,,	omnia	,,	animo.
312.	,,	apprehendes	,,	apprehendens.
317.	,,	prater	,,	frater.
325.	,,	hospitates	,,	hospitales.
328.	,,	concendunt	,,	concedunt.
338.	,,	Nro. CCCLXI adde: 1194. dt. apud Nurenberc 18. Martii.		

BINDING SECT. JUL 10 1967

DB Codex diplomaticus et epistolaris
543 Moraviae
C66
t. 1

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY